


Narodna in univerzitetna knjižnica  
v Ljubljani

106728







21 1/2 platin  
Mannheim Aug. 1862

# COMMENTARIUS

I N

# EVANGELIUM SANCTI JOANNIS

CONCINNATUS

P E R

## LEONARDUM KLOFUTAR,

SS. THEOLOGIAE CATHOLICAE DOCTOREM EJUSDEMQUE IN INSTITUTO  
STUDIORUM THEOLOGICORUM DIOECESANO LABACENSI PROFESSOREM PU-  
BLICUM ORDINARIUM.

---

„Joannes supra nubila infirmitatis humanae velut aquila volat,  
et lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissi-  
mis oculis cordis intuetur.“ (S. Aug. de consens. evang.  
lib. I. c. 6.)

---

VIENNAE, 1862.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.

106728

106728

## Approbatio.

Opus, quod inscribitur: Commentarius in Evangelium sancti Joannis, concinnatus per Leonardum Klofutar, ss. Theologiae catholicae Doctorem ejusdemque in instituto studiorum theologorum dioecesano Labacensi professorem publicum ordinarium, non solum nihil continet, quod doctrinae ecclesiae catholicae aut bonis moribus aduersetur, sed ad genuinam s. Joannis intelligentiam plurimum lucis et subsidii affert; quare ab episcopali Ordinariatu Labacensi et approbari et commendari meretur.

Labaci 13. Octobris 1861.

Bartholomaeus

Episcopus.



F20 2324/1952

## Praefatio ad lectorem!

Annis vix duobus elapsis commentarius in tria priora evangelia a me concinnatus ex officina lithographica Egeriana Labaci prodiit, qui commentarius non solum theologiae alumnis, sed etiam aliis sacerdotibus nonnihil utilitatis praestitisse videtur, quum illum varii sacerdotes variarum dioecesium a me expetierunt. De Joannei evangelii commentario saepe jam interrogatus, etiam huic quarto evangelio interpretando operam navare statui. Pervolutis consultisque itaque a me multis atque variis cum antiquis, tum recentioribus evangelii hujus commentariis, uti Maldonati, Cornelii Jansenii, episcopi Iprensis (tetrateuchus, sive commentarius in quatuor evangelia Jesu Christi), Cornelii a Lapide, Calmeti, Menochii, Allioli, Kistemaker, Massl, Adalberti Maier (Commentar über das Evangelium des h. Johannes 2. B.), Jordani Bucher (das heil. Evangelium Jesu Christi nach Johannes, und: das Leben Jesu Christi), nec non et commentariis in evangelium s. Matthaei, editis a Mathia Arnoldi et Petro Schegg, porro commentariis Christiani Kuinoel, de Wette et schoлиis Georgii Rosenmüller, aliisque operibus hanc in rem utilissimis nec non et praestantissimis, uti Francisci Xav. Patritii de evangeliis libri tres (Friburgi 1853), Wieseler: Chronologische Synopse der vier Evangelien, Friedlieb: die Geschichte des Lebens Jesu Christi,

et tandem hinc inde etiam exegeticis scriptis Wenceslai Kozelka, studii biblici N. F. in universitate Vindobonensi professoris, etiam hunc commentarium, textui Vulgatae et graeco superstructum, perfeci. Prouti commentarius in tria priora evangelia ad publicas praelectiones theologicas aptus agnitus fuerat, eandem spem etiam de praesenti commentario foveo, in quo, quantum brevitas, cui semper studui, admiserat, plerasque res pertractavi.

Quod reliquum est, aperte hic profiteor, me ecclesiae judicio plenissime subjicere commentarium meum.

Labaci festo ss. Primi et Feliciani Mart. 1861.

**Auctor.**

# Prolegomena

i n

## Evangelium s. Joannis.

### §. 1.

#### De persona Joannis.

Evangelium, quod in canone N. F. quartum tenet locum, Joannis nomine inscriptum est.

Fuit Joannes (ex hebr. יְהוָה נָתַן, compos. ex יהוָה et נתן, gratiosus fuit, ergo Joannes, qui Dei gratia aut favore fruitur. Gotthold) Zebedaei, piscatoris (Matth. 4, 21) et Salomes filius (Matth. 27, 56, Marc. 15, 40), qui ad lacum Genesareth sive Bethsaidae, sive Capharnaumi habitabant, frater Jacobi majoris (Matth. 10, 3). Quum pater ejus in piscatura mercenariis uteretur, videtur fortunae opulentioris fuisse; quod etiam ex eo patet, quod mater ejus Christo ministraverit de facultatibus suis (Luc. 8, 3), et ad corpus Christi in sepulchro ungendum pretiosa emerit unguenta. Joannes in nulla rabbinica schola institutionem accepit (act. 4, 13.), sed una cum fratre artem piscandi exercuit. — Quum Joannes Baptista in deserto proximum Messiae adventum annunciat, adiit eum etiam Joannes ejusque discipulus factus est (Joan. 1, 35—41), ubi, quum occasionem nactus esset, Jesum cognoscendi, primus cum Andrea discipulus Christi factus est, non tamen perpetuus Christi comes, quum ad opificium suum ad tempus redierit. Postea demum, dum ad lacum Genesareth iterum a Christo vocatus est, omnia cum patre reliquit, nec unquam exinde

ab eo discessit, a quo denique inter apostolos constitutus est (Matth. 4, 18). Ambo fratres, Joannes et Jacobus, ob singularem animi fervorem filii tonitru (Boanerges) dicti sunt a Christo (Marc. 3, 17) eodem tempore, quo Simon nomen Petrus accepit. Unacum Petro et Jacobo Christo arctissime conjunctus est, et inter omnes apostolos Domino amicissimus fuit; unde se ipsum vocat discipulum, quem diligebat Jesus (13, 23; 19, 26; 21, 7, 20), et ideo in novissima coena supra pectus Domini recubuit, atque juxta crucem matrem magistri sui commendatam sibi accepit, dignus inventus, qui curam sanctissimae virginis Deiparae gereret (19, 27); vicissim et Joannes specialem ad Christum adhaesionem et amorem ostendit, dum in passione Domini ad crucem usque perseveraverit. Post reditum Jesu in coelum fuit inter primarios rei christianaे propugnatores; ipse enim primus cum Petro ante synedrium constitutus, postea cum apostolis flagellatus est (act. c. 3. 4. et 5), dein cum Petro missus est Samariam ut novo-conversis et baptizatis ibi per Philippum diaconum hominibus manus imponeret, quo Spiritum sanctum acciperent, et inde rediit cum Petro Hierosolymam (act. 8, 14—25), ubi interfuit concilio apostolorum. S. Paulus numerat eum inter columnas ecclesiae (Gal. 2, 9). —

De posterioribus ejus fatis silet s. scriptura; ex traditione<sup>1)</sup> scimus, eum postea Ephesum se contulisse; incertum quando, certe tamen, eum ante annum 59. post Christum Ephesi nondum adfuisse. Nam s. Paulus, qui (coll. Rom. 15, 20) in ejusmodi locis evangelium praedicare amabat, ubi nondum erat notum nomen Christi, Ephesi et in Asia minori vix tam diu fuisset commoratus, si s. Joannes ibidem jam adfuisisset. Praeterea s. Paulus, quum presbyteros Ephesinos Miletum vocasset (act. 20, 17. seq.), vix omisisset mentionem facere s. Joannis, si is eodem tempore (a. 58) ibi jam sedem habuisset. Imo nec anno 64. Ephesi adfuisse

<sup>1)</sup> Polycarpo, Ignatio, Irenaeo, Clemente Alex., Polycrate, Origene, Eusebio aliisque.

videtur, quia epistolae, quas s. Paulus ex prima captivitate romana (a. 61—63) ad coetus Asiae minoris miserrat, nec minimum nutum praebeant, Joannem tunc temporis ibidem jam adfuisse. Dum ecclesiae Ephesinae aliarumque Asiae minoris ecclesiarum curam habuit, regnante Domitiano in exilium relegatus est (a. 95), in insulam Patmos, inter sporadas maris aegaei olim numeratan<sup>1)</sup>. Post Domitiani mortem<sup>2)</sup> ab exilio Ephesum reversus, ibique pluribus relictis discipulis, imperante Trajano (a. 101) placida morte obiit atque sepultus est<sup>3)</sup>.

**Nota.** Dantur variae traditiones de hoc apostolo:

Clemens Alexand.<sup>4)</sup> refert, juvenem quemdam ab hoc apostolo episcopo alicui traditum et commendatum, postquam ab hoc neglectus, latro et latronum dux evasisset, ab eodem s. apostolo ad meliorem frugem iterum magna opera fuisse reductum.

S. Hieronymus<sup>5)</sup> narrat, a Joanne jam grandaevo saepe repetitam fuisse charitatis commendationem („filiali, diligite invicem“).

Datur porro alia traditio<sup>6)</sup> Joannem, dum Cerinthus in balneo, quod ipse adierat, adesse cognoverat, aufugisse, veritum, ne ob tam perversi hominis praesentiam aedibus corruentibus ipse etiam cum comitibus pereat. — Omnibus his traditionibus inest internum veritatis criterium, sive notus ejus Dei et proximi amor, sive animi fervor spectetur.

Tertullianus tandem perhibet<sup>7)</sup>, nostrum apostolum Romae in oleum fervens immissum nihilque inde passum esse; quam narrationem etiam s. Hieronymus, ad Tertullianum provocans, habet<sup>8)</sup>.

<sup>1)</sup> Iren. Euseb. Hieron.

<sup>2)</sup> Teste Clémente Alex. apud Euseb. hist. eccl. 3, 23.

<sup>3)</sup> Cf. Guerike historisch-kritische Einl. in das N. T.

<sup>4)</sup> In libro: „quis dives salvabitur“—apud Euseb. hist. eccl. 3, 23.

<sup>5)</sup> In comment. in epist. ad Galatas c. 6.

<sup>6)</sup> Iren. adv. haer. III. 3. apud Euseb. hist. eccl. 3, 18.

<sup>7)</sup> De praescriptione adv. haer. c. 36.

<sup>8)</sup> Adv. Jovinianum I. 26.

## §. 2.

**Quibus lectoribus scripserit Joannes?**

Lectores, quibus auctor hujus evangelii scripserit, fuerunt homines, qui e gentilismo ad christianam fidem fuerant conversi. Patet hoc jam ex eo, quod in Asia minori evangelium ediderat; idem elucet e modo, quo Christum repraesentat, quem non tantum ut Messiam Judaeis promissum, sed potius, ut moralem totius generis humani Salvatorem et Dominum delineat; porro e raritate citatorum V. T., et tandem ex annotationibus de locis, moribus et ritibus Judaeorum atque hebraicorum nominum explicationibus (v. c. 2, 1. 6. 13; 3, 23; 4, 5. 6. 8; 5, 2—4; 6, 1; 11, 18; 19, 17. 20. 31. 40<sup>1</sup>).

## §. 3.

**Quo consilio scripserit Joannes?**

Evangelium hoc exaratum est consilio dogmatico-polemico, i. e. Joannes contra haereticos illius temporis demonstrare voluit, Jesum esse Christum (Messiam) simulque Dei Filium, eum esse auctorem, principium et largitorem coelestis luminis et vitae (verae)<sup>2</sup>). — Fuisse consilium ejus dogmaticum, patet hoc:

1. ex aperta ipsius evangelistae declaratione, dum in fine capituli 20. (v. 31.) dicit: „Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus (*ὁ Χριστός*), Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus;“ — quibus verbis proponit: a) Jesum esse Christum, Filium Dei, et b) eundem esse auctorem, principium luminis et verae vitae. — Fuerunt quidem, qui verbis illis auctorem non ad totius libri argumentum, sed tantum ad

<sup>1)</sup> Cf. Patritius I. 96. Hug. Einl.

<sup>2)</sup> Cf. Reithmayr, Einleitung in die kanonischen Bücher der N. T.

narrationem de apparitionibus Jesu Christi, in vitam reversi, respicere existimarent, proinde non totius evangelii, sed tantum capitinis 20. consilium ipsis indicari iudicarent. — Ast frustra; nam ad totum librum verba illa referenda esse, docet jam ipsa indeoles capitinis 21., appendicis instar dein ab auctore additi, unde sat clare elucet, evangelistam capite 20. librum suum finire voluisse. Si vero evangelista capite illo librum suum concludere voluit, utique potius ad totius libri argumentum respexisse putandus est, quam ad partem tantum aliquam. — Porro veritas illa: *Jesum esse Messiam, Dei Filium*, docente ipso evangelista in variis hujus evangelii partibus, non nitebatur solo vitae post mortem receptae documento, sed ad eandem firmandam conferebant etiam *praestantia doctrinae et miracula* ab eo patrata et in evangelio hoc descripta; proinde non ad solum caput 20. verbis illis respexit, sed etiam ad reliquam libri partem praegressam. —

2. Docetid materia substrata evangelii. Non enim occupatur enarrandis Christi rebus gestis, quum permultas et inter has memoratu dignissimas silentio prætermittit, sed magis sollicitus est de referendis Christi sermonibus et *præceptis*. — Si tamen nonnunquam Christi res gestas aut harum rerum adjuncta narrat, quae in tribus prioribus evangelistis desiderantur, aut quaedam repetit, quae illi habent, id haud ideo facit, quia consilium habuit *historicum*, sed ideo, quia res istae atque ista rerum adjuncta vel opponuntur erroribus, quos redarguere instituit, vel eadem haec faciunt ad Christi amabilitatem plenius manifestandam (ut *historia mulieris Samaritanae, mulieris adulterae, Lazari, Mariae Christi pedes ungentis*), vel connexa sunt Christi sermonibus, doctrinis et *præceptis*, quae referre volebat, aut saltem viam ad haec referenda complanant<sup>1)</sup>). — Hisce quidem non negatur, evangelistam referendis Christi rebus gestis earumque adjunctis, quae tres prio-

<sup>1)</sup> Cf. Patrit. I. 97.

res evangelistae non habent, simul supplere voluisse  
quaedam ex vita Domini a ceteris evangelistis omissa;  
poterat id enim salvo consilio dogmatico facere, quod  
primarium erat in evangelio exarando <sup>1)</sup>.

3. Elucet hoc ex tota libri pertractione (methodo scribendi). Praemittit enim tale exordium (1, 1—18.), quod non tam ad praeparandam historiam inservit, quam potius ad certum conceptum de historicā persona in lectoribus efformandum. Peculiari praeterea modo varia facta enarrat, nimirum non simpliciter ostendit, quid evenerit, sed fere ubique diligenter notat, facta haec suppeditasse motiva hominibus diversis, ut in Christum crederent <sup>2)</sup>. — Unius generis notationes istae vix alio consilio adeo sollicite sunt apposita, quam ut notitia factorum Christi eandem in lectoribus efficaret fidem, quam produxerat in oculatis eorum testibus. Id docent et ipsae Christi assertiones de sua legatione <sup>3)</sup>.

4. Consilium Joannis fuisse dogmaticum simulque polemicum, intelligimus, si occasionem scribendi consideremus. Veteres <sup>4)</sup> nimirum tradunt, Joannem rogatum ab episcopis scripsisse ad refellendos oppositos errores illius temporis. Tales errores doctrinae christianaē oppositos aevo jam apostolico re vera extitisse, docent plura loca s. scripturae <sup>5)</sup>, prae primis et ipse Joannes in prima sua epistola (2, 18.), dum haereticos illius temporis hisce depingit verbis: „Nunc antichristi multi facti sunt; ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis (i. e. ecclesiae erant membra, sed non erant ea digni, utpote non veri fideles) eorumque errores his proponit verbis: „Omnis

<sup>1)</sup> Cf. Clem. Alex. apud Euseb. hist. eccl. 6, 14., Euseb. hist. eccl. 3, 24.

<sup>2)</sup> Cf. 1, 37. coll. 41, 43 coll. 45, 49 coll. 50. 2, 11. 22.; 4, 39. 41. 42. 53; 6, 14; 7, 31. 40; 8, 30; 9, 17. 35—38; 10, 19—21. 42; 11, 26. 27. 45; 12, 11; 20, 29.

<sup>3)</sup> Cf. Hug. CimL.

<sup>4)</sup> Clem. Alex. Hieron.

<sup>5)</sup> Cf. aēt. 18, 24. 25; 19, 1—8; I. Tim. 1, 3—7. 19; 6, 20. 21; II. Tim. 2, 17, 18; II. Pet. 1, 15; Jud. v. 15.

spiritus, qui non confitetur, Jesum Christum in carne venisse (juxta Vulgatam, qui solvit Jesum), ex Deo non est, et hic est antichristus (4, 3.)<sup>1)</sup>; quibus verbis haud obscure docet, fuisse tunc temporis homines, qui negarent, Christum vere Deum esse (quales erant Ebionitae); qui eum hominem fuisse insciarentur (uti Doketae), et qui hypostaticam utriusque naturae Christi unionem in dubium vocarent (uti Cerinthiani, Nicolaitae et generatim gnostici, i. e. homines, qui rejecta sapientia divinae revelationis falsi nominis sapientia seu gnosi superbiebant <sup>2)</sup>). Joannes ipse quidem auctorem vel propagatorem talium errorum expresse non commemorat; primus, qui aperte commemorat eos, contra quos Joannes scripsit, est s. Irenaeus, qui <sup>3)</sup> dicit, evangelium hoc fuisse scriptum contra gnosticos, simulque contra Nicolaitas, nominatim contra Cerinthum. Epiphanius <sup>3)</sup> et Hieronymus <sup>4)</sup> praeter Cerinthum nominant Ebionitas; alii vero Doketarum errori, et iterum alii discipulis Joannis Baptistae, qui non Jesum, sed Joannem Baptistam Messiam esse crederent, (hodierni Sabaei) opposuisse Joannem evangelium suum putabant <sup>5)</sup>. — Ast quum evangelista nullibi errorem aliquem aperte commemorat, nec expresse auctorem seu propagatorem ejus inducit, tenenda videtur sententia eorum, qui statuunt, Joannem contra errores, qui non tantum uni hominum circa Christi personam et dignitatem errantium classi proprii fuissent, sed universim contra errores quoscunque, qui aetate ejus ratione Christi aderant, evangelium suum conscripsisse (seu indirecte polemice in scribendo versatum esse). — Joannem vero cum consilio suo dogmatico simul conjunxisse polemicum (et quidem indirecte polemicum), multa adsunt, quae id statuere movent:

<sup>1)</sup> Cf. Hug Einl. Guerike Einl. Mesmer introd. in libr. N. F.

<sup>2)</sup> Cf. libr. III. adv. haer. I, 26; III. 11.

<sup>3)</sup> Cf. haer. 69. §. 23.

<sup>4)</sup> Cf. de scriptor. eccl.

<sup>5)</sup> Cf. Reithmayr Einleitung S. 427. ff.

a) Cum s. evangelista in libro suo ostendere vellet, Jesum esse Christum, Filium Dei, haud poterat praetermittere, quin rationem haberet errorum, qui huic veritati adversi extabant; tali enim modo veritatem, quam tractabat, roborando, poterat errores illos simul subvertere, homines illis infectos ad meliora reducere et nondum infectos a contagio praeservare<sup>1)</sup>.

b) Idem eo magis asserendum est, quum errores isti occasionem praebuerint Joanni, ut evangelium suum scriberet. „Joannes“, ait Hieronymus<sup>2)</sup>, quum esset in Asia, et jam tunc haereticorum semina pullularent, Cerinthi et Ebionis et ceterorum, qui negant, Christum in carne venisse . . . . . coactus est ab omnibus paene tunc Asiae episcopis et multarum ecclesiarum legationibus, de divinitate Salvatoris altius scribere.<sup>“</sup>

c) In ipso evangelio vestigia talis indirecte polemici versandi modi revera deprehenduntur, quatenus in variis ejus partibus talia leguntur, quae innuunt, auctorem ad errores coaeuos respexisse. Sic v. c. quae in prologo (1, 1—18.), dein his similia in evangelio ipso sunt, tam Ebioniticis opinionibus, quam erroribus a gnosticis serius excultis adversantur. — Dokerismo opposita haud immerito habentur verba: et Verbum caro factum est (1, 14.) —; aut quum dicit, e latere Christi lancea aperto exivisse sanguinem et aquam (19, 34.); aut quum refert, Thomam digitum in locum clavorum et manum in latus Christi immisisse (20, 27.), aut quum narrat, Jesum redivivum a discipulis aliquid ad manducandum postulasse. Similiter et antitheses, quibus Christus saepius Joanni Bapt. tamquam sublimior opponitur (1, 16. coll. 1, 8. 9. 15—30; 3, 26. seq. etc . . .), propter Joannis discipulos, ut Christo conciliarentur, additae sunt<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. Reithmayr Einl. S. 435.

<sup>2)</sup> Cf. comment. in Matth. proleg.

<sup>3)</sup> Cf. Hug Einl.; Bucher, Erklärung des Evangeliums nach Johannes, Einleitung S. 8—15. 42.

## §. 4.

## Evangelii dispositio et argumentum.

Ex consilio modo proposito facile intelligi potest ipsa evangelii hujus dispositio. Voluit nimirum Joannes demonstrare, Jesum esse Christum (Messiam, Salvatorem) et Dei Filium; quum jam essentia Filii Dei (juxta eum) est lumen et vita, ideo etiam probare voluit, Dei Filium (*λόγον*) esse lumen et vitam, et quidem non solum in se, sed etiam respectu ad homines (1, 4.), seu eum esse auctorem et principium coelestis luminis et vitae. Quapropter ex vita Christi talia praeprimis dicta et facta refert, quae docent, Jesum esse auctorem, principium et largitorem luminis et vitae. Ut auctor et largitor vitae sistitur miraculo Canae patrato, quum media ad vitam hilariter agendam suppeditaret (2, 1—12); dum post profanatorum ejctionem e templo se Dominum vitae mortisque victorem pronunciat (2, 29. coll. 22.); dum in colloquio cum Nicodemo disserit de necessitate novae vitae per regenerationem obtinendae ad ingrediendum regnum Dei (3, 1—16.); dum in colloquio cum muliere Samaritana se largitorem aquae vivae, quae bibenti tribuit vitam aeternam, declarat (4, 10. seq.); dum filium ministri regii morti proximum ad vitam revocat (4, 46—54.); dum sabbato paralyticum sanat (5, 1—16.), et declarat, sibi esse, uti Patri, potestatem vitae et mortis (5, 21.), se esse, uti Pater est, fontem et principium omnis vitae (5, 26.); dum porro turbae ad vitam corporalem sustentandam suppeditat panem (6, 1—15.); dum docet, se esse panem vitae, qui manducantibus dat vitam aeternam (6, 35. 48. 51.); dum se pastori comparando, se declarat mediatorem verae vitae hominum (10, 1—21.); aut dum Lazarum ad vitam revocat (c. 11.), et aperte docet, se esse resurrectionem et vitam (11, 25), viam, veritatem et vitam (14, 6.); dum in precatione sacerdotali docet, sibi a Patre datam esse potestatem in omnes

homines, ut eis vitam aeternam largiatur (17, 2.), et dum ex sepulchro prodiit, facto ostenderat, se esse dominum vitae (c. 20.). — Ut auctor et largitor luminis proponitur Jesus, dum lucet lumine omniscientiae discipulis (1, 48. 51.) et mulieri Samaritanae (4, 17. seq. 29.), turbae vero in templo docens lumine doctrinae suae (7, 14.); dum aperte profitetur, se esse lumen mundi (8, 12); dum coecigeno visum restituit (c. 9.); dum docet, se esse viam et veritatem (14, 6.); dum discipulis promittit Spiritum veritatis (16, 13.), qui eos sit edocurus omnem veritatem; aut dum Pilato aperte dicit: „ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati“ (18, 37)<sup>1</sup>). — Si nonnunquam etiam facta et sermones generales, uti tres priores evangelistae ea referunt, narrat s. Joannes, ea vel ideo refert, quia ad probandam Christi dignitatem Messiae et Filii Dei ei necessaria videbantur, vel quia ad ea intelligenda necesse fuit objectum repetere, quae ipse nova dein retulerat, qua agendi ratione lectoribus illa ex prioribus evangeliis jam nota esse supponit. Inde autem etiam facile perspicitur, cur evangelista res historicas non continua serie proposuerit, sed ex diversis temporis intervallis eas selegerit, quae in consilium ejus quadabant et a synopticis nondum erant consignatae. Attamen haec agendi ratio eum non impedivit, quominus semper tempus et locum, quo contigerant, stricte notaret, quo interpreti notitia temporis rerum gestarum suppeditatur<sup>2</sup>).

Si argumentum evangeli consideramus, evangelium potest in duas partes dispesci, quarum priori prologus est praemissus, alteri appendix addita. —

In prologo (1, 1—18.) delineat naturam, activitatem et majestatem (*δόξαν*) τοῦ λόγου, quem incarnatum inter homines agentem in reliquo evangelio tamquam

<sup>1)</sup> Cf. Bucher, des Apostels Iohannes Lehre vom Logos (S. 25. 26.; Leben Jesu 228.

<sup>2)</sup> Cf. Reithmayr Einl., Adalbert Maier Einleitung.

auctorem et largitorem luminis et vitae describendum sibi proposuerat.

Quod attinet ad partem ipsam primam, quae usque ad c. 12. inclusive pertingit, ostenditur in ea, quomodo Jesus per universam Palaestinam a variis generis hominibus pedetentim tamquam Messias fuerit agnitus, ab aliis vero odio summo habitus.

In altera parte (13, 1—20, 31.) exhibetur plenior ultimorum vitae Christi dierum notitia.

Tandem in appendice (c. 21.) praeter narrationem apparitionis Jesu factae discipulis in lacu Genesareth piscantibus, et exitus Petri, cui ter interrogato oves et agnos pascendos committit, preeprimis falsa refutatur opinio, quam verbis Christi male intellectis non nulli tenebant, rati, Joanni apostolo spem datam fuisse a Domino, fore, ut nunquam moriatur.

### §. 5.

#### Quando et ubi s. Joannes scripserit?

Quod ad tempus attinet, quo s. Joannes evangelium suum exaravit, accurate illud definiri nequit; antiqui enim solummodo dicunt, evangelium hoc omnium evangeliorum ultimum prodiisse. Clemens Alex.<sup>1)</sup> et Hieronymus<sup>2)</sup> expresse Joannem inter evangelistas omnium postremum vocant<sup>3)</sup>, idemque et ordo in canone ei assignatus ostendit. — Juxta Epiphanium<sup>4)</sup> anno aetatis 90., juxta Suidam anno aetatis 100. editum est evangelium. Priorem sententiam tenet etiam Georg Mayer<sup>5)</sup>. Evangelium hoc post Pauli obitum et quidem longe post conscriptum fuisse, colligitur primum inde, quia Joannes, quo tempore Paulus vixit, Ephesi non repe-

<sup>1)</sup> Apud Euseb. hist. eccl. 6, 14.

<sup>2)</sup> De viris illust.

<sup>3)</sup> Cf. Patrit. I, 117.

<sup>4)</sup> Haer. 51, 12.

<sup>5)</sup> Die Echtheit des Evang. nach Joh., S. 146.

ritur (cf. §. 1.); id colligitur porro ex relatione evangelii hujus ad tria priora evangelia, quae scripta et nota praesupponit; permulta enim omisit Joannes, quae de Christo ceteri narrant. Hoc autem non ideo tantum omisisse dicendus est, quia consilium ejus non erat historicum, sed dogmaticum, nam plurima eorum, quae retinet, ipsius consilio dogmatico plane conduxisserunt; praeter alia v. c. comparatio coelestis nuntii de ortu Joannis Bapt. (Luc. 1, 13—17.) cum nuntio de futuro ortu Christi (Luc. 1, 30—35; 41—44), Zachariae vaticinium de Joanne filio (Luc. 1, 76.) atque ipse Christi baptismus (Matth. 3, 13—15.), quae opportunissima fuissent ad Christi prae Joanne Bapt. excellentiam comprobandam, sicut etiam legatio discipulorum ipsius Joannis Bapt. ad Christum (Matth. 11, 2. seq.), item Christi disputatio, qua se Davide majorem esse demonstravit (Matth. 22, 41—46.), miraculum, quo comprobavit potestatem sibi esse dimittendi peccata (Matth. 9, 2—8.), signa tandem superna ad Jordanem visa, quum Christus ascendit e flumine (Matth. 3, 16. 17.); — potius ideo hoc fecisse putandus est, quia sciverat, aliorum evangelistarum narrationibus ea jam inter homines vulgata esse <sup>1)</sup>. — Item docent et errores Ephesi grasantibus, quos evangelista noster refellit. Quum enim s. Paulus nec in sua ad Ephesios epistola (scripta in prima captivitate romana), nec in alteris ad Timotheum episcopum a. 67. datis literis errorum illorum, quos Joannes carpit, meminit (doctrinae enim erroneae, quarum in prima ad Timotheum epistola (1, 3. 6. 7.) mentionem facit, nil habent simile cum iis erroribus, quos Joannes refutat), de quibus certe in suo erga christianos amore non siluisset, vel aliquos indicare omisisset, recte colligitur, errores illos brevi post Pauli necem inter Ephesios nondum extitisse, aut saltem nondum late propagari coepisse. Quum autem hoc non paucis annis fieri posset, ut eo res pertingeret, quo

<sup>1)</sup> Cf. Patrit. I, 99.

pertigisse ostendunt tum scripta ipsa Joannis, tum hujus consilium, utique dicere debemus, evangelium Joannis, quo erroribus illis late grassantibus occurrere vellet, longe post Pauli necem fuisse scriptum (cf. Patrit.). Id denique confirmant epistolae Joannis sub idem tempus, nisi fors simul ac evangelium scriptae. Primam epistolam, quam literas evangeli concomitantes erudit permulti recte putant, eodem tempore, aut saltem sub idem tempus fuisse scriptam ut evangelium, docent tum verba ipsius epistolae, in qua sub ipsum initium declarat, se scribere et annuntiare, quae viderat et manibus correctaverat, ergo res et facta, quae quum in ipsa epistola talia non inveniantur, alibi, in ejus evangelio quaerenda esse sponte elucet; — tum convenientia materiae in utroque scripto, in quo docet divinitatem Christi, refutatis simul erroribus contrariis, et dilectionis praeceptum. Epistolae vero primae socia videtur altera, quum maximam cum illa prae se fert affinitatem; similiter et tertia epistola multa habet cum secunda communia (3. Joan. 10. coll. 2 Joan. 7. 10. <sup>1</sup>), ut idem de utraque cogitur. Jam autem in his auctor compellat se seniorem, quae appellatio proiectam admodum indicat aetatem, quae tunc aderat, quum reliquis omnibus apostolis vita functis unus Joannes superstes fuisse <sup>2</sup>). Etiam notae internae sententiam nostram confirmant; nuspian enim occurrit indicium Hierosolymae integræ vel templi adhuc stantis, imo contrarium colligitur ex 11, 18., ubi de Bethania Hierosolymæ vicina ita loquitur, quasi jam non superesset, sed cum excidio urbis ipsa quoque deleta fuisse. — Similiter (18, 1.) dicit, Jesum egressum esse trans torrentem Cedron, ubi erat hortus; et (19, 41.): erat in loco, ubi crucifixus est, hortus etc.

Eruditi permulti <sup>3</sup>) putant, evangelium fuisse conscriptum post apocalypsin; Joannes enim juxta

<sup>1</sup>) Cf. Patrit. I, 109.

<sup>2</sup>) Cf. Patrit. I., Guerike Einleit.

<sup>3</sup>) Cf. Patrit., Maier, Echttheit des Evang. nach Joh.. Stern, Offenb. d. h. Joh.

Eusebium (*hist. eccl.* 3, 24.) nuda voce verbum praedicaverat, usque dum apocalypsin mandato divino scribere juberetur. Quum igitur ex insula Patmos redux apocalypsin edidisset, facile poterant eum senem majori cum fiducia orare tum Ephesii, tum vicinarum ecclesiarum legati, ut historiam et doctrinam Christi novo opere illustraret, ad quod faciendum facilius poterat flecti, quum praesentissimum doctrinae periculum ab haereticis imminens videret.

Nonnulli recentiori tempore evangelium hoc ante Hierosolymae excidium scriptum esse asseruerunt, quam sententiam suam rationibus internis i. e. ex ipso libri argumento comprobare studuerunt. Provocant nimirum:

1. Ad locum Joannis (5, 2.), ubi legitur: *Est* (*εστι*) autem Jerosolymis probatica (i. e. ad portam ovilem) piscina, quinque porticus habens. — Praesens: est, et: habens dicunt, docet, eo tempore, quo s. Joannes scripsit, Hierosolymam nondum destructam fuisse. — Ast fontem aquarum etiam post dirutam urbem mansisse, nil est incredibile; participium autem praesentis temporis *εχοῦσα* pro imperfecto hic valere, non est, cur negetur, quum auctor noster etiam alias, ubi eventum aut statum praeteritum commemorat, uti solet tempore praesenti (1, 15. 29. 44. 46; 5, 14 . . .).

2. Adducunt locum 21, 24., ubi legitur: „*Sci-mus* (*οἶδαςεν*) *verum esse testimonium ejus.*“ — Pluralis (*scimus*) inquiunt, aperte docet, ultimam hanc sententiam non provenire ab ipso Joanne, sed ab aliis esse profectam, qui quum ipsi fuissent spectatores rerum a Christo gestarum, hac annotatione firmare voluiscent veritatem narrationum apostoli. Tales autem homines post excidium Hierosolymae adhuc superstites fuisse, haud verosimile putant. —

Sed si etiam verba illa non essent profecta a Joanne, nil inde lucratur sententia de evangelio hoc ante excidium Hierosolymae conscripto; nam sicut Joannes, qui et ipse testis rerum a Christo gestarum fuit,

post excidium adhuc vixit, ita et alii superesse poterant vitae Christi testes. Praeterea verba illa, si ab aliis sint addita, poterant etiam a talibus addi, qui de veritate evangelii Joannis aliis rationibus essent convictissimi, quam propria circa eventus ab eo narratos experientia (*αντοφία*).

3. Provocant tandem ad locum 21, 18. 19., ubi Christus mortem violentam Petro praedixisse legitur, et quum evangelista ibi non adnotavit, eventum praedictioni revera respondisse, inferunt, ante mortem Petri esse exaratum evangelium hoc. — Sed annotatio talis omitti etiam poterat ab auctore post eventum praedictum scribente, quia primis evangelii lectoribus satis notum erat, Petrum fuisse Romae crucis supplicio affectum. — Confirmat hoc et ipse locus 18, 10., ubi Petrum expresse nominat, qui servo pontificis, Malcho, auriculam absciderat, cujus nomen absque dubio reticuisset, uti reliqui evangelistae fecerunt, si Petrus adhuc superstes fuisse, ne ipse a malevolis adversariis tentati tumultus posset accusari.

Quod ad locum attinet, ubi exaratum fuerat hoc evangelium multi unacum subscriptionibus codicum quorundam nominant insulam Patmos, alii vero urbem Ephesum. Sequenda videtur relatio s. Irenaei <sup>1)</sup>, qui apostolum Joannem, dum Ephesi in Asia minori moraretur, librum hunc edidisse tradit. Cum eo faciunt Eusebius <sup>2)</sup>, Epiphanius <sup>3)</sup>, s. Hieronymus <sup>4)</sup>, et versiones Peschito et arabica (Erpenii), quae in subscriptione expresse nominant Ephesum <sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> Adv. haer. III. 1.

<sup>2)</sup> Hist. eccl. 3, 24; 5, 8.

<sup>3)</sup> Haeres. 51, 12.

<sup>4)</sup> De viris illust. c. 9.

<sup>5)</sup> Cf. Maier, Echtheit des Evang. nach Joh.

## §. 6.

## Authentia evangelii s. Joannis.

Auctorem evangelii quarti esse Joannem apostolum, persuadent nobis argumenta gravissima, cum externa, tum interna. Nam

## I. testantur authentiam ejus:

1. ex antiquis orthodoxis: s. **Justinus** (a. 138—166.), in cuius dialogo cum Tryphone et utraque apologia ultra 30 loca evangelii Joannis occurrunt <sup>1)</sup>; **Theophilus Antiochenus** (a. 180.) <sup>2)</sup>, qui Joannem expresse nominat auctorem; **Irenaeus**, episcopus Lugdunensis (a. 177—202.), ob conjunctionem cum Polycarpo, Joannis discipulo, gravis testis, evangelii quarti auctorem, tempus et locum designat <sup>3)</sup>; porro **Clemens Alex.** <sup>4)</sup>, nominans evangelium Joannis πνευματικόν; **Tertullianus** <sup>5)</sup>, **Origenes**, ignotus auctor romanus fragmenti apud Muratorium, **Dionysius Alex.**, **Eusebius**, **Hieronymus**, **Augustinus** et subsequi omnes; testantur eam et antiquae versiones, praeprimis latinae et syriacae, quae et Joannis evangelium habebant <sup>6)</sup>.

2. Comprobant authentiam hujus evangelii et ipsi haeretici, uti **Heracleon**, gnosticus (saeculo 2.), **Valentini** discipulus, qui commentarium in evangelium Joannis scripsit, in quo placita sua cum sententiis in evangelio Joannis obviis conciliare studuit; porro **Montanistae**, qui sua de paracleto somnia e locis evangelii hujus confirmare conabantur; **Tatianus** (a. 172.), s. **Justini martyris** prius discipulus, qui conscripsit librum διατεσσάρων i. e. harmoniam e nostris quatuor evangeliis concinnatam, qui incipiebat verbis initii evangelii Joannis; et **Ptolomeus**.

<sup>1)</sup> Cf. Maier, Echtheit des Evang. nach Joh.

<sup>2)</sup> Ad Autolicum II. 22.

<sup>3)</sup> Adv. haer. III. 1.

<sup>4)</sup> Apud Euseb. hist. eccl. 6, 14.

<sup>5)</sup> Adv. Marc. lib. 4. c. 2. et 5.

<sup>6)</sup> Cf. Guerike Civil.

3. Ipsi adversarii religionis christianaæ, uti Celsus, Porphyrius et Julianus apostata, quamvis argumentum evangelii hujus impugnarent, authentiam ejus non negabant.

II. Auctorem evangelii hujus esse Joannem apostolum, confirmat ipsa libri inspectio (argumenta interna):

a) S. Joannes in toto libro nunquam se ut auctorem nominat; attamen sat manifeste prodit, dum librum hunc scripsisse dicitur discipulus ille, quem diligebat Jesus (19, 35 coll. 26.—21, 24 coll. 20, 3), quibus verbis testimonio Patrum designatus est Joannes evangelista, — quod etiam alii N. T. scriptores docent. Nam tres inter ceteros apostolos singulari amore Christum prosecutum esse ipsosque vicissim Christum esse prosecutos, narrant evangelistæ, nimirum Petrum, Joannem et Jacobum. Is autem nec Petrus esse potest, quum pluries unum ab altero scriptor aperte distinguat (Joan. 13, 23 coll. 24.—20, 2; 21, 7. 20.), nec etiam Jacobus, quippe qui sub pascha a. 42. ab Herode Agrippa occisus fuerat, quo tempore evangeliū hoc nondum editum fuit (coll. §. 5.); hinc discipulus ille, quem diligebat Jesus, atque adeo auctor hujus evangelii nemo aliis esse potuit, nisi Joannes. — Et re vera, sicut reliqui evangelistæ mutuum Christi et Joannis amorem nobis perhibent, ita et in hoc evangelio plura tenerrimi amoris signa, quo Christus discipulum illum, hujus evangelii auctorem, prosecutus fuerat, legimus; quatenus discipulus hic supra pectus Domini in coena recubuit (13, 23.), et ei stanti ad crucem Christus matrem suam commendavit (19, 26.), prouti iterum legimus, quantum amorem Christo discipulus ille vicissim rependeret, quatenus in passione Domini ab eo non recessit (18, 15; 19, 26.), et totus flagrabat desiderio Christum redivivum videndi (20, 4 coll. 2; 21, 7.). Cum hisce dictis consentiunt omnia ea, quae Patres de indole et ingenio Joannis, divinam charitatem spirantibus, tradiderunt (cf. Patrit.).

b) Ipsa libri inspectio docet porro, scriptorem evangelii hujus fuisse testem oculatum rerum, quas narrat, imo unus ex iis testibus, quibus magis, quam ceteris, Christi actiones resque visae ac perspectae fuerunt. Patet id partim inde, quod passim brevibus quibusdam explanationibus vel rationibus soleat narrata illustrare, partim inde, quod adjuncta saepe vel minutissima sive personarum, sive rerum, sive temporum, sive locorum designet. Elucet porro id inde, quod quamvis in describendis rebus humili omnino stylo utatur, adeo tamen vivide et pro rerum natura illas describit, ut non solum eas plane perspectas habere, sed et his veluti praesens adesse easque oculis adhuc spectare videatur (v. c. narratio de muliere Samaritana, de Lazaro ad vitam revocato, de Christo apostolorum pedes lavante, de se ipso unacum Petro ad Christi sepulchrum adeunte). — Confirmant id etiam sermones Christi ampliores (praeprimis inde a c. 14—17.), quum eos tali ratione refert, ut appareat, ipsum eos ex ore Christi percepisse et immediate e memoria sua depromere, quum nimirum hi sermones partim longius excurrant, partim abruptum in iis deprehendatur dicendi genus, eisdem sententiis saepe repetitis, quin dictorum ordo et series semper servetur<sup>1)</sup>.

c) Magna inter hoc evangelium et epistolam primam Joannis est convenientia, sive consideretur scopus, sive materies, sive stilos et argumentandi ratio. In utroque nimirum scripto (in evangelio et epistola prima) tendit s. auctor ad probandum, Jesum esse Christum, Filium Dei (1, 1. seq. 20, 31; 1 Joan. 1, 1—3; 5, 13.); in utroque scripto urget et inculcat eadem dogmata (videlicet de Deo, de Verbo divino, de incarnatione, de redemptione, de intercessione Christi, de Christi sanctitate, de Spiritu sancto, de missione divinarum personarum, Filii scilicet et Spiritus sancti, de vita aeterna, de mundo, de luce et te-

<sup>1)</sup> Cf. Patrit. I. 95.

nebris, de peccato et precatione), nec non et eadem praecepta tradit, de fide nimirum iis habenda, quae docuit de Jesu divinitate et de amore ac dilectione; tandem eosdem etiam errores in utroque scripto impletit (1 Joan. 1, 1—3; 4, 2. 3. 12. 14; 5, 6—9.). In utroque scripto adest porro idem stilus; in utroque enim opere persaepe breviores sententiae aliae aliis raptim succedunt, nullis transitionibus, atque ita, ut earum nexus non facile possit deprehendi; recurrent saepe sententiae similes imo et eadem, definitio-nes et denominations a vocibus: hic est, haec est — hoc est — ferme inchoantur; porro adest usus particularum *ivā* (ut), *δτι* (quod, quoniam), *εἰς τοῦτο* (ad hoc), *ἐν τούτῳ* (in hoc) longe frequentior, quam in scriptoribus ceteris N. T.; reperiuntur dein loquutiones et dicendi formae vel unius Joannis propriae, vel rarius aut vix ab aliis usurpatae (v. c. esse ex Deo, ex veritate, ex diabolo, ex mundo; natum esse ex Deo, ex spiritu, ex aqua; esse in Patre, in Filio, in mundo; manere in Deo, in Christo, in charitate, in veritate; esse apud Deum, habere vitam; servare, custodire praecpta, mandata, sermonem, verba; ambulare in luce, in tenebris, in veritate etc. . .). — Occurrunt porro in utroque scripto plures voces, quae nunquam in ceteris evangeliis adhibitae reperiuntur, vel saltem rarius, quam in evangelio et in epistola prima Joannis, vel alium in sensum (uti *λόγος*, *ἀλήθεια*, *ζωή*, *φῶς*, *σκοτία*). Denique invenitur in hoc utroque opere conjunctio affirmationis et negationis in eadem enuntiatione (1, 3. 20; 1 Joan. 1, 5. 8; 2, 4. 10. etc. . .).

Quum igitur talis ac tanta evangelii et epistolae primae convenientia adsit, merito colligitur, utriusque operis unum eundemque esse scriptorem. Jam autem epistola prima Joannis omnium consensu agnoscitur pro authentica; ergo et evangelium, Joannis nomine inscriptum, authenticum esse debet <sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. Patrit. I. 105. Hug. Cint.

## §. 7.

**Argumenta adversariorum authentiae evangelii  
s. Joannis.**

Quamquam tam multis et gravissimis cum externis tum internis argumentis innititur authentia evangelii s. Joannis, nihilominus tamen extiterunt, qui opus hoc Joanni, tanquam auctori abjudicare conarentur. Primus inter Germanos authentiam hujus evangelii impugnavit Bretschneider in libello, qui inscribitur: *Probabilia de evangelii et epistolarum Joannis apostoli indeole et origine* (Lipsiae 1820), cujus argumenta novissimo tempore Strauss (*Leben Jesu*) recoxit, et nuperime Lützelberger, Baur, Weisse, Schweizer renovarunt. — Quapropter necessarium putamus, ut argumenta adversariorum authentiae evangelii hujus examini subjiciantur, quo illis tanquam solido fundamento destitutis, certitudo de evangelii hujus authentia major evasura sit. — Sunt autem rationes eorum sequentes:

1. Patres ecclesiae saeculi primi nullam faciunt mentionem evangelii hujus, ergo illis notum non erat, vel illi non agnoverunt tanquam Joannis evangelium. —

Ast non est verum, quod adversarii supponunt; occurunt enim in scriptis patrum saeculi primi dicta, quae summam praeseferunt similitudinem cum locis evangelii s. Joannis, uti in epistolis s. Ignatii ad Trallenses (c. 9.), ad Magnesios (c. 7.), ad Philadelphenses (c. 7.), ad Ephesios (c. 5. et 11.); in epistola autem s. Polycarpi ad Philippenses (c. 7.) occurrit locus epistolae primae Joannis (4, 3.), qui locus notitiam ipsius evangelii supponit, si epistola haec, uti diximus, fuit literae concomitantes evangelii. — Si in Clementis Romani epistola prima ad Corinthios nulla adsit mentio evangelii s. Joannis, id prorsus naturale est, quia evangelium postea scriptum est, quam epistola illa mitteretur. Attamen, etiamsi in scriptis Patrum apo-

stolicorum nulla ad essent vestigia evangelii s. Joannis, nequaquam sequeretur, quod adversarii inde colligunt, quia silentium hoc tunc tantum probandi vim haberet, si notum esset, fuisse occasionem vel plane necessitatem evangelium hoc commemorandi, quam adfuisse probari nequit.

2. Provocant ad Alogos, qui evangelium hoc rejecerunt. —

At hi authentiam evangelii hujus negarunt non ex causis historicis, sed dogmaticis, qui quum erroribus suis renuntiare nollent, illud Cerintho tribuebant. Praeterea assertum eorum tanto minoris ponderis est, quanto major est turba tum aliorum haereticorum, tum orthodoxorum, qui authentiam ejus agnoverunt (conf. §. 6.)

3. Afferunt, Justinum martyrem et Athenagoram, quae in scriptis suis habent, non ex evangelio, sed ex traditione viva hausisse. —

Non negari quidem potest, potuisse illa e viva traditione repeti, quum Justinus et Athenagoras non diserte dicunt, se eadem desumpsisse e libro scripto S. Joannis; attamen, cum coaevi scriptores christiani Joannis evangelium neverint, et Tatianus, s. Justini discipulus, eodem sit usus, multo probabilius est, Justinum quoque et Athenagoram dicta illa e scripto potius fonte hoc, quam ex traditione hausisse.<sup>1)</sup>

4. Praeprimis autem defendant sententiam suam argumentis internis; et primo quidem opponunt repugnantiam, qua respectu personae Christi diversis evangelii hujus locis inest, quatenus pluribus in locis (5, 19; 7, 16. 29; 8, 16, etc.) de morali Christi cum Deo Patre necessitudine, in aliis autem (1, 1—14; 8, 58; 17, 5. etc.) de ejus naturali cum Patre necessitudine sermo fit; et quatenus quibusdam in locis Christus propria potestate agens sistitur (15, 26; 16, 7.), in aliis vero ad Patrem referuntur, quae Christus agit (14, 9—11. 16. etc.) — Difficultates hae statim evanescunt,

<sup>1)</sup> Cf. Georg Maier, Echtheit des Evang. nach Joh.

si memores simus, Christum esse Deum et hominem. Sicut Christo tanquam Deo naturalis cum Deo Patre erat necessitudo, ita ei pro natura ejus humana merito moralis cum Deo Patre attribuitur necessitudo; et iterum sicut Jesus ex parte suae naturae divinae spectatus, Deo Patri aequalis et sua potestate agens dici poterat, ita vicissim spectata naturae divinae conjunctione cum humana, et in hac conjunctione tamquam Patris legatus ad homines consideratus, utique Patre inferior, et ejus nomine atque potestate agens potuit repraesentari.

5. Dicunt porro, aliam esse hujus evangelii materialiam aliamque sermonum Christi apud Joannem in dolem, quam in reliquis tribus evangeliis. —

Concedimus, adesse diversitatem, ast inde non sequitur, adesse simul repugnantiam, quum utraque ab eodem Christo pro diversitate occasionis et adjuncrorum aliorum dici et geri potuerint; nec enim Joannes, nec reliqui evangelistae alicubi dicunt, nihil quoad Christi personam evenisse praeter ea, quae quisque eorum descriptsit.— Si porro in de less sermonum Christi apud Joannem alia est, quam apud reliquos evangelistas, causa hujus querenda est in diversitate consilii. Attamen eo non obstante plura reperiuntur, in quibus convenient; nam dicta Christi plura et doctrinae, quae a Joanne latius proponuntur, etiam in reliquis evangeliis adsunt, et saepe eodem modo referuntur.<sup>1)</sup>

6. Opponunt, adesse in evangelio hoc loca, quae pugnant cum relationibus trium evangeliorum priorum (uti 1, 43; 2, 2. et 3, 24 coll. Matth. 4, 12; Joan. 18, 12—27; coll. Matth. 26, 57—75. Marc. 14, 53—72. Luc. 22, 54—62. et Joan. 19, 14. coll. Marc. 15, 25.); nec non et in illo occurrere errores geographicos (1, 28. respectu Bethaniae trans Jordarem, et 3, 23. ubi Joannes Bapt. in Aenon baptizasse dicitur). —

<sup>1)</sup> Cf. Maier's Commentar, in das Evang. Joh. S. 103—112., Georg Maier die Echtheit des Evang. nach Joh. S. 299. ff.

Ast pugnae notatae evanescunt, dummodo justae interpretationis leges obseruentur; nominatim si ratio habeatur diversi consilii scriptoris, diversae eam rem repraesentandi atque spectandi rationis. — Nec Joannem in locis illis duobus adductis errores geographicos commisisse, sed adjunctis aetatis Christi prorsus convenienter scripsisse, probarunt accuratiora studia antiquitatum (poteratenim aetate Christi et apostolorum duplex existere oppidum Bethania; et ita etiam locus Aenon existere, etiamsi apud antiquos nulla occurrat mentio, quia tempore belli judaici poterant plures urbes, oppida et vici perire, vel postea plurium oppidorum nomina mutari. Vide commentarium in illa loca.

7. Occurrunt, ajunt, quaedam loquendi formulae, quibus Judaeus natus non usus fuisse. Sic (2, 13, 23.) festum paschatis appellatar pascha Judaeorum ( $\tauὸ πάσχα τῶν Ἰουδαῖων$ ), et (7, 2.) festum tabernaculorum ( $\eta σκηνοπῆγλα$ ) vocatur festum Judaeorum ( $\eta ἑορτὴ τῶν Ἰουδαῖων$ ); Judaeus natus simpliciter dixisset pascha, tabernaculorum (festum), illud vero: Judaeorum signum est, scriptorem habuisse illos dies festos tanquam aliquid exterum, genti Judaeorum proprium. — Porro (8, 17.) Jesum cum Judaeis sic loquentem inducit: in lege vestra, quasi Jesus ipse eidem legi non obstrictus fuisse (cf. 15, 25.) — Quod duo priora loca attinet, ideo ita loquitur, quia evangelium suum destinavit hominibus, quorum pars maxima ex ethnicismo ad religionem christianam transierat, et quia pascha, de quo loquitur, utique diversum erat a paschate christianorum. Praeterea etiam reliqui evangelistae ita loqui solent (cf. Matth. 28, 15; Marc. 15, 12; Luc. 23, 51.) Quod tandem ad verba: in lege vestra attinet, illa, quum non sint Joannis, sed Jesu Christi, nullum argumentum praebent ad evangelii hujus authentiam negandam.

## Evangelii s. Joannis integritas.

Quod ad integritatem evangelii s. Joannis attinet, tres dantur in eo partes, quas velut spurias de evangelio hoc resecandas nonnulli putant, et quidem:

1. Narratio de aquae motu per angelum fieri solito, 5, 3. a voce *ἐκδεχομένων* et versus quartus integer. —

Ast rationes dubitandi non sunt adeo solidae, ut integritati evangelii nostri derogent. Partem quidem hanc non habent codices BC et nonnulli alii cursivi (157, 314.), nec versio coptica. Iterum alii codices (D. 33..) omittunt v. 4. tantum, plures eum asterisco (signo omissionis) notant, alii obelo (signo rejectionis  $\div$ ) eum confodiunt; alii demum codices solum verba notata versus 3. omittunt.<sup>1)</sup> Attamen longe plurimi codices partem hanc habent, et agnoscitur a Tertulliano, Ambrosio, Chrysostomo, Cyrillo, Euthymio et Theophylacto. Cohaeret deinde cum reliquo textu, ita ut nil novi inferat in ipsum; tandem etiam causa potest cogitari, cur pars ista poterat deleri; cum enim in ea adasset difficultas exegistica propter angelimentionem, facile poterat criticum aliquem difficultas haec permovere ad partem istam delendam. —

2. In dubium vocata est porro pericopa de muliere adultera (7, 53—8, 1—11.).

Addubitata est autem ideo, quia deest in codicibus aliquibus (majusculis) memorabilioribus (B. L. T. et X<sup>4</sup>) et multis aliis codicibus minutioribus; in aliis (E. 14.) est notata asterisco, in aliis (S. 37.) obelo; alii iterum eam alio loco vel ad finem evangelii Joannis, vel ad finem c. 21. evangelii s. Lucae subnectunt. Omissa est porro pericopa haec in manuscriptis antiquissimis versionis Peschito, Phi-

<sup>1)</sup> Cf. Scholz N. T.

loxenianae et in coptica versione. Euthymius eam in accuratiорibus codicibus non inveniri testatur; et nullus graecorum Patrum in commentario quodam istius facit mentionem. —

Ast quamvis haec omnia testentur contra authentiam hujus pericopae; ex altera tamen parte multo plures codices eam continent, eo, quo hodie est, loco positam (D G H K M U et 200 fere codices minutiores); permulta evangelistaria eam habent; deinde etiam Hieronymus eam in multis codicibus tum graecis, tum latinis legit; adest porro in constitutionibus apostolicis, in synopsi Athanasiana et pluribus versionibus antiquis (in plerisque manuscriptis versionis latinae, in versione aethiopica, slavonica, persica); tandem agnoscitur ab Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Leone, Chrysologo aliisque. Dein etiam merito quaeri potest, quomodo in evangelium irrepserit, si non ab initio ei insita fuit? — Praeterea, si argumentum pericopae spectetur, nil inest ei, quod pharisaorum indoli, Christo ubique insidiantium, inconveniens, vel characteri Christi incongruum esset; nec etiam ullo modo nexus per illam turbatur. Deinde possunt facile cogitari causae, quae ad eam omittendam, vel asterisco signandam permoverunt librarios. Unam jam s. Augustinus (de conjugiis adulterinis 2, 7.) indicat, dum dicit, nonnullos modiae fidei... metuentes, peccandi immunitatem dari mulieribus suis, illud, quod de adulterae indulgentia Dominus fecit (scil. quod mulierem adulteram non damnaverit) de codicibus suis abstulisse. S. Ambrosius erroris incentivum metuit, si quis ea auribus otiosis accipiat. Etiam Armeni, ut Nicon refert, recitationem hujus pericopae noxiā putabant. — Hac de causa pericopa haec primum subtracta est lectioni publicae, deinde sensim ex codicibus et lectionariis est eliminata. <sup>1)</sup>)

<sup>1)</sup> Cf. Kistemacker in h. l.

3. Caput 21. totum (inde a tempore Grotii) etiam in dubium est vocatum, et quidem ob rationes solummodo internas; quia nimis lingua a loquendi modo evangelii paululum diversa est, et ob v. 24. et 25., qui alium quam evangelii auctorem prodere videntur. —

Ast cum omnes codices veteres, omnesque versiones et Patres, qui speciale commentarium in evangelium Joannis scripserunt, Joanni apostolo illud vindicent, non est, cur illud non ut authenticum agnoscatur. — Diversitas stili, quatenus adest, potest facile explicari, si statuamus, appendicem istam aliquo tempore post evangelium scriptam fuisse, cui sententiae finis capitinis 20. suffragari videtur, quum verbis istis s. auctor opus suum concludere videatur. Attamen etiam in hoc capite occurrunt quaedam voces (*μετὰ ταῦτα, φανεροῦν, πλοιάριον, οφάριον, δπου*), quae sunt Joanneae. Occurrunt porro in hoc capite narrationes rerum tali modo factae, quae testem earum oculatum fuisse docent (2—13.); dein etiam in hoc capite sanctus auctor se designat, uti alias verbis: discipulus, quem diligebat Jesus.<sup>1)</sup> Ratio autem, cur appendicem hanc ad jecerit, fuit, quia refutare volebat exortam de se opinionem, tanquam non moreretur. Quum nimis Christus Petro, cui violentam mortem in cruce praedixerat, de Joannis sorte et morte futura interroganti, dixisset: „Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te“ (i. e. esto, quod eum velim manere in vita, donec veniam ad judicium, quid ad te pertinet hoc curiosius inquirere), multi, sermonem conditionalem non attendentes, putabant, Joannem non esse moritum. Hac vero occasione usus est simul ad alia quaedam addenda. —

Quod autem ultimos duos versus (24. et 25.) attinet, etiamsi concederetur, illos ab alio (uti quidam putant, a presbyteris ecclesiae Ephesinae), quam a Joanne esse appositos, (quod tamen nondum prorsus

<sup>1)</sup> Cf. Guerike Einl.

liquidum est, quia et ipse Joannes, communicative loquens, uti poterat plurali: scimus, i. e. omnibus notum), inde haud sequitur, versus capitis praecedentes non esse ab ipso Joanne profectos.<sup>1)</sup>

### §. 9.

#### Relatio evangelii s. Joannis ad evangelia synoptica, ejusque indoles peculiaris.

Inter synoptica evangelia et Joannem maximam esse discrepantiam, jam prius (§. 7. ad n. 5.) audivimus. Discrepancia illa versatur circa materiam, quatenus Joannes historiam vitae publicae Domini statim ab initio texit, et ea quoque commemorat, quae vincula Joannis Bapt. praecedunt (c. 1—3.); quatenus porro narrat vitam publicam Christi maxime in Iudea et Hierosolymae, dum synoptici eum praeprimis in Galilaea agentem sistunt; quatenus per pauca ante passionem cum ceteris habet communia (6, 1—21.), et in passione et post resurrectionem multa peculiaria; et tandem, quatenus miraculis obiter tactis maximopere occupatur sermonibus et quidem dogmaticis, et ita lectoribus abdita et intima (*πνευματικά*) mentis Christi reddit perspicua, unde jam ab antiquis per eminentiam theologus cognominatus est, evangelium ejus autem *πνευματικόν* appellatum, dum synopticorum evangelia appellabantur *σωματικά*.

Similiter et narrandi ratio seu forma plane diversa est, sive linguam, sive stilum consideremus. Lingua enim in evangelio Joannis, praeterquam quod reliqua evangelia sua puriori graecitate antecellit, est, sicut ipsum argumentum, etiam transcendentalis, et ideo pro necessitate mox abstractis vocibus, mox imaginibus utitur. Quod ad stilum attinet, summa perspicuitate, quamvis sit simplex, res saepe ad vivum

<sup>1)</sup> Cf. Maier *Carl. Hug Einl.* 2. Th. 251.

depinguntur, et ut dicta perspicuitate gauderent, ideo quantum fieri potest, vel extenduntur, vel restrin-  
guntur, vel positivo aut negativo modo propo-  
nuntur, vel intellectus earum insertis explicationi-  
bus facilis redditur. —

Hujus discrepantiae causae sitae sunt partim in  
ipsa persona s. auctoris, partim in circumstantiis  
temporis, et in consilio libri. Joannes scilicet erat  
inter discipulos, quem Jesus, uti antiqui tradunt<sup>1)</sup> prop-  
ter perpetuam virginitatem diligebat et qui in pec-  
tore ejus recubuit; huic ergo praeprimis aperta sunt di-  
vina mysteria (aula coelestium sacramentorum, ut ait  
Ambrosius) et ideo poterat evolare ad sublimia,  
quod reliquis datum non fuerat. — Porro aderant aetate  
Joannis haeretici, qui sua falsa mysticaque scientia  
(γνωσίς) veram et genuinam doctrinam Christi pervertere  
nitebantur. Opus erat igitur, falsam illam scientiam per  
verae scientiae lumen fugare, nimirum patefaciendo  
absconditos divinae sapientiae thesauros et divinae vitae  
plenitudinem in revelatione jam facta.<sup>2)</sup> Et tandem,  
quum consilium evangelistae esset, ut fidem in Jesum  
Christum, Filium Dei, fontem luminis et vitae, confirmaret  
et roboret, utique ei talia facta et praecipue verba  
Christi eligenda erant, quae hanc veritatem praeprimis  
claram redderent.

<sup>1)</sup> Ambros. Hieron. Aug. Chrysost.

<sup>2)</sup> Cf. Reithm. Einl. S. 443. ff.

# Sanctum Jesu Christi evangelium secundum Joannem.

Titulus libri hujus in diversis manuscriptis et editionibus tum graecis, tum latinis diversus est. In quibusdam est: secundum Joannem (*χατὰ Ἰωάννην*); in aliis legitur: evangelium secundum Joannem (*εὐαγγέλιον χατὰ Ἰ.*, vel: *τὸ χατὰ Ἰ. εὐαγγ.*); in aliis iterum: sanctum evangelium secundum Joannem (*τὸ χατὰ Ἰ. ἀγιον εὐαγγ.*), in plerisque latinis codicibus: sanctum Jesu Christi evangelium secundum Joannem. In codicibus literis cursivis exaratis adhuc aliae dantur inscriptiones<sup>1</sup>). — In syriacis codicibus legitur: evangelium, sanctum praeconium Jouchanon (i. e. Joannis), quod locutus est et praedicavit Jonice (i. e. graece) Ephesi; in arabicis vero hic est titulus: evangelium sancti, magni discipuli, apostoli Joannis, filii Zebedaei, dilecti Domino nostro Jesu Christo (a Lapide). Exinde colligitur, quod titulus temporis decursu non manserit immutatus. Antiquissima denominatio videtur fuisse: secundum Joannem (*χατὰ Ἰωάννην*), uti in codice B legitur. Ex hac autem mox et sponte orta est alia: evangelium secundum Joannem (*εὐαγγέλιον χατὰ Ἰωάννην*); quod vero attinet ad reliquas inscriptiones, istas esse recentiores, docet ipse articulus in graeco et adjectivum: sanctum (*ἀγιον*). Qualem titulum ipse auctor libro praeposuerit, id certo nescitur. S. Chrysostomus (hom. 1. in epist. ad Rom.) directe affirmit, neminem evangelistarum suum nomen apposuisse; quoad sanctum Matthaeum tamen dicit, hunc evangelistam vocem: evangelium libro suo praeposuisse (hom. I. in Matth. praef.), quam vocem fors et reliqui evangelistae suis praefixerunt libris<sup>2</sup>).

<sup>1)</sup> Cf. Mart. August. Scholzii Novum Testam. graece Lipsiae 1830. vol I.

<sup>2)</sup> Hug Einleitung in die Schriften des N. T., und Ad. Maier Einleitung in die Schriften des N. T.

**E**vangelium vox graeca (*εὐαγγέλιον*), quae apud scriptores classicos ponitur de praemio, quod datur afferenti laetum nuntium, dein de ipso laeto nuntio cuiuscumque generis, (uti hebr. בָּשָׂרְךָ, est composita ex εὖ (bene) et ἀγγελος (nuntius). In N. F., quia Judaeis nullus nuntius magis laetus erat, quam de Messia et regno ejus, vox illa designat per eminentiam: laetum nuntium de Messia, de Messiae regno, historiam Jesu Messiae, doctrinam Messianam, i. e. doctrinam vel de Messia, vel Messiae, et quidem vel omnem, vel aliquam ejus partem. In inscriptionibus evangeliorum denotat vox ista historiam (vitam) Jesu Christi; est enim praefixa libro, in quo historia (vita) Jesu Christi delineatur. —

**S**anctum. Evangelium dicitur sanctum ob argumentum, omnia enim, quae continet, sancta sunt per eminentiam, scilicet sancta est Christi nativitas ex Spiritu s., sancta doctrina, sancta opera, sancta miracula, sancta passio, resurrectio etc., et dein ob finem qui est sanctificatio nostra (Luc. 1, 75.). Epitheton: sanctum, alludit ad Danielis vaticinium (9, 24), ubi dicitur, consummandas esse septuaginta annorum hebdomadas usque ad Christum, ut ungatur **S**anctus Sanctorum; atqui evangelium vi etymologiae est laetum nuntium, aut liber, in quo laetum nuntium continetur, nimirum Jesum Christum i. e. unctum Salvatorem venisse: est igitur implementum prophetiae (a Lap.) —

**V**erba: secundum Joannem (*χατὰ Ι.*) possunt, si in se tantum considerentur, indicare, evangelium hoc scriptum esse ab auctore quodam ignoto secundum Joannis narrationes; unde jam Faustus Manichaeus,<sup>1)</sup> dein recentiores quidam conjecterunt, ipsas evangeliorum inscriptiones docere, ea non scripta esse ab illis viris, quorum nomina in fronte gerunt, sed ab aliis, qui hac inscriptione declarant, se juxta illorum praedicationem scripsisse. Sed frustra sic statuitur; nam verba illa pro ordinaria sua vi, vi usus loquendi graeci denotant etiam: **e**vangelium, prout illud conscripsit Joannes, ita ut ipsum Joannem auctorem esse prodant, simulque indicent, idem argumentum ab aliis esse literis tractatum, seu a pluribus aliis evangelia esse conscripta. Sic in scholiis Villois. ad Hom. Ομηρος χατὰ Αρίσ-

<sup>1)</sup> S. August. contra Faustum 18, 2.

*ταρχον, κατὰ Ζηγνώδοτον, κατά Ἀριστοφάνην; ita et Patres graeci, quando varias veteris Testamenti versiones graecas citant, solent dicere: κατὰ τονς ἐθδομήκοντα, κατὰ Ἀκύλαν, κατὰ Σύμμαχον.*<sup>1)</sup> Veritas hujus explicationis etiam inde elucet, quod omnis antiquitas evangelium hoc sancto Joanni, tanquam auctori, adscripsit. Formula tamen ipsa originem suam debet publicis lectionibus ecclesiasticis (*ἀναγγώσεις*), in quibus lector partem ex evangelio Jesu Christi praelegendam cum hac accuratiore designatione: secundum (*κατὰ*) N. indixit. Circumscrip<sup>t</sup>io haec per: secundum (*κατὰ*) ab ecclesia electa fuit loco simplicis genitivi, partim ob initium evangelii s. Marci (1, 1.), partim quia juxta constantem N. F. usum loquendi solummodo unum evangelium regni, aut Christi, aut Dei notum erat.<sup>2)</sup>

**Jesu Christi. Nomen Jesus, formatum ex hebr.** יְהוָשׁוּב (Exod. 24, 13, et contractum יְהוָשׁוֹב (Nehem. 7, 7.) a יְהוָשׁוֹב (in forma Kal non est usitatum) salvavit, erat apud Judaeos usitatum. Nomine hoc designabatur filius Nun, qui post Mosen populum Israël traduxit in Canaan, scilicet Jehoshua, Josua, Jesus, et filius Iose deci, pontifex, qui unacum Zorobabele populum e captivitate babylonica reduxit (1 Esdr. 2, 2.). Significat autem vox Jesus vi etymologiae Salvatorem, ergo respondet voci graecae σωτήρ (salvator). Christo impositum est iussu divino: et vocabis nomen ejus Jesus (Luc. 1, 31.), velut nomen significativum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (Matth. 1, 21.), quibus ultimis verbis ratio redditur, cur Christo nomen Jesus sit imponendum. — Christus a graeco χριστός, respondet hebr. כָּרֶסֶת, aramaico אַרְמָנָה, unde graeci formabant Μεσσίας, et notat unctum. (Est vox χριστός nomen verbale a 3. pers. perf. pass. κεχρισται verbi χρίω ungo). Quia apud Hebraeos tam reges, quam sacerdotes solemnni ritu inungebantur, evenit, ut nomine hoc compellarentur reges et sacerdotes. Etiam prophetae hoc nomine designabantur; imo et de Deo haec vox adhibita est, quatenus Deus in theocratia consideratur velut rex, seu unctus gentis hebraicae. Quum autem

<sup>1)</sup> Schegg Evangel. des h. Matthäus, Rosenmülleri scholia in N. T.

<sup>2)</sup> Cf. Reithmayr Einleitung in die canonischen Bücher des N. B.

in Jesu ille apparuit, qui simul esset summus sacerdos, propheta et rex, ad quod triplex munus prorsus singulari modo unctus est, nimis Spiritu sancto propter unionem in se divinae naturae cum humana, ideo vox Christus in N. F. adhibetur per eminentiam de Jesu. Occurrit vox haec in N. F. saepe sine articulo, praecipue in epistolis apostolicis, saepe cum articulo, praecipue in narrationibus evangelicis, prouti vel tanquam nomen proprium, vel tanquam nomen dignitatis spectatur.<sup>2)</sup>.

<sup>2)</sup> Cf. Arnoldi Commentar zum Evangelium des heil. Matth., Jans. Mald. Wilke lexicon graeco-lat. in lib. N. T.

## C a p u t I.

### **Prologus** (v. 1 — 18).

**Prologus** hic constat tribus segmentis;

1) contemplatur evangelista  $\tauὸν λόγον$  in ejus aeternitate  
que ad Deum relatione (v. 1. 2.);

2) contemplatur eum in relatione ad mundum, et quidem:

a) ad mundum generatim (v. 3.),

b) ad mundum moralem speciatim (v. 4 — 13.), et quidem:

$\alpha$ ) quatenus spectat ad omnes homines (v. 4. 5. 9. 10)

$\beta$ ) quatenus spectat ad Judaeos (v. 11 — 13.),

3) Delineat adventum  $\tauοῦ λόγου$  in carne cum fructibus suis  
saluberrimis (v. 14 — 18). — Interim etiam relatio praecursori-  
ris Joannis Baptiste ad  $λόγον$  et ad Messiam juxta autopsiam  
evangelistae et proprium Baptiste testimonium adumbratur.

I. Logos in sua aeternitate et relatione ad Deum (v. 1. 2.)

V. 1. „*In principio*“ ( $\varepsilonν ἀρχῃ$ ). Verba haec non valent id ac:  
in Patre, qui est principium  $\tauοῦ λόγου$  (Verbi), erat Verbum.  
Quum enim hic loquendi modus est durior et obscurior, non in-  
telligitur, cur eo s. Joannes usus esset; dein in altero versu, quo  
tres prioris versus sententiae in unam quasi coagentur, voces:  
in principio, quae eodem modo, sicut prius sunt explicandae,  
manifestum est notare non posse: in Patre, seu in Deo, quum  
dein sensus esset: Verbum erat in Deo apud Deum, quod esset  
tautologia. (Patrit. III.). — Nec porro verba: in principio de-  
notare possunt: in principio creationis mundi (coll. Gen. 1  
1.), seu initio temporis (quum cum creatione tempus incepit);  
nam, uti statim (v. 3.) s. auctor dicit, mundus per  $λόγον$  existen-  
tiā nactus est, ideoque  $λόγος$  in mundi creatione jam existere  
debebat. Si vero Logos in mundi creatione jam extitit, in aprico  
est, eum fuisse ante mundi creationem, seu eum antecessisse  
principium mundi et temporis. — Quum vero id, quod principium

mundi et temporis antecedit, juxta usum loquendi biblicum est aeternum (v. c. Joann. 17, 5. „gloria, quam habui, ait Christus, apud Patrem antequam mundus fieret i. e. ab aeterno; Joann. 17, 24. Ephes. 1, 4. ante mundi creationem προ καταβολῆς κόσμου, i. e. ab aeterno, quum ante mundum conditum nullum esset tempus, sed sola aeternitas), patet, evangelistam verbis istis docere aeternitatem τοῦ λόγου. — Confirmamur in hac expositione aliis locis auctoris nostri (apocalyp. 1, 17; 2, 8; 22, 13.), ubi de eodem subjecto sermo est, et dicit de eo, ipsum esse primum et novissimum (πρώτου καὶ ἐσχάτου), initium et finem (ἀρχὴν καὶ τέλος), alpha et omega; atqui in his phrasibus adest ex usu loquendi biblico circumscriptio aeternitatis (cf. Jes. 44, 6; 48 12.) Porro in epistola ad Colossenses (2, 9.) omnis plenitudo divinitatis in Christo habitare dicitur, ergo et aeternitas. Hic accedit etiam doctrina ecclesiae in symbolis manifestata, quae Filium Dei ex Patre natum esse tradit ante omnia saecula. — Erat (ἦν) seu extitit. Non est s. auctor usus voce ἐγένετο, quae in aliis locis per: erat — verti potest, uti v. 6.; de homine enim dicitur ἐγένετο, de Logo autem ήν, quia ἐγένετο significat factus, ortus est; hinc voluit auctor praecavere, ne quis τὸν λόγον creatum, factum fuisse putet.

*Verbum* (ό λόγος). — Quaeritur: quid s. Joannes voce λόγος significare voluerit? — Alii putant, vocem λόγος esse merum nomen meram designationem Dei absoluti, sed huic praeter alia obstant ipsa verba primi versus: λόγος erat apud Deum (ην πρὸς τὸν Θεὸν). — Alii iterum asserunt, vocem hanc esse personificationem potentiae aut sapientiae divinae; ast huic obstat, quod evangelista Joannem, ergo concretum rationale (personam) opponit λογῳ qui igitur etiam persona sit necesse est; dein quod λόγον dicit lucem (το φῶς); porro stante hac explicatione adest intolerabilis et inconveniens polylogia: in principio erat potentia et sapientia Dei — et haec erat apud Deum — et Deus erat potentia et sapientia; paeprimis vero ei obstat v. 14., ubi evangelista λόγον incarnatum perhibet<sup>1)</sup>) — Per λόγον intelligit s. apostolus juxta s. Patres Filium Dei, secundam personam (ὑπόστασιν) divinam in ejus aeternitate

1) Cf. Bucher Lehre vom Logos.

ante incarnationem, quae in plenitudine temporis in Jesu Christo humanam naturam sibi intime conjunxerat (Mald.); quod etiam ipse contextus, tam proximus (v. 1.—4.), quam remotior (v. 14. 17. 18.) docet. Vulgata vocem *λόγος* reddit per: verbum, quod vocabulum retineri potest, si conjugatur non consueta et ordinaria significatio, sed ea, quam s. auctor in voce *λόγος* intendebat.

Quaeritur porro, cur Joannes ad designandam naturam et personam Filii Dei usus sit voce *λόγος*?

Hac in re interpretes varias sunt ingressi vias:

a) Alii vocem *λόγος* grammatici spectantes, statuunt, vocem hanc idem valere ac δ *λεγόμενος*, ergo dictus, promissus, et abstracto posito pro concreto promissum Messiam eam significare putant, ita ut valeat idem quod δ *ερχόμενος*, venturus; provocantes ad hebraeorum רכְבָנִים, quod nonnunquam ita occurrat, ut designet promissionem (prov. 12, 25.). — Sed ejus modi usus vocis *λόγος* nunquam demonstrari potest, speciatim abstractum *λόγος* nunquam potest resolvi in concretum δ *λεγόμενος*, ad summum in τό *λεγόμενον*; deinceps perspici nequit, cur ista voce nonnisi subtiliori examine grammatico penetranda in ipso operis initio usus fuisse s. auctor, cum aliae perspicuae voces ei praesto essent; tandem Messias post lapsum Adami, non vero in sua p<sup>re</sup>existentia aeterna promissus erat.

b) Alii vocem ὁ *λόγος* tanquam abstractum pro concreto positum considerantes, idem valere censem ac δ *λέγων*, et ὁ *λέγων*, respicientes in voce λέγειν significationem docendi, hinc et ὁ *λόγος* eis denotat doctorem. Dicunt hi, Christum ab evangelista appellatum fuisse λόγον, quia indicare volebat, fuisse eum novae religionis fundatorem, doctorem. — Sed hi nimis angustam sic tenent vocis *λόγος* notionem, quam ampliorem esse totus prologus docet; praeterea significatio docendi est secundaria, derivata, verbi λέγειν, et proinde obscurior, quam ut initio libri sui eam in voce *λόγος* potuisse intendere auctor, si de doctore dicere voluisse, aliae voces ei praesto erant; tandem Christus erat doctor post suam incarnationem non vero in sua p<sup>re</sup>existentia aeterna apud Patrem (cf. Bucher).

c) Alii interpretes multique Patres rem philosophice explicaturi, spectant utramque vocis *λόγος* significationem: verbi et

rationis; et quidem juxta alios<sup>1)</sup> Filius Dei vocatur verbum, quod sit divinae revelationis fons, essentiae Dei divinorumque manifestator, et quia per eum omnia creata sunt; juxta alios<sup>2)</sup> vero dicitur ratio, quod sicut ratio ex animo, ita Filius Dei a Patre ἀπαθῶς sine ulla passione (corruptione) procedat. — Sed etiam explicationi huic potest opponi, quod non intelligitur, cur Joannes suum cogitatum tam inusitato et obscuro modo expressisset; et dein, ut Maldonatus observat, ratio haec tum solum idonea esset, si Christus haec tantum verbi et filii nomina habuisset; at habebat multa, quae nullam corruptionem significabant, uti lux, veritas etc.

d) Sociniani vocem λόγος metaphorice et metonymice sumentes, dicunt, Christum vocari metaphorice verbum, quia est voluntatis divinae manifestator, metonymice vero verbum pro auctore verbi (i. e. evangelii), — Quod ad metaphoricam explicationem attinet, valent sub c. dicta.

De altera vero explicatione observandum est, eam esse rejiciendam, partim quia in prologi contextum non quadrat, partim quia textum s. mutat. Si enim; in principio sumitur: ab aeterno, sensus esset: Christus, auctor evangelii erat ab aeterno, et quidem collata altera versus primi sententia: apud Deum; quod falsum est, quia Christus ceu auctor evangelii tum erat, quem docere coepisset. — Si vero in principio explicatur per: in principio evangelii, rei christiana, oritur sensus maxime frigidus, scilicet: Christus, auctor evangelii, fuit, quem evangelium ejus praedicari coepisset; et ne subsequentia in versu 1. obstarent, vocem θεὸς in fine v. 1. in θεοῦ mutant. Tandem etiam prorsus arbitrarium est, verba in principio explicare de initio paeconii Christi (cf. Bucher). —

e) Alii iterum putant, Joannem nomen λόγος ex vetere testamento deprompsisse, ubi saepe de verbo, בְּרֵבֶר, λόγος, fit sermo<sup>3)</sup>. — Sed huic id obstarere videtur, quod ibi vox בְּרֵבֶר nunquam significet divinam aliquam personam, dum λόγος Joannis est vera persona divina, qui est in se vita et lux, qui tribuit vitam

<sup>1)</sup> Orig., Clem. Alex., Epiphanius.

<sup>2)</sup> Chrysost., Basil., Greg. Naz., Theoph., Euthym.

<sup>3)</sup> Gen. c. 1. coll. ps. 32, 9, Deut. 4, 2; 6, 6, 7, ps. 126. 146. Jerem. 1, 1, 4. 11; 2, 1; 13, 8. etc.

moralem et intellectualem, dum istud בָּבֶר est solummodo forma ejus, expressio revelationis et voluntatis divinae (cf. Bucher, Patrit. III.). Imo si etiam esset persona, differt a Logo; nam istud verbum tunc existere incipit, quum hominibus voluntatem Dei manifestat, dum λόγος Joannis aeternam habet praeexistentialiam, antequam Patris et τοῦ λόγου activitas in mundo cogitatur (cf. Bucher.).

f.) Alii porro nomen istud repetebant ex מִימְרָא דַיְהֹה (λόγος τοῦ θεοῦ, verbum Dei) chaldaeorum paraphrastarum, in quorum paraphrasibus frequenter ista formula occurrit. — Ast etiam huic explicationi obstat, partim id, quia ista formula non significat aliquam divinam personam, sed vel sermonem, vel vero est periphrasis hominum aut Dei; partim id, quia merito ad dubitari potest, illum paraphrastarum chaldaicorum usum loquendi lectoribus evangelii Joannei notum fuisse<sup>1)</sup>.

g) Nec dici potest, quod Joannes ex Platone nomen λόγος sumpserit; nam τῷ λόγῳ Platonis deest personalitas.

h) Praferenda est igitur sententia eorum,<sup>2)</sup> qui affirmant, nomen λόγος s. Joannem deprompsisse a Philone Alexandrino. Hic nimirum, doctrinam judaicam cum philosophia gentili (praeprimis Platonis) conjungens, quum juxta ejus philosophiam numini supremo (ut puro) non esse posset nexus immediatus cum hoc mundo (ut impuro), excitatus illis V. T. locis, in quibus de sapientia, ceu principio cosmicō (quatenus per eam omnia creata sunt), ethico (quatenus per eam voluntas divina manifestatur), et intellectuali (quatenus per eam prophetis notitia rerum praeteritarum, praesentium et futurarum suppeditatur) sermo est (Sap. c. 7—10.), docebat, existere principium aliquod, naturam quandum, quam masculino nomine λόγον dicebat, quo Deus usus est in mundo creando, et adhuc eo utitur in mundo conservando et gubernando, qui est nuntius et interpres voluntatis divinae, omninoque mediator inter Deum et homines. Attamen, quamvis λόγος Philonis in multis conveniat cum λόγῳ Joannis, exinde haud sequitur, Joannem ipsam suam de Logo doctrinam ex Philone deprompsisse. Est quidem etiam Logos Philonis saepe persona

<sup>1)</sup> Cf. Patrit. Bucher.

<sup>2)</sup> Mайд., Patrit., Feilmoser, Döllinger in Christenthum und Kirche, Bucher.

Deum inter et mundum, est Deus, sed secundus Deus ( $\delta\varepsilon\acute{\nu}\tau\epsilon\rho\sigma$  θεός), attamen inferior Deo absoluto, est enim medius inter Deum absolutum et creaturam; est Dei Filius, et quidem respectu ad mundum, qui est secundus Dei filius, primogenitus ( $\pi\rho\omega\tau\acute{\gamma}\eta\eta\sigma$ ); est creator mundi, sed non absolutus, nam creat et ordinat mundum jussu et juxta voluntatem Dei; est vita et lux mundi, hominum, sed est etiam fons luminis visibilis, solis siderumque, quod etiam Gnosti affirmabant; — apud Joannem e contra est  $\lambda\acute{\o}\gamma\sigma$  ens absolutum, Deo in omnibus aequalis, est verus Deus, fons et principium luminis intellectualis et moralis, illuminans omnem hominem; tandem Philo nil scit de relatione  $\tau\acute{o}\delta$   $\lambda\acute{\o}\gamma\eta\eta$  ad Messiam, nec de ejus incarnatione, dum Joannes docet,  $\lambda\acute{\o}\gamma\eta\eta$  carnem factum esse, eumque qua tales esse Messiam (cf. Maier Ev. Bucher). Quum jam haec Philonis philosophia etiam in Asia minori, ubi Joannes, in primis Ephesi, commoratus est, quia Ephesiis ob mercaturam multa cum Alexandrinis negotia erant (coll. act. 18, 24. seq.), innotescere posset, hinc et evangelii Joannei lectoribus, utpote ex gentilibus ad Christum conversis nomen  $\lambda\acute{\o}\gamma\sigma$  notum esset, Joannes haereticorum errores repulsurus, facile poterat, de Jesu Christi praexistentia locuturus, uti voce  $\lambda\acute{\o}\gamma\sigma$ . Ne vero falsae cum ea notiones congerentur, lectoresque Logon ipsius aequalem cum illo Philonis haberent, describit essentiam ejus perfecte, uti eam ab ipso Christo edocitus et a Spiritu sancto illustratus, sciverat; ita satisfacturus votis christianorum, qui profundiorem et perfectiorum de natura Messiae ejusque ad Patrem relatione cognitionem habere cupiebant.<sup>1)</sup>

*Et Verbum erat apud Deum.* Verbis his attribuit s. Joannes τῷ λόγῳ, quem ex omni aeternitate fuisse dixerat, personalitatem, qua a Patre distinguitur. Nomen Deus h. l. significat Patrem, divinam Dei Patris personam. Maluit vero s. auctor dicere Deum ( $\tau\acute{o}\delta$  θεόν cum articulo, quia loquitur de Deo christianis lectoribus noto), quam Patrem ( $\tau\acute{o}\delta$  πατέρα), quia prius non est usus voce: filius ( $\psi\acute{u}\delta\sigma$ ), sed voce  $\lambda\acute{\o}\gamma\sigma$  (Verbum). — *Apud Deum.* Praepositio graeca πρός in s. literis exprimit notionem societatis et directionis; societatis notionem.

<sup>1)</sup> Cf. Dr. Georg K. Mayer: Das ewige Wort des Ewigen S. 1—19.

ubi cum verbo quietis construitur, esse apud aliquem; directionis notionem, ubi cum verbo motus construitur. Sic. h. l. significat: esse apud Deum, ita ut idem valeat ac: παρὰ cum dativo. Potuisset quidem s. auctor ad eandem intimam conjunctionem indicandam dicere: in Deo (*ἐν τῷ θεῷ*), sed noluit, ne ambigua esset ejus sententia, quia cogitari potuisset, adscribi τῷ λόγῳ ab auctore non solum essentiae, sed et personae unitatem cum Deo Patre. Quum autem adhibuit πρὸς, apertius ostendit, se λόγον, licet quoad essentiam cum Patre unum, quoad personam tamen ab eo discernendum sistere voluisse. — *Et Deus erat Verbum.* Sententia hac ad supremum gradum ascendit, Logo eandem cum Patre divinitatem attribuens. In propositione hac subjectum est Verbum (*ὁ λόγος*), Deus vero praedicatum; nam totius prologi principale subjectum est Verbum (*ὁ λόγος*), proin et hic illud esse cendum; dein pronomen hoc (*όντος*) in altero versu vocem Verbum (*ὁ λόγος*) in sententia ista velut subjectum accipi postulat, quod respicit. Praemisit vero praedicatum subjecto auctor, ut gravius, vividiusque sententiam exprimeret uti alias (4, 24.). Explicatio haec consentit cum ecclesiae doctrina, quae in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano unitatem divinitatis, et trinitatem in personis docet.<sup>1)</sup> — Non nulli divinae naturae τοῦ λόγου adversarii, post verba: Deus erat (*θεὸς ἦν*) ponunt punctum. Ast huic pungendi rationi obstat antiquissimus hunc locum legendi et pungendi modus; dein ineptus prodit sensus, quum haud opus est asseverare, Deum esse, quia de hoc nemo dubitabat, imo et ipse supponebat, dum diceret, Verbum (*τὸν λόγον*) fuisse apud Deum (Mald.). — Iterum alii (Sociniani) ipsum textum mutare voluerunt, nominatum Deus (*θεὸς*) in genitivum Dei (*θεοῦ*) immutantes, ita ut Logos Dei fuisse diceretur. — Sed ita loquendo, quum omnia sint Dei, nil peculiare dixisset; dein huic legendi modo obstant omnes codices, versiones et Patres. — Alii porro post: erat (*ἦν*) inserunt: et (*καὶ*), ita ut esset: et Deus erat et Verbum; qua lectione non τοῦ λόγου divinitas, sed existentia praedicaretur. — Ast etiam huic lectioni obstat antiquissimus legendi mos; dein stante hac lectione oritur inanis et languida oratio, cum auc-

<sup>1)</sup> Cf. Mald., a Lap.

tor extitisse diceret tum Deum, tum  $\lambda\circ\gamma\circ\nu$ , quod jam prius asseruit.

Quidam acatholicorum recentiores cum Arianis consentientes docent, vocem  $\vartheta\circ\delta\circ\varsigma$ , quum hic sit absque articulo, non consueto suo significatu, sed ita accipiendam esse, ut designet naturam quidem sublimiorem Deoque summo proximam et simillimam simulque cum eo conjunctissimam, tamen ipso inferiorem (ad instar  $\vartheta\circ\o\circ\tilde{\nu}$  Philonis). — Sed explicatio haec rejicienda est; nam s. Joannes aequae ac reliqui auctores N. T. vocem  $\vartheta\circ\delta\circ\varsigma$  sine articulo eodem modo de numine summo constanter adhibent, uti vocem  $\delta$   $\vartheta\circ\delta\circ\varsigma$ .<sup>1)</sup>

Nec porro sufficit dicere (Mald., Patrit.), auctorem ad vocem  $\vartheta\circ\delta\circ\varsigma$  hanc ob causam non apposuisse articulum, quia  $\vartheta\circ\delta\circ\varsigma$  est praedicatum; nam etiam praedicatum quandoque articulum habet<sup>2)</sup>. Potius articulum evangelista omisit ideo, quia monere voluit, notionem  $\vartheta\circ\delta\circ\varsigma$  non prorsus eandem esse, sed aliquid diversitatis in persona, quae in proxime praecedenti  $\tau\circ\delta\circ\nu$   $\vartheta\circ\delta\circ\nu$  latet. Si dixisset:  $\chi\circ\alpha\circ\delta$   $\vartheta\circ\delta\circ\varsigma$   $\chi\circ\nu$   $\delta$   $\lambda\circ\gamma\circ\circ\varsigma$ , vocem  $\lambda\circ\gamma\circ\circ\varsigma$  ceterum qua subjectum spectans edixisset,  $\lambda\circ\gamma\circ\nu$  eundem Deum esse, quem in praegressa sententia non quoad essentiam quidem, quoad personalitatem tamen per voculam  $\pi\circ\rho\circ\delta\circ\varsigma$  a  $\tau\circ\phi\circ\lambda\circ\gamma\circ\varphi$  distinxerat, et sic distinctionem illam quoad personalitatem ipse sustulisset. Ne hoc fieret, debuit articulum omittere, quo facto hic prodit sensus: Logos iste, qui apud Deum erat, et proinde quoad personalitatem ab eo distinguendus est, ipse etiam est Deus, et hac ex parte quoad essentiam cum eo est unum, seu ei consubstantialis: „Non solum erat Verbum apud Deum, ait s. Cyrillus, sed erat etiam Deus; ut ex eo, quod est apud Deum, alias Patre esse cognoscatur, ex eo vero, quod est Deus, consubstantialis Patri esse intelligatur.“<sup>3)</sup>

V. 2. Hoc versu colligit s. auctor tres sententias versus primi in unam, et sensus est: Hoc Verbum ( $\lambda\circ\gamma\circ\circ\varsigma$ ) quod Deum esse dixi, ab aeterno erat apud Deum. — Propositio haec non est mera repetitio priorum, sed voluit apostolus lectorum at-

<sup>1)</sup> Cf. 1, 6. 12. 13. 18; 3, 2 21; 6, 45; 9, 33; 13, 3; 16, 30. Rom. 1. 7. 16. 1 Cor. 1, 18. 2 Cor. 5, 13. Gal. 2, 19.

<sup>2)</sup> V. c. 2 Cor. 3, 17. Matth. 6, 22. Marc. 6, 3. Joan. 4, 42.

<sup>3)</sup> Cf. a Lapide.

tentioni medium sententiam versus 1. praecipue proponere, ut, quum in sententia ultima primi versus Logon appellaverit Deum, memores maneant, eum, licet sit ipse quoque Deus, quoad personam tamen a Patre discernendum esse, nam ab aeterno erat, apud Patrem, tanquam diversa a Patre persona; porro transire voluit ad monstrandam in subsequentibus relationem τοῦ λόγου ad mundum; opportunum itaque erat, partem prologi eam, qua λόγον sistebat extra illam relationem, finiri cum verbis relationem ejus ad Patrem exprimentibus.<sup>1)</sup>

2.) Verbum (*λόγος*) in relatione ad mundum, et quidem  
a.) ad mundum generatim.

V. 3. Versu hoc incipit alterum prologi segmentum (3 — 13.), in quo primum (v. 3.) relatio Verbi (*τοῦ λόγου*) ad mundum generatim monstratur eique tribuitur mundi universi creatio. — *Omnia* i. e. mundus, universum, et quae in eo sunt, homines et angeli (act. 17, 24.), visibilia et invisibilia (Col. 1, 16.) per Verbum (*τὸν λόγον*) sunt creata, per eum existentiam habent. — Perperam ex his verbis Macedoniani Spiritus s. divinitatem negantes, inferebant, ipsum Spiritum s. per Verbum esse creatum; omnia enim refert tantum ad ea, quae facta seu creata sunt, Spiritus s. vero non est factus seu creatus (a Lap.). — In verbis: omnia facta sunt est sententia principalis, quod omnia habeant initium, nilque ab aeterno existat; in verbis: sine ipso factum est nihil, est sententia principalis Verbum est unicus et universalis creator. — Dicit: omnia et non, omnes, ut intelligatur, eum non de hominibus tantum, sed de quibuscumque creaturis cogitasse, sive corporalibus, sive spiritualibus, sive visibilibus, sive invisibilibus.<sup>2)</sup> — Et sine ipso factum est nihil; qua sententia negativa idem exprimit, ut major adsit perspicuitas ac gravitas, qualis dicendi ratio Joanni usitata est. — Sic ergo apostolus Verbo (*τῷ λόγῳ*) non modo visibilis mundi creationem, sed etiam invisibilis, moralis, spiritualis tribuit. Si jam omnia per Verbum creata sunt, sponte sequitur, mundum corporeum non esse conditum a principio malo, a daemone, uti Manichaei sentiebant. — Nihil; οὐδέ εὐ pro οὐδὲν, quod idem ac nihil, sed fortius graviusque sonat. — Per ipsum

<sup>1)</sup> Cf. a Lap., Maier.

<sup>2)</sup> August. Mald.

(*δι' αὐτοῦ*), et non, uti nonnulli vertunt: propter ipsum nam διὰ cum genitivo nunquam denotat propter, sed semper: per; quam significationem h. l. etiam ipse contextus et mutua membrorum oppositorum ad se invicem relatio poscit. — Ast, dum s. auctor h. l. dicit: per Verbum (*τὸν λόγον*) cuncta esse creata, non ita intelligendum est, ac si Verbum (*λόγος*) juxta Joannis sententiam fuisse merus minister, organon et instrumentum Dei, quo Deus in mundo creando usus est, uti Ariani dignitatem Verbi inferiorem affirmantes dicebant, sed ita, quod Verbum fuerit causa efficiens, immediata in mundo creando. (Ita διὰ etiam de Deo Patre adhibetur, 1 Cor. 1, 9.). Ast quum non dicit: a Verbo (*ἀπό τοῦ λόγου*), sed per Verbum (*διὰ λόγου*), sat clare indicat, Verbum non fuisse absolutum mundi creatorem, exclusis Patre et Spiritu s., quum creatio totius trinitatis est opus, sed interventu ejus fuisse mundum creatum. Relationem jam Verbi ad Patrem in mundo creando ita possumus nobis cogitare; Mundus est ex Patre (*ἐξ πατρὸς* Rom. 11, 36.), seu a Patre creatus, tanquam causa prima ideali, seu universi idea et conceptus ejusque creandi voluntas est ex Patre. Omnia iterum sunt per Filiū (*δι' νίου, λόγου*), tanquam causam effectricem, quatenus haec Patris de universo idea per Filiū (Verbum) sortita est effectum<sup>1</sup>). — Inde vero etiam intelligitur, Verbum, per quod omnia creata sunt, non esse merum ministrum aut instrumentum, sed in se verum mundi creatorem. Quum enim Verbum Deo Patri est consubstantiale, utique etiam in eo erat eadem universi idea ejusque creandi voluntas, quae primitus in Patre erant, quae idea postea per Verbum, et quidem propria ejus virtute effectum sortita est.

b.) Relatio Verbi ad mundum moralem, speciatim ad homines, et quidem a) ad omnes homines (v. 4. 5. 9. 10.)

V. 4. Verbis versus hujus ab evangelista proponi relationem Verbi ad homines, docet altera versus pars: vita erat lux hominum.

*In ipso vita erat*, i. e. in Verbo erat vita perfectissima, divina, aeterna, quae causam existentiae in se habet. — Exinde vero, quia vita Dei non solum est vita et motio ad intra, sed

1) Cf. Adalb. Maier Comment.

C. T. V. 4

etiam principium et vis agens ad extra, sponte consequitur, Verbum etiam posse esse causam seu fontem vitae hominis. Verbum jam est causa, fons vitae hominis, et quidem, quum homo constat ex corpore et spiritu, fons hominis vitae tum corporalis, tum spiritualis. Verbum est fons vitae corporalis, quatenus est auctor vitae hominis physicae (act. 3, 15.), quae vita in statu hominis originario erat vita plena voluptatis, gaudii, virtutis, immortalis; ast etiam post lapsum hominis Verbum remansit fons vitae hominis physicae, quatenus homo lapsus per ipsum in vita conservatus est, ipsumque est, quod virtute sua dat hominibus vivere, durare et permanere in vita, qualis facta est per illum lapsum. — Verbum porro fons est etiam vitae hominis spiritualis, quae consistit in volendo et cognoscendo, quatenus per illud pervenerat homo ad conscientiam sui, et quatenus ante lapsum per sanctitatem et justitiam, in quam per Verbum constitutus erat, quoad voluntatem et cognitionem in intima cum Deo unione et harmonia vixerat, unde summam hauriebat beatitatem. Sed etiam post lapsum, per quem voluntas hominis infirma reddit, intellectus vero obfuscatus est, remansit Verbum fons vitae hominis spiritualis, quatenus per istud est possibile factum, ut homo amissam vitam spiritualem, imo et vitam aeternam, beatam, recipiat.<sup>1)</sup> — *Et vita erat lux hominum.* Sicut Verbum erat et est vera vita seu fons vitae hominis spiritualis, ita est istud etiam speciatim fons omnis verae cognitionis, quatenus rationem hominis illustrans eam aptam reddit ad res divinas cognoscendas. Lapsu quidem protoparentum ratio (intellectus) hominis obfuscata est, ut voluntas infirma reddit fuerat; sed Verbum rationi obfuscatae erat lux illuminans, quae se in variis Dei revelationibus manifestabat sive revelationes hae sitae fuerint in ipso homine, in dictamine conscientiae, sive in positivis manifestationibus prophetarum a Deo missorum. Tanquam dictamen internum lucebat Verbum (ut λόγος σπερματικός) jam ante incarnationem in ethnicismo et judaismo, quatenus effecit, ut in hominis mente semper adesset conscientia Dei et culpae, lexque divina in conscientia agnosceretur et desiderium Messiae jam in paradiſo promissi conservaretur. — Hujus explicationis veritas confirmatur etiam

<sup>1)</sup> Cf. Maier, Bucher.

per antiquos ecclesiae Patres et interpretes<sup>1)</sup> qui omnes revelationes divinas A. T., sive verbis, sive prodigiis factas, ad Dei Filium, Verbum, referunt. Docente s. Justino mart.<sup>2)</sup> Verbum etiam inter gentiles excitavit praeclaros viros, qui ut lumina suis coaevis praelucerent, quatenus lux Verbi splendidius in iis, quam alias fulgebat, sive isti ut sapientes stricto sensu, sive ut principes illustrati lux fuerint populorum suorum.<sup>3)</sup> Ex quo simul intelligitur. Verbum h. l. dici lucem ( $\varphi\omega\varsigma$ ) sensu improprio, quatenus est principium, fons et auctor omnis verae cognitionis. Sic in Verbo ( $\lambda\circ\gamma\varphi$ ) impleta videmus, quae in A. T. de sapientia tanquam principio ethico et intellectuali leguntur (Sir. 24, 26. 32, 40 44. Sapient. 7, 26. 28. —).

**Nota.** Fuerunt inter antiquos nonnulli, qui versum 3. et 4. ita conjungebant: Verba: quod factum est, separando a prioribus et conjungendo cum subsequentibus, legebant: quod factum est in ipso vita erat; quae verba Manichaei ita exponebant: quod factum est in ipso i. e. per ipsum, vita erat, i. e. vivebat, quasi aliquid esset, quod vita careret, quod factum quidem fuisset, sed non per ipsum factum esset. — Eunomiani et Macedoniani ita ea exponebant: quod factum est in ipso i. e. Spiritus s. qui per ipsum factus est, vita erat. — Alii: quod factum est, in ipso vita erat i. e. non in se, sed in Verbo vitam habebat.<sup>4)</sup> Sed quum plurima textus monumenta nostram exhibit lectionem eaque etiam ob suam simplicitatem characteri hujus prologi magis conveniens est, et quum porro durum esset vocem vita ( $\zeta\omega\eta$ ) prima vice significatu passivo, altera vero activo accipere, lectio nostra praeferenda est (Mald.).

V. 5. **Et lux i. e.** Verbum; nam in voce lux hic magis spectata estnotio concreti. — **In tenebris.** Vox  $\sigma\chi\omega\tau\alpha$ , uti  $\tau\delta\sigma\chi\omega\tau\varsigma$ , denotat caliginem, tenebras seu lucis absentiam, defectum, habet ergo notionem negativam; ad spiritualia translatum designat: ignorantiam, defectum cognitionis veri, quia vero causa ignorantiae veri docente s. scriptura (Rom. 1, 20. seq.) est perversitas homi-

<sup>1)</sup> August. ad h. l., Chrysost. in hom. 7., Clem. Alex. in cohortat. ad gentes, Orig. in praedicat. apost., Tertull. de praescript. 13., ad Marcion. II, 27., Justin. mart. in dial. cum Tryph. c. 60., Ambros. de fide c. 5.

<sup>2)</sup> In apolog. maj. ad Anton. Pium c. 46.

<sup>3)</sup> Cf. Veith Der verlorne Sohn. Das Leben Jesu Christi §. 5.

<sup>4)</sup> August., Beda.

nis, impuritas spiritualis, ideo tenebrae praeter ignorantiam designant etiam perversitatem et impuritatem spiritualem tum quoad intelligendi tum sentiendi et volendi facultatem. Hic loci per tenebras intelligit homines, qui in ignorantia rerum divinarum et peccatis (tanquam in elemento) vivebant (cf. Eph. 5, 8.). — **Lucet** praesens; inde tamen non sequitur, jam non esse sermonem de tempore eo, de quo prius agebatur, proxime sequens verbum: comprehendenderunt (*χατέλαθεν* in aoristo) contrarium docet. Posuit praesens, quia indicare voluit **perennitatem** activitatis Verbi seu lucis. — Quomodo homines facti sint tenebrae, non docet, sed ut notum supponit. Homines nimirum maximam partem non sunt secuti ductum (monita) Verbi, sed suas cupiditates, quo factum est, ut in turpissima prolapsi sint scelera. Per vitam vero hanc impiam factum est, ut eorum vera de Deo cognitio obnubilaretur, imo loco Dei immortalis colere inciperent simulacra corruptibilis hominis et animalium (Rom. 1, 20. seq.). Peccatum enim, quod est **practica** Dei oblivio et negatio, mox excipit oblivio et negatio intellectus (cf. 1 Tim. 4, 19.) — **Et tenebrae;** abstractum pro concreto sunt, uti supra, ipsi homines in tenebris viventes. — **Non comprehendenderunt** i. e. comprehendere noluerunt; seu: ethnici et Judaei internis Verbi inspirationibus et admonitionibus obsequi noluerunt. — Attamen quod s. auctor in universum dicit, restringendum est ita, ut de maxima hominum parte intelligatur. Nam non fuit evangelistae incognitum, etiam ante adventum Christi in terram, extitisse homines pios, in quibus lumen illud non sine fructu erat.

V. 6. Dum dicit, Messiam (Verbum) ut lumen illuminans non fuisse susceptum, recordatur erroris discipulorum Joannis Baptiste, qui non Jesum, sed Joannem Bapt. esse Messiam crederent<sup>1)</sup>. Quapropter interrupta posteriori de Verbo doctrina, loquitur de ejus praecursore, de Joanne B., clare proponens causam missionis et adventus ejus, nec non et discriminem inter utrumque (Maier, Buch.). **Fuit** (*ἐγένετο*). De Verbo dixit ἦν (erat), quod exprimit aeternum esse, quod caret omni praeterito et futuro, quod est supra omnem temporis differentiam; de Joanne vero adhibet *ἐγένετο* (ward), quod indicat τό esse in tem-

<sup>1)</sup> Pseudo-Clementis recognit. I, 54. act. 19, 1—8; 18, 24. 25.

pore. — **Homo**; Verbum dixerat prius (v. 1.) Deum. — **Missus a Deo** i. e. legatus Dei, non ipse Deus. — **Cui nomen Joannes**. De parentibus, origine, missione divina, et munere legitur in Luc. 1, 5—25; 3, 1—21. Matth. 3, 1—17. Marc. 1, 1—8. Matth. 11, 2—19; 14, 2—12. Marc. 6, 17—29. Praecipuam ejus muneris partem spectandam praebet etiam noster auctor (1, 19. seq. 3, 13. seq.). Summatim autem haec delineat v. 7. et 8.

V. 7. *Venit* i. e. prodiit. Graecum enim verbum *ἐρχεσθαι* in N. T. in tali nexu, uti hic de viro a Deo allegato adhibitum, significat **prodire**, in publicum **venire**. — *In testimonium* i. e. testimonii causa. Praepositio graeca *εις* indicat finem. — *Ut testimonium perhiberet de lumine*, i. e. ut auctoritate sua, tanquam auctoritate divini legati, hominibus persuaderet, Jesum esse lumen illud, quod a mundi initio in tenebris lucebat, eum esse Messiam. — Verbis his indicat, qualis testimonii causa prodierit. — Per lumen (*φῶς*) hic esse idem intelligendum, de quo prius (v. 5.) sermo erat, jam docet articulus in graeco (*τὸ φῶς*); per vocem lumen autem intelligendum esse concretum personale, ipsum Verbum (*τὸν λόγον*), docet collatio versuum 9—12. cum v. 4. et s.; porro patet id ex v. 8., quo evangelista praecavere conatur, ne cogitent lectores, ipsum Joannem Bapt. fuisse lumen; quum vero abstractum cum concreto seu persona non potest confundi, sed tantum persona cum persona, ex eo ipso, quod praecavere conatur, ne lumen confundatur cum Joanne Bapt., intelligitur, loqui evangelistam de persona. — *Ut omnes crederent per illum* i. e. ut auditio ejus testimonio homines, dum prodierit lumen illud seu Verbum incarnatum, hoc tanquam Messiam cognoscerent susciperentque et disciplinam ejus amplecterentur (cf. 5, 34.). Vox: omnes pro rei natura ad eos restringenda est, quibus fuit occasio testimonium Joannis percipiendi, sive immediate, sive mediate.

V. 8. *Ille*, scilicet Joannes. — *Lux* (*τὸ φῶς*) i. e. illa prius (v. 4. 5. et 7.) descripta lux, seu lux per eminentiam (Verbum); erat, uti postea (5, 35) dicit, lucerna ardens et lucens. — Adposuit hoc (scil. non erat ille Iux), quia (coll. 3, 26.) inter Joannis Bapt. discipulos etiam tales fuisse sciverat, qui non Jesus, sed Joannem Bapt. Messiam esse putarent, et ideo aegre ferrent Christi in dies crescentem auctoritatem; quapropter co-

natur Joannem quoad dignitatem Christo inferiorem monstrare.  
— Sed, scil. prodiit ( $\gamma\lambda\theta\epsilon\nu$  ex v. 7.).

V. 9. Versu hoc reddit evangelista ad prius interruptam de Verbo doctrinam, et v. 9. annectit suum sermonem versui 4., versu 10. autem versui 5., ita tamen, ut cogitatus v. 9. expressus in antithesi sit ad dicta v. 6—8., quatenus de Verbo affirmat, quod versu 8. Joanni abjudicabat.

*Erat* ( $\beta\nu$ ) scil. Verbum ( $\lambda\delta\gamma\sigma\varsigma$ ); lux ( $\tau\delta\varphi\bar{\omega}\varsigma$ ) est praedicatum, cuius subjectum est aliquis alias, distinctus a  $\tau\varphi$  ille ( $\epsilon\xi\xi\bar{\nu}\varsigma\varsigma\varsigma$ ) v. 8., scilicet Verbum ( $\lambda\delta\gamma\sigma\varsigma$ ), quod etiam masculinum: eum ( $\alpha\dot{\nu}\tau\delta\nu$ ) v. 10. et 11. indicat. —

*Lux vera.* Verbum ( $\lambda\delta\gamma\sigma\varsigma$ ) non dicitur lux vera in antithesi ad falsum lumen; Joannes enim non erat falsum lumen, sed ideo, quia Verbum est lux primigenia, non derivata, absoluta, non lucis particeps, sed propria virtute lucens, fons et auctor omnis luminis spiritualis. — Talia lumina derivata, dependentia: lumen a Verbo participantia, haurientia, erant apud gentiles viri nonnulli eximii, apud Judaeos vero prophetae, tandem Joannes Bapt., qui solum erat lucerna ardens, nimirum a fonte luminis, a Verbo, accensa (5, 35.). Quare recte scribit s. Augustinus; „Joannes non illuminatus, tenebrae (fuit), et illuminatus, factus est lux“. — Additur igitur vox: *vera*, ut ostendatur discriminem Joannem inter et Verbum, de quo ipse testimonium ferebat. — *Quae illuminat omnem hominem*, suppeditando nimirum hominibus donum cognitionis Dei rerumque divinarum et alias illuminationis gratias, quae hominem ad lumen, Verbum, dirigunt et trahunt, et quidem jam eo momento, quo nascitur. Addit enim: *Venientem in mundum* i. e. dum venit in mundum, seu eo ipso momento, quum nascitur. Phrasis *venire in mundum* ( $\xi\rho\chi\acute{\epsilon}\sigma\theta\alpha\tau\acute{\epsilon}\iota\varsigma\tau.\zeta\delta\sigma\mu\varsigma\varsigma\varsigma$ ), quae respondet rabbinicae formulae:  $\square\bar{\nu}\bar{\nu}\bar{\nu}\bar{\nu}\bar{\nu}$ , significat nasci (ad instar germanorum: zur Welt kommen). Si ita explicetur phrasis, nulla adest tautologia, quia verbis istis solummodo nova nota distinctiva istius luminis profertur, nimirum lumen illud illuminare omnem hominem jam eo ipso momento, quo nascitur. — Joannes contra non illuminavit omnes homines, sed solum eos, qui eum audierunt, nec ex iis omnes. Repetitur itaque versu hoc cogitatus, quem v. 4. expresserat. — Multi alii interpretes participium graecum ( $\xi\rho\chi\acute{\epsilon}\mu\varepsilon\nu\varsigma\varsigma\varsigma$ ), quod an-

tiqui graeci et latini interpretes, versio Peschito et Vulgata, aliique interpretes recentiores connectunt cum voce: hominem (*ἀνθρωπον*), comma post vocem hominem (*ἀνθρωπον*) ponentes, conjungunt tanquam nominativum neutrius generis cum voce: lux (*φῶς*), et ita vertunt: erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, veniens in mundum i. e. venturus in mundum; participium *ἐρχόμενος*, quod saepe de Messia adhibetur, significatu futuri sumentes<sup>1</sup>). Alii vero verba: veniens in mundum, explicant de publico Jesu inter homines proditu, per mundum intelligentes mundum hominum seu homines. — Etiam stante hac lectione apta adest antithesis ad v. 8., et dogma de Verbo intactum manet; quapropter hunc legendi modum nec Maldonatus, a Lapide, Calmet, Toletus, Patritius ut erroneum sistunt.

V. 10. Subjectum hujus versus est illud ipsum, quod praecedenti versu; sed evangelista nomini: lux (*τὸ φῶς*) in mente sua jam substituit nomen Verbum (*λόγος*) velut synonymum, prout ex pronomine masculino *αὐτὸν* cognoscitur, coll. v. 14., ubi aperte ponit Verbum (*λόγος*). —

*In mundo erat et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Mundus (*ζόσμος*) denotat primo universum, rerum universitatem, adjuncta notione imbecillitatis et corruptibilitatis, dein metonymice (continens pro contento): hominum mundum, homines tanquam partem totius universi nobilissimam (Joan. 3, 16. 17.); tandem homines perversos, mundo deditos, rebus terrenis inhiantes et divina non sapientes (Joann. 1, 29; 6, 33. 52; 7, 7; 12, 31. aliasque<sup>2</sup>). — Prima vice denotat universum unacum mundo hominum; altera mundum tanquam rerum universitatem; tertia homines perversos, ob addita: non cognovit Sententiae, quum inter eas juxta usum loquendi hebraicum dependentiae relatio habeat locum, sibi sunt coordinatae; clarius ita essent exprimendae: Quamvis in mundo erat (nimirum efficiencia sua, homines illuminando, coll. v. 4. et 5.), et mundus vel per ipsum factus est, mundus (multitudo hominum perversorum) tamen illud (scil. Verbum) non cognovit i. e. noluit cognoscere agnoscere, quis esset, seu vocem ejus in eorum conscientia reso-

<sup>1)</sup> Cf. Adalb. Maier

<sup>2)</sup> Cf. Patrit. II. 27.

nantem, illustrationes ejus internas et influxum, hinc et existentiam ejus in mundo agnoscere noluerunt<sup>1</sup>). — Alii cum Maldonato verba versus 10. explicant de existentia Verbi post ejus incarnationem; et iterum horum alii ea de existentia Verbi post incarnationem, sed ante ejus proditum in publicum, alii vero de existentia ejus post incarnationem simulque post ipsius proditum in publicum accipiunt. Horum omnium ratio praecipua haec est, quod non intelligitur, quomodo ante incarnationem aut debuerit aut potuerit Verbum mundus (homines perversi) agnoscere. Nam quamvis Deum unum ex opificio mundi, uti ait Paulus (Rom. 1, 19 20.) cognoscere potuit, certe Verbum, id est personam Verbi non potuit. — Sed recte observat Cornelius a Lapide, Joannem culpare mundum, quod Verbum non qua Verbum (Dei Filium), sed qua Deum mundi creatorem non cognoverit. Porro explicationi horum obstat id, quod evangelista de incarnatione v. 14. agat, ante illum vero de activitate Verbi ante incarnationem.

V. 11. *In propria venit.* Per propria seu sua ( $\tau\alpha \ i\delta\alpha$ ) nonnulli<sup>2</sup>) intelligunt orbem terrarum, mundum, generatim, qui, quum ab eo factus, ipsius est; per vocem vero sequentem: sui ( $i\delta\alpha\iota\iota\omega\iota$ ) intelligunt ipsos homines. Ast quum nomen: propria ( $\tau\alpha \ i\delta\alpha$ ) opponitur mundo, rectius alii<sup>3</sup>) per istam vocem intelligunt gentem Judaeorum. Stante enim hac explicatione evanescit tautologia, quae adest, si per propria ( $\tau\alpha \ i\delta\alpha$ ) intelligatur orbis terrarum, et per suos ( $o\iota \ i\delta\alpha\iota\iota\omega\iota$ ) homines generatim. Postquam nimirum s. auctor in praecedentibus locutus fuerat de activitate Verbi ante incarnationem generatim in genere humano, versu hoc et sequentibus duobus (12. et 13.) speciatim agere incipit de Verbi activitate in populo Judaeorum, in quo peculiari modo suam ante incarnationem activitatem manifestabat, quatenus hunc populum in populum peculiarem elegerat, ut, dum alii populi, Dei veri oblii et in idolatriam delapsi essent, in hoc populo fides in unum verumque Deum conservaretur; quapropter cum Abraham foedus erat initum posterique vero ejus peculium

<sup>1)</sup> Chrysost., August. ceterique graeci et latini, a Lap., Adalb. Maier, Massl., Bucher.

<sup>2)</sup> Mald.

<sup>3)</sup> Chrysost., August., Calmet, Patrit., Adalb. Maier, Massl.

(עַם קָנִים) et haeredes Verbi sunt facti, ex quibus sit Messias proditurus<sup>1</sup>). Qua de re ipsa Sapientia apud Siracidem<sup>2</sup>) dicit, se ex ore Altissimi egressam, peragratim rebus omnibus a Deo conditis ac terrarum regnis denique in Israële stetisse, posito ibi domicilio. — In hoc populo Verbum activitatem suam continuo exserebat, quum partim legem ei per Mosen dando voluntatem suam manifestaret, partim variis temporibus prophetas mittendo ad legis observantiam admoneret, aut adventum Messiae, jam protoparentibus promissi (Gen. 3, 15.) eo frequentius curatiusqne annuntiari jusserrit, quo magis appropinquaret tempus adventus ipsius<sup>3</sup>). - - *Et sui eum non receperunt* i. e. et plerique (non omnes obversum sequentem) istius populi illud (scil. Verbum) non exceperunt; migrabant nimirum leges divinas, non curabant monita prophetarum, potius eos vexabant, vitae eorum insidiabantur, imo eos necabant.<sup>4</sup>) — Alii contra interpretes, qui versum hunc et v. 12. de Verbi activitate post incarnationem exponunt, verbum venit (χλθεν) accipiunt de adventu Verbi in carne et de ipsis prodiitu in publicum; et verba: non receperunt explicauit per: non receperunt Verbum per fidem, scil. credendo in illud. — Sed explicationi obstat id, quia evangelista postea demum v. 14. incipit loqui de incarnatione Verbi.

V. 12. *Quotquot* i. e. quicumque hominum, sive Judaei, sive gentiles, scil. Verbum exceperunt. Vox enim *quotquot* (ὅσοι) generatim de omnibus hominibus, non solum de Abrahami posteris, de Judaeis, intelligenda est. — Ast verbum recipere (λαμβάνειν) aliter debet sumi respectu gentilium, aliter respectu Judaeorum. Respectu gentilium dicitur: receperunt de iis, qui monita Verbi in eorum conscientia resonantia, internas ejus inspirationes curabant; respectu Judaeorum vero, qui positivas et speciales revelationes Verbi habebant, dicitur: receperunt de iis, qui Messiam avide exspectabant, adventumque ejus credebant, quapropter etiam explicationis causa addit: iis, qui credunt in nomen ejus i. e. qui credunt in ipsum<sup>5</sup>). — *Receperunt*

<sup>1)</sup> Gen. 22, 18; 26, 4; 28, 14; 49, 9. 10.

<sup>2)</sup> 24, 5. 8. 9. 13. 15.

<sup>3)</sup> Cf. Ad. Maier, Bucher.

<sup>4)</sup> Jerem. 20, 2; 32, 2; 33, 1.

<sup>5)</sup> Cf. Ad. Maier.

(έλαβον = παρέλαβον) v. 11. — *In nomen ejus* i. e. in eum. Vox enim *nomen* (*δυομα*), ut hebr. ον metonymice dicitur de ipsa persona, seu essentia unacum attributis (dignitate)ejus.

*Potestatem filios Dei fieri* i. e. vim et facultatem ut possent, si vellent, fieri filii Dei. Filii Dei, graece: (τέκνα θεοῦ) quod est propriæ: liberi (proles) Dei, cuius loco alias occurrit νέοι τοῦ θεοῦ (filii Dei). Solent vero in s. literis filii alicujus nominari, si cum eo similitudinem habeant, si indolem ejus referant (Matth. 5, 45.). Quum tales simul illi, cuius indolem referunt, sint accepti et dilecti, ideo verba: filii Dei denotant id ac: Deo similes, accepti et dilecti. Jam vero Deo, qui est sanctissimus et beatissimus, similes sunt illi, quorum vita est sancta, a peccatis purgata, conformis voluntati divinae; tales sunt Deo accepti et dilecti. Haec charitatis Deum inter ejusque liberos relatio hosce jam hacin terra beatitate perfundit, ita ut beatitas coelestis futura sit solummodo continuatio perfectioque beatitatis, qua illi his in terris fruuntur, qui sunt liberi, filii Dei.<sup>1)</sup> Ceterum per se intelligitur, hanc divinam filiationem inniti morti Christi redemptoris atque efficacie Spiritus s. Nam homines, sive Judaei, sive gentiles, ante Christum filii Dei fieri poterant solum propter merita redemptionis a Christo perficiendae. — Qui versum hunc de activitate Verbi post incarnationem exponunt, dicunt, potestatem ut filii Dei fierent, Verbum hominibus dedisse, quatenus peccata et culpam poenas divinas in se provocantem, abstulit et gratia collata beatam ad Dei relationem promovit.

Quomodo homines, quibus potestas data est, ut filii Dei fierent, revera filii Dei fieri possint, evangelista non plene indicat; duo solummodo nominat, docens, ut id fiat, opus esse fide (ex parte hominis), et (coll. v. 13.) generatione ex Deo (ex parte Dei).

V. 13. Versus hic arctissime cohaeret cum praecedentibus; relativum qui (όι) respicit ad notionem latentem in voce eis (αὐτοῖς). — Nominat hoc versu alteram conditionem, quae necessaria sit, ut quis fiat filius Dei, negans eum fieri filium Dei ex sanguinibus, aut ex voluntate carnis, aut ex voluntate viri, docensque opus esse generatione ex Deo. Sententiae

— 1<sup>o</sup>) Cf. Ad. Maier, Bucher.

tres: qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sunt sibi coordinatae, junctae enim sunt priori duae reliquae per *οὐδὲ — οὐδὲ* (quod indicat correlata), et non per *οὐτε — οὐτε* (quod indicat subordinationem), simulque istis negatur, homines per naturalem generationem fieri posse filios Dei. — ***Ex sanguinibus.*** Sanguis (*αἷμα*) metonymice denotat ipsum semen, cuius vi homo hominem generat, materiam generationis humanae, semen humanum. Pluralis *sanguines* (*αἱματα*) adhibetur ratione habita utriusque parentis (cf. Beelen gramat. N. T. 178.). — ***Ex voluntate carnis.*** Vox *σάρξ* denotat carnem, i. e. massam ossibus molliorem, sanguine perfusam; dein *corpus humanum*; per metonymiam: *naturam humanam, hominem*; porro *naturam humanam sensualem, animalem*, (ut h. l.), quatenus ex peccato originali concupiscit adversus spiritum, seu quatenus est fons et sedes libidinum; et *θέλημα* est appetitus, *impulsus*, et ***ex voluntate carnis generari est:*** generari impulsu sensualis naturae seu concupiscentiae, seu naturali modo. — ***Ex voluntate viri.*** Verbis his impulsum illum sensualis naturae clarius proponit, tanquam impulsum naturae humanae sensualis in *viro*. Virum vero potius, quam feminam posuit, quia *praecipuus* auctor est generationis humanae, et quia aptior erat inter virum et Deum, quam inter feminam et Deum oppositio. Ex Deo non tanquam ex femina et matre, sed tanquam ex *viro* et ex *patre* nascimur qua filii Dei, ait Maldonatus. — ***Sed ex Deo nati sunt.*** Cum prius negasset, homines per naturalem generationem Dei filios fieri, nunc positive indicat, quo modo filii Dei fieri possint, nimirum per generationem ex Deo, quam generationem alias (3, 3 — 10.) dicit generationem desuper (*ἀνωθεν*), seu generationem ***ex aqua et Spiritu***, quam Christus in colloquio cum Nicodemo necessariam declarat, ut quis possit regnum Dei videre.

3.) **Incarnatio Verbi ejusque gratia plena apparitio et activitas redemptoria generatim (v. 14—18).**

V. 14. ***Et Verbum caro factum est.*** Particula et (*καὶ*) est particula continuativa, non vero probativa (enim), aut explicativa (nimirum), ut illi volunt, qui versus tres immediate antecedentes (v. 11—13.) ad Verbum jam incarnatum referunt. —

Verbum ( $\delta\lambda\delta\rho\varsigma$ ) scil. illud, de quo hucusque fuit sermo. Caro ( $\sigma\alpha\rho\xi$ ). Vox  $\sigma\alpha\rho\xi$  non potest hic denotare carnem, quia significatio haec esset hic prorsus inepta; nec corpus humanum, uti Apollinaris olim id asserebat, docens, Verbum tantummodo corpus humanum suscepisse, eique instar animae fuisse divinitatem;<sup>1)</sup> sed denotat hominem, ita ut Verbum humanam naturam, corpus et animam rationalem in se suscepisse dicatur, uti omnes Patres docent; nam Christo in s. scriptura tribuuntur etiam motus et affectus naturae humanae, licet puri, v. c. dolor, laetitia, commiseratio, indignatio justa, etc., ideo etiam ecclesia in suo symbolo dicit: et homo factus est; et s. Paulus (Hebr. 4,15.): per omnia factus nobis similis excepto peccato<sup>2)</sup>. — **Factum est.** Vox haec nequit hic stricto suo significatu accipi, quo mutationem Verbi indicaret, qua post suam incarnationem cessasset, quod prius erat, et coepisset esse, quod prius non erat; ergo nec divinitas mutata est in carnem (quod volebant Apollinaristae), nec caro in divinitatem (quod Docetae), nec quod ex carne et Verbo ceu duabus partibus conflata sit tertia natura, quod volebat Eutyches, auctor Monophysitarum, cuius error damnatus in synodo Chalcedonensi a. 451., nec quod Verbum factum sit caro, id est homo subsistens, quasi non solum naturam, sed et personam assumpserit, quod volebat Nestorius, cuius error damnatus in synodo Ephesina a. 431.; sed designat arctissimam naturae divinae conjunctionem cum humana in una persona Christi<sup>3)</sup>; unde etiam s. Augustinus scribit: „Verbum caro factum est, non carne mutatum, ut non desisteret esse, quod erat, sed cooperit esse, quod non erat. Assumpsit enim carnem, non se convertit in carnem. Carnem istam a parte totum hominem intelligimus, i. e. carnem et animam rationalem“. Hinc verba: et Verbum caro factum est, idem valent ac: Filius Dei, (non Pater, nec Spiritus s.) efficacia sanctissimae Trinitatis homo factus est (omnia enim opera ad extra omnibus tribus personis sunt communia), ita ut verus manserit Deus et verus post incarnationem fuerit homo, verum corpus, veram

<sup>1)</sup> Cf. August.

<sup>2)</sup> Cf. Mald., a Lap.

<sup>3)</sup> Cf. 1. Joan. 4, 2; 1. Tim. 3, 16.

animam habens, naturasque veras duas, divinam et humana; ac proinde duas voluntates, alteram divinam, alteram humanam; personam tantum unam eamque divinam, ideo non duos Filios Dei, sed unum tantum esse. Propter hanc unitatem personae fit illa communicatio idiomatum, quatenus, quod proprium unius naturae est, alteri tribuitur; propter quam dici potest: Deus natus est ex muliere, passus, crucifixus, mortuus, et Christus homo diceret: antequam Abraham fieret, ego sum (Mald.). — Porro evangelista dixit, Verbum caro (et non: homo) factum est, ut summo imum, beato miserum, gloriose vilissimum opponeret (Mald., a Lap.). —

*Et habitavit in nobis* i. e. et inter homines habitavit atque versatus est. Cum hisce verbis arcte connectenda sunt ultima versus verba: plenum (scil. Verbum) gratiae et veritatis; nam quae interjacent, parenthetice addidit s. auctor, laeta recordatione conversationis suae cum Verbo incarnato ductus. — Habitavit; graece ἐσκήνωσεν, quod proprio est: tabernaculum seu tentorium fixit; dein ut hebr. יְהוָה habitavit in tentorio, commoratus est, vixit. Quum Joannes in eodem nexu, in quo verbo στηγάνω utitur, adhibet vocem δόξα (gloria), absque dubio alludere volebat ad habitationem Jehovah in monte Sinai, in tabernaculo foederis, in templo et in populo Israël, juxta Targumistas dictam קָרְבָּן, qua manifestavit suam gloriam divinam maiestatem (Exod. 40, 34. Levit. 26, 11.). Diruto templo priori prophetae expresse annuntiabant apparitionem hujus gloriae divinae (Jes. 40, 5. Ezech. 37, 27; 43, 7.), et quum exstructo templo altero apparitio ejus postularetur, per prophetam Malachiam (3, 1.) non solum praecursor, sed etiam dominator i. e. Messias, qui in templum venit, praedictus est. Quae igitur propheta hic de dominatore, de angelo foederis, i. e. de Messia praedixit, quae porro Siracides (24, 12. 13.) de Sapientia (cf. v. 11.) locutus est, et propheta Baruch (3, 3.) de Deo in terris viso et cum hominibus conversato, vaticinatus est, ea evangelista verbis illis impleta exhibet (cf. Bucher.) — *In nobis.* Verba haec non ad solos apostolos, sed ad omnes illos homines referenda sunt, qui Verbum incarnatum praesentes viderant et cum eo conversati sunt. — *Vidimus gloriam ejus.* Vox δόξα est gloria; δόξα Dei est ut hebr. כִּבְדָּךְ majestas divina, essentia divina cum omnibus attributis in mani-

festatione ad extra;  $\delta\delta\xi\alpha$  de Christo praedicata, indicat summam illam dignitatem et majestatem, qua Christus ante incarnationem suam apud Deum ab aeterno usus est;  $\delta\delta\xi\alpha$  (gloria) Verbi incarnati est divina ejus dignitas, praestantia et potentia, quae verbis factisque sese manifestabat ad extra ejusque simul conditio praestantior et felicior post redditum ejus ad vitam.<sup>1)</sup> — Hanc Christi gloriam vidi Joannes cum sociis in transfiguratione ejus, in resurrectione, in ascensione in coelum, in coelesti et divina ejus doctrina, vita et miraculis (a Lap.). — **Gloriam quasi unigeniti** i. e. eam gloriam, qualis unigenito Filio Dei, naturaliter inest (Theophyl.), seu qualis solummodo a Dei Filio, qui ab eo ut unicus modo prorsus singulari genitus est, exspectanda erat. — Vox enim quasi, tanquam, ( $\omega\varsigma$ ), uti recte s. Chrysostomus observat, hic non est nota similitudinis, sed proprietatis et veritatis. Talis dicendi modus apud omnes gentes occurrit; v. c. de rege dicitur, illum more regio loqui, de bono viro, illum agere, uti solent boni (Calm.). Imo ipse articulus in graeco ( $\tau\eta\delta\delta\xi\alpha\nu$ ) indicat, evangelistam loqui velle de gloria, quae Filio Dei naturaliter inest. — **A Patre.** Debet hic, ut congrua efficiatur oratio, suppleri participium  $\delta\gamma\tau\sigma\varsigma$  qui sit i. e. qui a Patre modo singulari genitus sit. Maldonatus negat, necessarium esse aliquid aliud supplere; quia jam in voce unigenitus ( $\mu\omega\nu\omega\gamma\epsilon\nu\varsigma$ ) latet notio verbalis (genuit). Sed huic obstat, quod verbum  $\gamma\epsilon\nu\nu\alpha\sigma\theta\alpha$  nunquam constructum reperitur cum praepositione  $\pi\alpha\rho\dot{\alpha}$ . Patritius (Cyrillum et Theophylactum secutus) vocem unigenitus jungit cum voce gloriā m, hoc sensu: gloriā, quam Verbum a Patre, sibi, utpote unigenito communicatam, accepit. Sed hoc, uti Maldonatus observat, tantum habet incommodi, quod duriuscula trajectio sit, et minus plena sententia. — Ceterum in s. literis etiam homines vocantur filii Dei, quasi adoptivi, Christum autem alio longe excellentiori sensu nominari, utpote qui singulari et ineffabili modo natus sit, Filium Dei, ostendit vox unigenitus, qua indicatur, eum tali ratione esse Dei Filium, quali nullus hominum est, i. e. eum habere eandem cum Patre essentiam et arc-tissimo nexu ipsi esse conjunctum. Est vero in nominibus **Pater** et **Filius**, dein in **generationis** voce, dum ista transferuntur

<sup>1)</sup> Cf. 2, 11; 11, 40; 12, 41; 7, 39; 12, 23.

ad Deum et personas divinas, symbolica repraesentatio illius relationis, quae intercedit inter utramque personam divinam, jam versu 1. per voces: Deus et Verbum (*λόγος*) expressa. In illustranda vero hac relatione cavendum est, ne explicetur crasse, juxta relationem hominis filii ad hominem patrem, ne humana cum divinis commisceantur. — **Plenum gratiae et veritatis.** In verbis: **gratiae et veritatis** non est hendiadys (ut Kuinoel putat): plenum vera gratia (*χάριτος ἀληθινῆς*); huic praeter alia obstat v. 17., ubi gratia et veritas opponitur legi. — **Veritas** (*ἀληθεῖα*) in N. T. dicitur perfecta revelatio divinae essentiae et voluntatis, estque opposita imperfectae revelationi in A. T. (v. 17.). Christus enim non solum in A. T. est medium revelationum, sed ut Verbum incarnatum, ut Deus-homo, est complexus omnium revelationum, e quibus omnes veritates et decreta divina ut doctrina prodeunt. — **Gratia** (*χάρις*) est favor, est charitas Dei, qualem se erga homines salute indigentes manifestat, eos a peccatis liberando, animam eorum purgando, sanctificando beandoque, et speciatim voluntati, quae per peccatum infirma redditia fuerat, vim ad Dei mandata implenda tribuendo. — Verba haec arcte cohaerent cum v. 4. Ibi (ante incarnationem) dicebatur Verbum vita et lux hominum, hic (post incarnationem) illa vita et lux (qualis Verbum semper erat) in Verbo clare splendet ut gratia et veritas. Jesus Christus est plenus gratia et veritate; est enim veluti mare, ex quo hominum voluntas vim et vitam, ratio vero obfuscata lucem haurit (cf. v. 6.) Cf. Bucher, Maier. —

V. 15. Sicut v. 6. fecerat, ita et hic interrupta ulteriori rei inceptae adumbratione iterum inducit Joannem Bapt. loquentem de Jesu et testantem de ejus dignitate. Facit id absque dubio propter discipulos Joannis Bapt., ut eis ex ipsissimis Joannis Bapt. verbis probaret, hunc eorum magistrum dignitatem illam, de qua supra (v. 14.) locutus fuerat, non sibi ipsi tribuisse, sed Jesu. — **Testimonium perhibet** est praesens historicum significatu imperfecti (testabatur). — **Clamat;** in graeco est perfecti temporis (*χέχραγεν*). Verbum hoc indicat, testimonium fuisse alta voce prolatum. — **Dicens** i. e. hunc in modum. — **Erat** (*ἦν*); v. 30., ubi testimonium Joannis Bapt. legitur, occurrit: est quoad rem parum discriminis; erat denotat hic: menti meae obversabatur. — **Quem dixi** i. e. de quo dixi (*περὶ δύν εἰπον*) coll.

v. 30. et v. 45. juxta Vulg. (*όν ἐγραψε Μωϋσῆς*). — *Post me venturus est* i. e. qui post me in publicum proditurus est. — *Ante me factus est.* Nonnulli cum antiquis interpretibus graecam vocem *ἐμπροσθέν* sumunt ut *adverbium loci*, et quum loco priorem esse, saepe est symbolum dignitatis superioris (Gen. 48, 20.), qua quis pollet, ea verba explicant de dignitate, ita ut sensus verborum: *ante me factus est*, esset: dignitate me superat. — Sed vox *ἐμπροσθέν* in versione Alex. et in libris N. T. scriptorumque profanorum nusquam de dignitate, auctoritate, usurpatur, sed interdum de loco (Luc. 19, 4.), plerumque de tempore. Quapropter etiam hic *de tempore* explicanda est, quo pulchra oritur antithesis inter: *post* (*δισώ*) et *ante* (*ἐμπροσθέν*); cui explicationi etiam ipsa Joannis Bapt. verba (3, 28.) suffragantur. In verbo *γέγονεν* non est cogitandum de temporali creatione, sed de Verbi ante Joannem preeexistentia, et quidem (uti in voce *μονογενής*) vel de aeterna ejus ex Patre generatione (Epiphanius, Patrit.); vel vero de Verbi activitate in populo Israël ante ejus incarnationem (Adalb. Maier). — *Quia prior* (*πρῶτός=πρότερος*) *me erat*, utpote tanquam Verbum ab aeterno existens. Verba haec rationem continent preegressorum: *ante me factus est*.

V. 16. Verba haec non sunt Joannis Bapt.; is enim nondum ita loqui potuit; accepimus, (tempore praeteriti), quia Joanne Bapt. munere adhuc fungente, Christus munere suo nondum perfunctus erat, adeoque opus gratiae nondum consummaverat, imo tunc Christus coepit munere fungi. Sunt igitur verba haec evangelistae, ad testimonium Joannis Bapt. talia adnectentis, quibus ulterius exponatur id ipsum, quod v. 14. jam indicavit verbis: *plenum gratiae et veritatis* (cf. a Lap.). — *Et* (*καὶ*); lectio haec ob testes antiquissimos preeferenda lectioni: *quia* (*ὅτι*), — *Ex plenitudine ejus*; quia in graeco adest articulus, et sequitur vox ejus (*αὐτοῦ*), aperte patet, auctorem intelligere illam plenitudinem, quam jam v. 14. indicavit voce: *plenum* (*πλήρης*), nimirum plenitudinem gratiae et veritatis. — *Nos omnes* scil. christiani, seu qui credimus in ipsum (coll. v. 12.). — Haec opportune dicere potuit Joannes evangelista tempore, quo evangelium suum scripsit, et quo jam magnus erat christianorum numerus; Baptista vero non ita apte dicere poterat: nos

omnes, quia eo tempore opus gratiae nondum consummatum erat, ut multi participes forent. — *Et gratiam pro gratia.* Indicat hisce, quid accepimus. — Et (*zai*) h. l. est particula explicativa: nimirum. *Gratiam pro gratia;* verba haec nonnulli antiquorum ita vertebant: gratiam in locum gratiae, et per gratiam prima vice intelligebant gratiam legis evangelicae (N. T.), per gratiam altera vice gratiam legis Mosaicae (V. T.); ita Chrysostomus. — Sed lex vetus nullibi gratia vocatur, potius opponitur gratiae et veritati, est solum paedagogus severitate utens. Quapropter preferenda est explicatio eorum, qui verba illa ut periphrasin superlativi (juxta usum loquendi Hebraeorum) sumentes, exponunt per: gratiam super gratiam i. e. gratiam aliam post aliam, seu uberrimam gratiarum copiam. — Quibus verbis indicat Christum fontem esse gratiae, ex quo omnis gratia ad fideles defluat, tum gratiae stricto sensu, uti gratia fidei, remissionis peccatorum, reconciliationis cum Deo, adoptionis, tum gratia veritatis (cf. Ad. Maier, Bucher).

V. 17. Nunc opponit revelationem V. T. revelationi N. F., ut hujus naturam praestantiamque clarius ostenderet. Antithesis inter A. et N. T. in eo consistit, quod salutis oeconomia V. T. constaret in lege, i. e. revelatione voluntatis divinae, quae tamen imperfecta erat, quia sola remansit lex, quin virtutem istius implendae conferre posset; dum contra salutis oeconomia N. T. non solum veritatem i. e. voluntatem divinam clare et perfecte expressam pandat, sed etiam gratiam praestet ad istam implendam; — dein lex data erat per Mosen hominem, qui Deum videre non poterat; gratia vero et veritas per Dei Filium, qui in sinu Patris est, facta est (quia est fons gratiae et veritatis). Cf. Mald., Ad. Maier. — Cogitatus hic versu sequenti uberius exponitur, scilicet, cur per Christum plenior et clarior nobis contingit revelatio gratiae et veritatis, quia nemo hominum Deum vedit. —

V. 18. *Vidit unquam* (*έωραξεν* attice pro *ώραξε*) nimirum in hac mortali vita, ergo nec Moses, quamvis Dei gloriam videre postulasset (Exod. 33. 18.). — Si jam ibi (v. 11.) legitur: „*Loquebatur Dominus ad Mosen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*“, — verba haec non sunt intelligenda de apparitionibus essentiae Dei, sed solummodo de revelationibus

divinis ad certos fines, et quidem sub variis symbolis. Si autem Moses Deum non vidit (Exod. 33, 20.), utique revelatio per eum data est imperfecta, atque in infinitum superatur a revelatione facta nobis per Filium Dei, quia Filius solummodo Patrem novit (cf. Matth. 11, 27.). — *Unigenitus Filius*; lectio haec praefenda lectioni: unigenitus Dei Filius, ob testium multitudinem. — *Qui est in sinu Patris* i. e. qui Patri est conjunctissimus et consubstantialis (hinc secretorum Dei Patris conscientis). Nam intima conjunctio h. l. per esse seu jacere in sinum vel ad sinum (*εἰς τὸν κόλπον*) significatur.<sup>1)</sup> Imago repetita a veteribus, in quorum sinu in conviviis proles sibi carissima, aut amicus familia-  
rissimus quiescere solebat (unde germanicum *Büsenfreund*, *Schooßfind*). — De veterum more ad mensam accumbendi, vid. 13, 1. — Ex his simul patet, revelationem veritatis per Filium esse perfectissimam, hinc absolutam. — Qui est; praesens, ut significaret, nunquam Filium, etiam cum in hunc mundum venisset, a sinu Patris discessisse (Mald.). — *Enarravit* i. e. exposuit scil. veritatem, vel Deum, i. e. arcana Dei. Christus verus exegeta Dei. — Graecum verbum *ἐξηγέομαι* (ab *ἐξ* et *γέομαι* duco) proprie educo, dein enarro, expono.

## Pars I.

### **Historia publicae activitatis Christi (1,19-12,50).**

#### 1.) Joannis Bapt. testimonia de Christo (v. 19.—34.).

Exposita Verbi natura et activitate ante incarnationem, ejusque incarnatione, priusquam per historica argumenta probare incipit, Jesum esse verum Messiam, adducit testimonia Joannis Baptiste de Jesu, quae summi sunt momenti, quia Joannes Baptista ab omnibus ut propheta agnosceretur. Ipsa haec testimonia supplant evangelistae historiam de baptismo Joannis, ut pote e ceteris tribus evangelistis notam; sufficiebat, si tantummodo locum designabat, cui illam insereret. Quo facto noster

1) A Lap., Beelen gramm. N. T. p. 445.

evangelista congruit cum Marco, qui initium historiae suae incipit a baptismo Joannis (Bucher.).

a) **Primum testimonium (19—28.).** Joannes non est Messias uti populus putabat, sed alius.

V. 19. *Testimonium Joannis*, quod nimirum dictum erat (*γενομένη*). — *Judei* h. l. sunt assessores seu membra synedrii magni (quod post exilium babylonicum erat judicium sumnum politicum et ecclesiasticum, constans 71 assessoribus, nimirum summis sacerdotibus, legisperitis et senioribus populi; cognoscebat tantum de causis gravioribus et capitalibus, et poenam lapidationis, decollationis, suspendii et combustionis poterat irrogare; ultimis tamen temporibus nonnisi impetrata a praeside romano venia, poterat sententiam talem exsequi), synedri, qui alias vocantur *principes* *Judeorum* (*οἱ ἀρχοντες τῶν Ἰουδαίων* 3, 1.), vel simpliciter *principes* (7, 26.). — Joannes Baptista scilicet vita sua austera (angelica), praedicatione de poenitentia, nec non et suo baptismo multorum oculos in se convertebat, ita ut incolae Hierosolymae et complurium regionum ad Jordanis ripam turmatim confluere coepissent (coll. Matth. 3, 5.); imo permulti existimabant, eum fors esse ipsum Messiam (coll. Luc. 3, 15.). Cujus rei fama pervenit etiam ad synedrium magnum, cuius praeter curam rei sacrae erat omnino probare prophetas eorumque doctrinas, ne falsa proponeretur doctrina. Hoc igitur practextu legatos mittebat synedrium ad Joannem sacerdotes et levitas, qui eum interrogarent, quisnam esset, et cuius mandato doceret et baptizaret. Sed legatio haec facta est maligno consilio; volebant enim inde occasionem arripere, deprimendi praedicationem et baptismum ejus. Quum nimirum synedrium magnum magna ex parte compositum esset ex pharisaeis, contra quos statim ab initio praedicationis (coll. Matth. 3, 7. seq.) Baptista vehementer insurrexerat, facile intelligitur, Joannem haud gratam eis fuisse personam. Hac sua oppositione erga praecursorem Messiae simul ostenderat synedrium, quomodo esset erga ipsum Iesum animatum.<sup>1)</sup>.

*Sacerdotes et levitas.* Legati synedrii erant sacerdotes e pharisaeorum secta, legis et scripturarum periti; iis in hac lega-

<sup>1)</sup> Cf. a Lap., Kuinoel.

tione adjuncti sunt levitae, qui perpetui erant sacerdotum socii et ministri.

*Tu quis es?* Collata Joannis responsione (v. 20.) verosimile est, legatos primum interrogasse Joannem, an ipse es set Christus; nam statim (coll. v. 20.) confessus est, se Christum non esse (Cf. a Lap.). —

V. 20. *Et confessus est, et non negavit* i. e. et publice ac plene confessus est. — Solent Hebraei, cum quid asseverare et valde confirmare volunt, id ipsum affirmando et negando exprimere (a Lap.). — Verba sequentia: *et confessus est: quia non sum ego Christus, sunt explicatio confessionis.*

V. 21. *Quid igitur, scilicet dicis de te ipso, si non es Christus?* — *Elias es tu?* Putabant enim Judaei, male intellecto loco Malachiae (4, 5. 6.), Eliam paulo ante Messiae adventum in has terras esse redditum, non accipientes oraculum istud de viro, animo et fervore (spiritu et virtute) Eliae simili. —

*Non sum.* Joannes negabat, se esse Eliam, quum Christus Joannem esse Eliam, profitetur (Matth. 11, 14; 17, 12). Christus id affirmavit, quia Joannes spiritu, virtute et officio erat Eliae similis; Joannes negat, quia re ipsa non erat Elias. Per pulchre hac de re scribit s. Augustinus<sup>1)</sup>: „Quomodo duo adventus judicis, sic duo praecones. Misit ante se primum praeconem, vocavit illum Eliam, quia hoc erit in secundo adventu Elias, quod in primo Johannes. Si figuram praecursionis advertas, Johannes ipse est Elias; si proprietatem personae interroges, Johannes Johannes, Elias Elias; — ipsa praefiguratione venit iste (Johannes), qua proprietate venturus est Elias. Tunc Elias per proprietatem Elias erit, nunc per similitudinem Johannes erat.“

*Propheta es tu* ( $\delta\pi\rho\omega\varphi\gamma\tau\eta\varsigma$ ). Judaei nimirum praeter Eliam exspectabant etiam prophetam a Mose (Deut. 18, 15. prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus) promissum (ideo in graeco articulus  $\delta$ ). Nonnulli jam eorum hunc prophetam (recte) credebant Messiam (coll. 6, 14. 15.); permuli vero, uti ex Matthaeo (16, 14.) patet, de propheta Jeremia cogitabant, quum hic in secundo libro Maccabaeorum (15, 14.) tanquam sin-

<sup>1)</sup> In Joan. evang. tract. 4. c. 5.

gularis Israëlitarum sistitur protector. Quia itaque Judæi adventum illius Jeremiae exspectabant, etiam hoc negavit Baptista; nam non erat ille Jeremias.

V. 22. *Quid dicis de te ipso* i. e. quem te esse dicis?

V. 23. *Ego vox clamantis in deserto* i. e. ego sum ille per prophetam Jesaiam (40, 3.) praedictus praeco Messiae, qui homines ad vias, animos praeparandos exhortari debo, ut Messias mox venturus, animos eorum, omnibus impedimentis remotis, praeparatos inveniat ad se digne excipendum. — Propheta Jesaias loquitur proxime de reditu ex captivitate babylonica; videt jam ibi reditum, audit vocem praeconis, qui ante Jehovam, populum suum reducentem, incedit, monetque, ut viae ante eum parentur. Joannes Baptista vero docet, in illo prophetae loco fuisse prae-significatum praeconem et praecursorem Messiae ejusque ministerium, quum Deus populum suum electum e servitute longe duriore et contumeliosiore, et quidem non, ut prius per suam potentiam, sed per suum in mundum ingressum (incarnationem) educturus liberaturusque sit.<sup>1)</sup>

*Viam Domini* i. e. viam, qua Dominus incedere vult. Jesaias sumpsit hanc imaginem a regibus Orientis iter facturis, qui praemittebant legatos, ut vias complanandas curarent, quibus reges possent sine offensione per aequum planumque campum incedere et iter confidere. Quum autem h. l. de spirituali liberatione sermo est, ideo etiam praeparatio viarum sensu spirituali explicanda est, nimirum de removendis omnibus impedimentis moralibus, quae obstant exceptioni Messiae. — Ceterum locum hunc Jesiae praeter Joannem Bapt. omnes evangelistæ tanquam vaticinium de praecursore Messiae accipiebant sensu reali, omnesque Judæi etiam statuerunt, hanc prophetæ praedictionem tempore Messiae demum plenum eventum esse habituram. —

V. 24. *Et qui missi fuerant*, i. e. legati.

*Ex Pharisæis* i. e. Pharisæi. Hoc dixerat evangelista, ut intelligatur, cur istam de baptismo quaestionem objecerint. Pharisæi nimirum docebant, baptismum a propheta Ezechiele promissum (36, 25; 37, 23.) conferre nemini licere, nisi Messiae et prophetis (Eliae et Jeremiae)<sup>2)</sup>. — *Pharisæus* erat nomen sectæ

1) Cf. Arnoldi, Calmet.

2) Cf. Mald., Calm.

celeberrimae apud Judaeos, maxima plebis pars erat ei addicta, cum nobiliores et ditiores essent Sadducei. Vocatur secta haec in Talmude פְּרִישִׁים separati (a פָּרַשְׁׂה separavit), partim quod immunditatem et perversitatem ceterorum hominum, saltem ad speciem externam evitare studuerint, partim quod eorum disciplina a vulgari consuetudine abhorreret. Fovebant peculiares quasdam opiniones et peculiarem vitam agebant; nempe fato res humanas regi putabant, ita tamen, ut hominum voluntati aliquid arbitrii relinquenterent; animi immortalitatem certo futuram sibi persuaserunt, esque angelos et daemones credebant, resurrectionem corporum et metempsychosin tradebant, denique praeter legem, a Mose literis consignatam, traditiones, quas Mosen a Deo in monte Sinai accepisse asseruerunt, tenebant summique habebant. — Vita autem sua singularem quandam, quam oculis spectandam subjiciebant, affectarunt sanctitatem: hinc tenuis eorum victus, crebra jejunia, frequentes lotiones, pietatis vana ostentatio multorumque pessima simulatio, quam ob rem tum plebis, tum omnium ordinum feminarum favore fruebantur magnauste dignitate et potestate gaudebant. Ceterum videtur secta haec post tempora exilii babylonici coivisse<sup>1)</sup>.

V. 25. *Quid igitur baptizas?* Sensus non est: Quo jure, qua auctoritate baptizas? Pharisaei enim jam firmissimam tenebant opinionem, Joannem non habere jus baptizandi; sed sensus est: quare ( $\tauι=\deltaι\alpha\tauι$ ) igitur baptizas, cum jus baptizandi non habeas?

*Si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta i. e.* quum ex tua professione nullus sis eorum, quibus jus baptizandi competit (Cf. Ad. Maier).

V. 26. *Ego baptizo in aqua* i. e. etiamsi ex vestra sententia non habeam jus illum per prophetam Ezechielem promissum baptismum conferendi, haud mihi interdictum est, ne aqua baptizem ad poenitentiam, quia, verus baptismus est baptismus ignis (Malach. 3, 2,), quem me major conferet (Bucher), — Ad verbum baptizo subintelligendum est (coll. Matth. 3, 11.) in poenitentiam ( $\varepsilon\iota\varsigma \mu\sigma\tau\alpha\gamma\omega\tau\alpha\tau$ ), i. e. ego in aqua seu aquae immergo eo fine, ut homines ad poenitentiam obstringam, seu ut poenitentiam agant. Nam formula graeca  $\beta\alpha\pi\tau\iota\zeta\epsilon\iota\omega$  (scilicet  $\tau\iota\omega\alpha$ )  $\varepsilon\iota\varsigma \tau\iota\omega\alpha$

1) Cf. Arnoldi, Kuinoel, a Lap.

vel εἰς τι generatim significat: aquae immergere aliquem eum in finem, ut junctus, addictus, mancipatus sit ei, cuius nomen cum praepositione εἰς conjunctum est. Hinc βαπτίζειν εἰς μετάνοιαν est: aliquem per baptismum poenitentiae addicere, mancipare, consecrare, seu aquae immergere eum in finem, ut poenitentiae obstringatur<sup>1)</sup>.

**Medius vestrum** i. e. in medio vestrum, seu inter vos (scilicet Judaeos). — **Stetit** i. e. adest, versatur. Praeteritum h. l. habet vim praesentis.

V. 27. *Venturus* (ὁ ἐρχομένος) est Messias certo venturus. Participium praesentis habet vim futuri, uti Vulgata vertit. —

*Qui post me,* uti v. 15.; ita et verba: qui ante me fuit, si hic sint legenda, quae in nonnullis codicibus et apud Originem desunt.

*Cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti* i. e. (adeo me superat), ut non sim dignus vilis servi officia ei exhibere. Nam calceamenta dominis portare, alligare et solvere, apud Graecos, Latinos et Hebraeos servorum vilium erat officium. Quum autem servus, etiam vilissimus, ad domini familiam pertinet, utique Joannes, quia negat, se dignum esse, ut vilis servi officia Messiae praestet, indirecte docet, se ad Messiae comites non pertinere, quod verum est; nam Joannes A. T. concludit, Novum a Christo incipit. — Graeca vox ὑπόδημα (a ὑποδεω subligo) denotat id, quod subligatur; hinc calceamentum, corrigiis supra pedem firmatum. — Nunc ex Matthaeo (3, 11.) supplendum est: ipse vos baptizabit in Spiritu et igne i. e. ipse largiter ornabit, quasi obruet animas vestras gratiis et donis, Spiritu sancto cordibus vestris infuso, animasque vestras instar ignis, aurum et argentum a scoriis expurgantis, a peccatis expurgabit, revera mundas et puras reddet. — Quod ita h. l. vox ignis sit explicanda, et non de suppliciis et poenis, quibus afficiet Messias illos, qui eum repudiatur sint, nec vitam suam ad ejus praecepta conformatur, docet locus apud Malachiam (3, 2. seq.), ubi Messias comparatur igni conflanti, qui filios Levi (i. e. sacerdotes) purificabit (ad instar auri et argenti), ut puri

<sup>1)</sup> Cf. Beelen comment. in act. apost. 2, 38; 19, 3.

(sancti) Domino offerrent sacrificia. Ignis itaque h. l. significat effectus (efficacitatem juxta s. Chrysost.), quos Spiritus s. in cordibus hominum per baptismum Christi producit.<sup>1)</sup> Simili sensu locutus est Dominus apud Joëlem (2, 28.) de effusione Spiritus sancti. — Ceterum in citato Matthei loco verbum baptizare (*βαπτίζειν*) esse tropice positum, ita ut significet: obruere, largiter ornare, ipsa res docet. Praepositio *ἐν* in *ἐν ὑδατι* et *ἐν πνεύματι* inservit ad indicandum instrumentum quo quid fit<sup>2)</sup>.

V. 28. *In Bethania trans Jordanem.* In hoc loco codices cum latini, tum graeci a se invicem divergunt; multi enim eorum exhibent lectionem: in Bethabara (*ἐν Βηθαβαρᾷ*), alii vero: in Bethania (*ἐν Βηθανίᾳ*). Verior et antiquior lectio est: in Bethania, dum lectio in Bethabara ex Origenis conjectura provenisse videtur. Nam Origenes (cujus auctoritatem secuti sunt Suidas, Theophylactus et Chrysostomus), ipse profitetur, in omnibus fere codicibus exstare lectionem in Bethania, ipse tamen putabat, non legi debere in Bethania, quia praeter Bethaniam prope Hierosolymam, nullum aliud hujus nominis oppidum notum esset, dum contra audivit, ad ripam Jordanis sitam fuisse quondam Bethabaram, quapropter etiam lectionem Bethania in illam: Bethabara mutandam esse censuit. Quam minus recte autem Origenes hoc fecerit, inde patet, quod ad conjecturae suae demonstrationem id praesupponit, faciem Palaestinae ejus tempore illam fuisse, ac Christi et apostolorum aetate, quod vix defendi posset; Origenis enim aetate facies Palaestinae admodum erat jam mutata; permultae urbes, oppida et vici tempore belli judaici perierunt<sup>3)</sup>; plurium etiam oppidorum nomina, uti alias quoque fieri solet, potuerunt hoc temporis intervallo mutari. Potuit itaque aetate Christi et apostolorum duplex in Palaestina existere oppidum Bethania vocatum. — Fors Bethania et Bethabara ejusdem loci vel simul vel successive nomina erant, cum utraque vox vi etymologiae unum idemque notat: Bethania בֵּית צְבָא domus natis (Schiffhausen), et Bethabara בֵּית עֲבָרָה domus transitus (Fürthhausen)<sup>4)</sup>.

1) Cf. Schegg, Bucher, Jans., a Lap., Calm.

2) Cf. Beelen act. apost. 1, 5.

3) Cf. Jos. Flav. de bell. jud.

4) Cf. Kuinoel, Ad. Maier, a Lap.

*Erat baptizans* i. e. baptizabat. — Quaeritur, utrum Joannes hunc baptismi ritum ipse primum introduxerit, an Judaeis jam notus fuerit antea, et usitatus in proselytorum religionis suae admissione? Apud Judaeos, uti apud Graecos et Romanos (Plaut. Aulul. 3, 6. Macrobius. Sat. 3, 1. Ovid. Fast. 2, 36.) lustrationes aqua marina aut fluviali in usu fuisse sat notum est (Num. 19, 7. Hebr. 9, 10. Judith 12, 7. 8; 16, 18. Gen. 35, 2.); hinc haud vero absimile videtur, proselytos Judaeorum jam Joannis aetate baptismo inaugurarri consueuisse; nam non poterant carere ritu Judaei, quo ad sacra eorum admittere liceret ethnicos jam circumcisos et feminas; dein vero simile haud est, Judaeos, nominis christiani hostes, hunc ritum a christianis suscepisse; praeterea in evangeliis nullibi Judaei in Joannis baptismo, tanquam in re nova offendisse traduntur (coll. Joan. 1, 25.); et tandem id confirmant scripta Rabbinorum, ubi haec tria: circumcisio, baptismus et sacrificium a proselyto requiruntur, unde colligi potest, baptismum ante templi Hierosolymitani destructionem in usu fuisse, quia simul cum eo requiritur sacrificium, quod tamen destructo templo offerri non potuit.<sup>1)</sup> — Ceterum baptismo Joannis non concedebatur ipsa peccatorum remissio, sed eodem ad poenitentiam obligabantur homines, et sic disponebantur, ut digni fierent, quibus peccata per Messiam remitterentur. Differebat ergo a baptismo christiano, quo peccatorum remissio revera conceditur; differebat etiam a baptismo Judaeorum, qui proselytos ad legis observationem obstringebat.

b.) Alterum Baptistae testimonium (29 — 31.). Jesus est Messias, qui tollit peccata mundi.

V. 29. *Alterā die* ( $\tauη \ \epsilonπαύριον$  scil..  $\etaμέρα$ ) i. e. postridie dictae legationis synedrii.

*Venientem ad se*, verosimiliter ex deserto post temptationem. Venerat vero Jesus, ut Joanni occasionem demonstrandi se praebaret.

*Et ait*, nimirum circumstantibus de Jesu adhuc absente. (Jans.). —

<sup>1)</sup> Cf. Kuinoel.

*Ecce agnus Dei.* Verbis his significat Baptista, ad Messiae munus pertinere expiationem peccatorum hominum, quod (coll. cantico Zachariae Luc. 1, 77,) a paucis agnitu est; quanto magis id Baptista notum esse debebat. Cur Baptista Messiam dicat agnum, causa erat locus Jesaiae prophetae (53, 7.), ubi de Messia dicit: „Oblatus est (i. e. offeretur), quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tendente se obmutescat et non aperiet os suum.“ — Inde factum est, ut Messias vocaretur agnus. Hinc sensus verborum ecce agnus Dei, est: En illum (in graeco adest articulus) ex Dei voluntate morti destinatum et a Jesaia praedictum Messiam! — Sicut Jesaias (53, 12.) de illo agno dicit: ipse peccata multorum tulit, ita et Baptista de Christo: qui tollit peccatum mundi. — Peccatum i. e. peccata nimirum omnia; singularis est collective sumendus (coll. 1. Joann. 2, 2.).

*Mundi* i. e. generis humani seu hominum (ergo non tantum Iudeorum).

*Tollit* i. e. aufert, nimirum peccatorum culpam et poenam in se suscipiendo et morte sua divinae justitiae satisfaciendo. — Significatu auferre sumendum esse verbum ἀφεῖναι, patet inde, quia versio 70 verbum ἀφεῖναι (quod respondet Hebraeorum נִזְבֵּן) nunquam adhibet significatu portare, ferre, sed significatu auferre, ut idem notet ac ἀφαίρεσθαι; si vero Hebraeorum נִזְבֵּן deberet valere: portare, ferre, dein semper id verbum reddit per φέρειν, ἀναφέρειν, λαμβάνειν (Lev. 20, 19. 20; 24, 15. Num. 5, 31; 18, 22.). Explicatio haec commendatur etiam loco primae Joannis epistolae (3, 5.), quum phrasis ἀφεῖναι τὰς ἁμαρτίας prius (1, 9.) per ἀφίεναι τὰς ἁμαρτίας (remittere peccata) explicatur. (Cf. Ad. Maier, Kuinoel). — Alludit vero hisce verbis ad caprum istum, qui expiationis die peccatis onustus (quae in eum transferabantur per impositionem manuum summi sacerdotis) Azazel, i. e. diabolo, in desertum emittebatur (expellebatur), ut symbolice ablationem peccatorum populi Israël significaret (Lev. 16, 7. seq. Cf. Kirchenlexicon von Weizé und Weste sub voce Azazel.) — Ceterum poterat Messias, quum in N. T. saepe (1 Cor. 5, 7; 1 Pet. 1, 18. 19. Joann. 19, 36.) agnus paschalis ut typus Messiae proponitur, ut agnus etiam agno paschali comparari; qua propter etiam statui potest, Baptistam sententia sua praeter

agnum, de quo Jesaias locutus est, simul respexisse ad agnum paschalem.<sup>1)</sup>

V. 30. *Vir i. e. quidam.* Reliqua vid. V. 15.

V. 31. *Non noveram eum.* Videsis v. 33.

*Ut manifestetur in Israël*, i. e. ut ille per me Israëlitis tanquam Messias innotesceret. Hisce vero non excluditur, Joannem baptismu suo praeter manifestationem Messiae populo Israël exhibendam simul homines ad regnum Messiae (exhortando nimurum eos ad poenitentiam, uti synoptici habent), praeparare voluisse.

c.) **Tertium testimonium (32—34.), Jesus Messias est Filius Dei.**

V. 32. *Spiritum, nimirum sanctum* (coll. Luc. 3, 22.), *Dei* (coll. Matth. 3, 16.), *tertiam in Divinitate personam.*

*Quasi columbam* ( $\omega\varsigma \pi\epsilon\rho\iota\sigma\tau\epsilon\rho\alpha\upsilon$ ) Quidam autumant, verba: quasi columbam, non de specie aliqua dici, qua Spiritus sanctus sese conspicuum exhibuerit, multoque minus de vera avi, sed significari, leni quodam ac placido volatu, qualis columbarum esse solet, super Christum descendisse id, quo symbolo Spiritus sanctus tunc usus est. — Sed ob locum parallelum Lucae (3, 22.), qui dicit: descendit Spiritus sanctus corporali specie ( $\sigma\omega\mu\alpha\tau\chi\phi\iota \varepsilon\iota\delta\epsilon\iota$ ) sicut columba, cum s. Patribus verba illa (sicut columba) de forma, de specie columbae, sub qua Spiritus sanctus descendit, intelligenda sunt. Utrum autem vera columba fuerit, quae visa est, an solum columbae species, neque Patres consentiunt. Verba Lucae allata columbae speciem manifesto significare videntur<sup>2)</sup>. — Sub specie columbae apparuit, quia apud veteres jam columba erat symbolum Spiritus sancti. Sic paraphrasta Chaldaeus verbis Cantici Canticorum (2, 12.): vox turtroris audita est in terra nostra, — explicationis instar addit: haec est vox Spiritus sancti<sup>3)</sup>,

Synoptici simul notant, apertos esse coelos (i. e. docente s. Hieronymo, dum Jesus baptizatus esset, lumen emicare visum est e superiori aëris regione, quae in s. scriptura saepe coeli

1) Cf. Ad. Maier

2) Patrit. lib. III. p. 487. cf. Petavius de Trinit. I. 8. c. 4., a Lap.

3) Cf. Arnoldi, a Lap.

nomine appellatur, eo modo quo fulmina nubes scindere, aperire solent), et vocem Patris auditam: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, i. e. hic est Filius meus verus, naturalis, mihi consubstantialis, quo delectatus sum ab aeterno et delector. — In baptismo Christi revelatum est orbi mysterium ss. Trinitatis; Deus enim Pater coelitus testatur de Filio, qui humana natura in se suscepta, in terris baptismo iniciatur, et Spiritus sanctus visibili specie descendit. Quapropter primorum saeculorum Patres Antitrinitariis dicere consueverunt: Vade ad Jordanem, ibique Trinitatem disce.

V. 33. *Et ego nesciebam eum.* Verba haec, quae Baptista locutus est, antequam Christus baptizatus esset, non pugnant cum Matthei verbis (3, 14.), qui narrat, Joannem renuisse, Jesum baptismum postulantem baptizare, dixisseque, se potius opus habere, qui ab eo baptizetur, quae aperte ostendunt, non prorsus incognitum ei fuisse Jesum illiusque praestantissimum characterem, imo et Messianam ejus dignitatem. Difficultas haec facile ita removeri potest: Mater Christi et mater Joannis erant cognatae, sciebantque conditionem filiorum eorumque futuram inter ipsos necessitudinem. Jam vero haud absimile est, matres res illas etiam filiis communicasse. Quum jam Jesus ad Jordanem veniret, non statim cognovit eum: ast visa ejus majestate et gravitate externe se manifestante, recordatusque simul notitiarum illarum a matre acceptarum, animo praesagiebat, hunc ad se venientem et baptismum postulantem esse illum, respectu cuius promissionem divinitus acceperat, quod sit Spiritum sanctum super eum descendenter visurus, ut nimirum viso illo signo, certissimam de Messiana Christi dignitate nanciscatur persuasionem. Stante hac explicatione verbis Joannis non omnimodus defectus cognitionis characteris et dignitatis Christi exprimitur, sed solum innuitur, nondum certissimam illam de Messiana Christi dignitate persuasionem ei fuisse, quae ex signo ei promisso (in baptismo Christi) oritura erat<sup>1)</sup>.

*Qui misit me baptizare* i. e. Deus, qui me jussit munere precursoris fungi.

*Super quem videris Spiritum descendenter et manentem.* —

1) Cf. Ad Maier, Bucher Leben Jesu S. 311.

Hoc erat signum a Deo Joanni datum, perfectissime cognoscendi Messiae.

V. 34. *Testimonium perhibui* (perfectum habet vim praesentis), nimirum quia vidi signum a Deo mihi promissum, Spiritum sanctum videlicet post baptismum super Christum descendenter, testor seu testimonium perhibeo. — Joannes poterat contestari, Jesum esse Dei Filium (seu Messiam); nam praeter internam illustrationem audivit etiam in Christo baptizando vocem Patris, qui ipse testatus est, Jesum esse ipsius (Dei) Filium (cf. v. 14.).

## 2.) Vocatio primorum discipulorum Christi (35—51.).

V. 35. *Altera die* i. e. postridie testimonii illius utriusque proxime perhibiti Christo.

*Stabat*, nimirum ibi, ubi baptizare solebat.

*Duo*, quorum alter erat Andreas (coll. v. 40.), alter, cuius nomen reticetur, Joannes evangelista, qui solet modestiae causa nomen suum vel suppressum, vel circumscribere (Mald.).

V. 36. *Ecce agnus Dei* i. e. hic est vir, quem ex signo coelesti ut Messiam et Dei Filium perfecte cognosco. — Absque dubio Baptista, priusquam Jesum intueretur, loquebatur ad discipulos suos de ejus dignitate, et quum Jesum ad se venientem vidisset, dixit: ecce agnus Dei! — hinc facile poterant verba Baptiste intelligere discipuli.

V. 37. *Secuti sunt Iesum*, ut nimirum cognoscerent locum ubi commoretur, quo eum alio die, tempore magis commodo, discendi causa convenire possent. — Verbum ἀκολούθειν h. l. habet sensualem significatum: ire post aliquem, sequi aliquem iter facientem (ut 10, 11.)

V. 38. *Quid quaeritis?* i. e. quid vultis me sequendo? — Christus propterea eos, quid quaererent, interrogavit, ut eis daret occasionem, vota sua manifestandi. — Ceterum in graeco textu a verbis his ( $\tauί \zetaητεῖτε$ ) incipit v. 39., dum Vulgata versum 39., incipit a verbis: dicit eis, venite; ideo in Vulgata numerus versuum in hoc capite minor est uno versu.

*Rabbi*; est vox hebraica ר֔ב (a בָּן multus, magnus); hinc vi etymologiae est: mi praestantissime. Tempore Christi

erat nomen, titulus doctorum celeberrimorum apud Judaeos, et valet id ac: magister, doctor. Interpretatio additur propter lectores graecos.

*Ubi habitas* i. e. ubi commoraris tanquam peregrinus (nam nunc erat in Iudea, ubi non habebat domicilium)? — Rogant vero hoc discipuli, ut domi cum Christo secreto colloqui et ab illo de rebus divinis et ad salutem pertinentibus, instrui possent (a Lap.).

V. 39. *Venite et videte*; sunt verba invitantis, ut eum sequerentur.

*Venerunt et viderunt* i. e. obsecuti sunt invitationi Christi.

*Die illo* i. e. residuo illius diei.

*Quasi decima* i. e. quarta pomeridiana. — Judaei videlicet Romanis per Pompejum subjecti, dividebant, uti noctem, sic et diem (coll. 11, 9.) in 12 horas, quae autem pro diversitate temporum anni (pro majori minorive dierum noctiumve longitudine) erant vel longiores, vel breviores. Diem porro dividebant in quatuor partes, quarum unaquaeque tres completebatur horas, a 6—9, a 9—12, a 12—3 et a 3—6 horam, et vocabant horam tertiam, quae nobis est nona matutina, horam sextam dicebant nostram duodecimam, horam nonam nominabant nostram tertiam pomeridianam, et duodecimam vocabant nostram sextam pomeridianam<sup>1</sup>). — Ceterum colligere fas est, eos per totam noctem apud Christum mansisse<sup>2</sup>). S. Augustinus exclamat: Quam beatum diem duxerunt, quam beatam noctem! Quis est, qui nobis dicat, quae audierint illi a Domino<sup>3</sup>).

V. 40. *Unus ex duobus*; alter erat ipse evangelista (Epiphan., Chrys.). — *A Joanne*, nimirum dicente de Jesu: ecce agnus Dei. Videtur ergo Andreas (uti et Petrus) fuisse Joannis Bapt. discipulus. — *Eum*, scilicet Jesum.

V. 41. *Invenit fratrem suum*, quem nimirum studiose quaerebat. — *Primum* ( $\pi\rho\hat{\omega}\tau\sigma$ ), nimirum ante alios amicos et notos (a Lap.). Sed lectio  $\pi\rho\hat{\omega}\tau\sigma$  (primus, positum pro  $\pi\rho\hat{\omega}\tau\sigma$  prior) praferenda est, ita ut sensus sit: uterque Andreas et Joannes, quaesivit Simonem, ut ei nuntiarent, se reperisse Mes-

<sup>1)</sup> Cf. Beelen act. 3, 2., Bucher Evang. Matth. 20, 3., Kuinoel.

<sup>2)</sup> Mald., a Lap.

<sup>3)</sup> Tract. 7. in Joan. evang.

siam; Andreas tamen illum prior invenit<sup>1)</sup>). — *Invenimus.* Verbum hoc, inquit s. Chrysostomus, est animae maxime desiderantis et coelitus adventum exspectantis rei diu quae sitae.

V. 42. *Intuitus autem eum Jesus* i. e. antequam cum illo colloqueretur, antequam ad se Petrus accederet, intuitu divino, quo omnia perspecta habuit, praesentia et futura, cognovit, cuius esset filius, qui vocaretur et qualis quantusque futurus esset (Mald.) — *Filius Jona* i. e. filius Joannis. Nam Jonas est contractum ex Joannes, quae vox respondet Hebraeorum יונָה (contractum ex יְהוָה). Quum vox יונָה per se in hebreo significet columbam, nonnulli antithesin hic statuunt inter columbam (quae est imago imbecillitatis) et petram (quae est imago roboris), ita ut sensus esset: Tu filius columbae imbecillis vocaberis petra i. e. tu nunc ut homo imbecillis, Dei gratia eris petra. Sed id nimis quae situm est (Cf. Ad. Maier), — *Cephas* est vox syriaca קַפָּה petra, saxum. Christus nomen hoc Simoni verosimiliter nunc dedit, atque ideo ei imposuit, ut nomine hoc futuram animi ejus firmitatem inconcussam, nec non et futuram ejus destinationem, qua firmum novi regni divini (ecclesiae) fundatum futurus esset, significaret (Cf. Matth. 16, 18.).

V. 43. *In crastinum* i. e. postridie ejus diei, quo Petrus ad Jesum adductus fuerat.

*Voluit exire in Galilaeam* i. e. voluit reicta Judaea seu Bethania ad Jordanem, ubi Joannes baptizabat, ire in Galilaeam, ut nimirum ibi doceret et discipulos colligeret (Mald.).

*Invenit Philippum* i. e. incidit in eum, quem quaerebat (non corpore) animo, quo eum aptum ad officium apostolatus esse sciebat (Mald.). — Fama videlicet Baptistae usque in Galilaeam pervenit, quapropter Petrus, Andreas et Joannes atque cum eis etiam Philippus ex Galilaea profecti sunt ad Baptistam, apud quem remanserant, donec Andreas et Joannes facti sint discipuli Christi. Hi duo posteriores igitur a Philippo se separabant. Quum Jesus in Galilaeam profectus esset, incidit (non fortuito) in Philippum, quem ad individuam sequelam vocavit.<sup>2)</sup>

*Sequere me* i. e. esto meus discipulus. Non dicit evangelista, Philippum voci Christi obsecutum esse, sed ex eventu intel-

<sup>1)</sup> Chrys., Epiph., Euthym.

<sup>2)</sup> Ad. Maier, Bucher.

ligendum reliquit. Vocationi vero huic Philippus obsecutus est, quia Christus divinam quandam in ejus animum virtutem infudit, qua incensus continuo fuerit, ut Christum sequeretur<sup>1</sup>), aut quia Christus colloquio suo cum Philippo, quod evangelista silentio praetermittit, hunc in suas traxit partes<sup>2</sup>).

V. 44. *A Bethsaida.* Bethsaida (hebr. בֵּית צִבְחָה locus venerationis seu piscationis) erat oppidum in ripa lacus Genesarethici occidentali situm: postea (12, 21.) ab evangelista diserte dicitur Bethsaida Galilaeae, ut distinguatur ab altera Bethsaida, quam Jos. Flavius in inferiore Gaulonitide ad orientalem lacus Genesarethici ripam trans Jordanem sitam perhibet, quamque a Philippo tetrarcha restauratam, incolis auctam et in honoremJuliae, imperatoris Augusti filiae, Julias appellatam esse narrat (Cf. lexic. in N. T. Wilke).

V. 45. *Nathanaël*, quem nimirum eodem die, quo Christum viderat eumque Messiam cognoverat, quaerebat, ut eum duceret ad Christum. Nathanaël (hebr. נַתְנָאֵל donum Dei) erat Galilaeus, Cana oriundus. Vir hic est idem cum Bartholomaeo (Matth. 10, 3.). Nam

a) uti h. l. Nathanaël, ita apud Mattheum (10, 3.), Marcum (3, 18.) et Lucam (6, 14.) Bartholomaeus conjungitur cum Philippo.

b) Licet ea, quae apud Joannem (1, 45. seq.) de Nathanaëlis vocatione leguntur, singularia prorsus sint, nomen tamen ejus non invenitur in apostolorum consignatione apud Mattheum, Marcum et Lucam (uti Petri, Andreæ, Jacobi, Joannis et Philippi . .); vicissim in catalogo apostolorum invenitur nomen Bartholomaei, de cuius vocatione sub hoc nomine nullibi aliquid notatum est.

c) Tandem apud Joannem (21, 2.) Nathanaël apostolis consociatur, et medius inter eos nominatur, quo haud obscure innuitur, etiam ipsum fuisse apostolum. — Quum nomen Tholmai apud Judaeos esset usitatum (cf. 2 Sam. 13, 37. Jos. Flav. ant. 15, 14.), videtur nomen Bartholomaeus (compos. ex בר תולמי filius et Tholmai) esse nomen patronymicum, Nathanaël vero nomen proprium. (Cf. Arnoldi).

<sup>1)</sup> Mald.

<sup>2)</sup> Ad. Maier

*Quem* ( $\delta\nu = \pi\epsilon\rho\iota \delta\nu$ ) i. e. de quo.

*In lege*, nimirum Gen. 49, 10. Deut. 18, 15, 18. —

*Prophetae*, scilicet Jesaias (40, 10; 45, 8.), Jeremias (23, 5.), Ezechiel (34, 23; 37, 24.), Daniel (9, 24, 25; 7, 13.).

*Filiū Joseph*. Loquitur ex vulgari opinione. Vulgus nimirum Jesum Josephi filium esse putabat, quod Maria ipsius mater erat, Josephus autem Mariae maritus.

*A Nazareth*, scilicet oriundum. Philippus, quum Jesum dicit Nazarenū (Luc. 18, 37. Joann. 19, 19.), ignorat, eum natum esse Bethlehemi (coll. Matth. 2, 1. Luc. 2, 4 — 7.). Quum jam ex Michaea (5, 2.) scire deberet, Messiam Bethlehemi nasciturum, mirum id posset videri. Ast res explicatur, si perpendatur, non omnes doctores Judaeorum verba illa Michaeae stricte de Messiae ortu Bethlehemi explicasse, sed putasse, de Messiae ortu nil certi statui posse (coll. Joan. 7, 27.), adeoque verba illa Michaeae generatim intellexerunt de Messiae ortu ex stirpe Davidis (Ad. Maier).

V. 46. *A Nazareth*, nimirum a loco tam parvo et obscurō. Nazarenum (hodie Nazirah) erat ignobile Galilaeae inferioris oppidum, non procul ab urbe Capharnaumo, ad montem situm, duas horas a monte Thabor, tres dies ab Hierosolyma distans. Nomen ejus derivant permulti a נָצֵר virgultum, surculus, quia virgultis abundabat. — *Aliquid boni esse* i. e. tantum prodire bonum, quantum est Messias (Jans.).

*Veni et vide* i. e. nolo tecum de Nazareth disputare, sed veni, vide et audi Jesum, et experieris, quod ego expertus sum (a Lap.). „Credere nos oportet, ait Cyrillus, ineffabilem quandam gratiam in sermone ac verbis Christi fuisse, quibus auditorum animi magna jucunditate allicerentur.“ (Cf. a Lap.).

V. 47. *Vere Israēlita*. Non vocatur ideo vere Israēlita, quia vere ex patriarcha Jacobo (qui ob luctam cum Deo cognomen acceperat Israēl, לִשְׁרָאֵל, ex לִשְׁרָאֵל pugnavit et לֶאָה Deus) ortus est, sed uti docent verba: in quo dolus non est (i. e. qui sine dolo et fuso candidus et sincerus est,) quia verus imitator candoris, simplicitatis et sanctitatis Israēlis seu Jacobi erat (Cf. Rom. 9, 4. 6.). Ostendit Jesus, se scire animi Nathanaēlis candorem et naturam, ut inde Nathanaēl cognoscat, Jesum non esse merum hominem, sed et Deum, cordium inspectorem (a Lap.).

V. 48, *Unde me nosti* i. e. unde scis animi mei indolem, qui nunquam me vidisti, nec tecum egisti?

*Priusquam te Philippus vocaret, cum essem sub ficu, vide te* i. e. animi tui indolem tunc cognovi, quando te vidi solum, et quidem antequam ad te accederet Philippus, sub ficu sedentem, eamque ex iis cognovi, quae tunc ibi clam egisti. — Quid vero Nathanaël sub ficu egerit, num ibi oraverit, an *Messiae adventum expetierit*, definiri nequit. Ceterum constat, orientales in more habuisse, sub ficubus sermones miscere cum amicis, meditari, legere, orare<sup>1)</sup>.

v. 49. *Tu es Filius Dei* i. e. tu, quum occultorum manifestatione et cordis cognitione omniscientiam, Deo soli propriam ostendisti, es verus Dei Filius, naturalis et consubstantialis<sup>2)</sup>.

*Tu es rex Israël* i. e. quia ut Dei Filius in forma humana hisce in terris apparuisti, ideo es ille a prophetis promissus Messias, ideoque (coll. ps. 2, 5. 6.) regni Davidis successor et haeres (a Lap.). Phrasis: *rex Israël erat apud Judaeos titulus Messiae.*

V. 50. *Credis, scilicet me Filium Dei, me Messiam esse.*

*Majus his videbis* i. e. non tantum scies meam omniscienciam, sed experieris etiam meam omnipotentiam in miraculis meis. Majus; graece μετώ (pro μετόνομα) scil. πράγματα, ergo majora facta, documenta potentiae, quae adhuc clarius dignitatem Christi divinam et Messianam manifestabunt.

V. 51. *Videbitis coelum apertum, et angelos Dei ascendentibus et descendebus supra filium hominis* i. e. ab hoc inde tempore (quod est initium perfectae revelationis) ut comites mei videbitis documenta potentiae, ut persuasissimum habeatis, per me intimam Deum inter et homines esse restitutam communionem. — Locus hic non potest intelligi de singulis angelorum apparitionibus, quales erant post Christi temptationem (Matth. 4, 11.), aut in horto Gethsemani, Christo agoniam paciente (Luc. 22, 43.), quum hae sint solummodo duas et in secreto factae; potius debet intelligi de communione inter Deum, angelos et homines per Christum restituta, et de omnigenis miraculis, quae visuri sint in vita Christi. — Alludit Christus ad visionem angelorum in scala e terra in coelum porrecta ascendentium et de-

<sup>1)</sup> Cf. Lighfootus, Kuinoel.

<sup>2)</sup> Cyrill., Aug., Mald., a Lap.

scendentium, factam Jacobo (Gen. 28, 12.). Sicut tunc Jacob in somno vidit coelum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes, ita apostoli re vera hanc arctissimam coeli cum hominibus communionem, quae per illam Jacobi scalam symbolice repreaesentabatur, experientur, quia partim re vera angeli ipsi subservientes a coelis ad terras descendedent et a terris in coelum ascendent, partim tam magnam miraculorum ejus copiam videbunt ipsi, ut, quum ea sint manifesta Dei dona, ipsum coelum eis videretur apertum<sup>1)</sup>). Explicationi huic favet etiam contextus, quum statim enarratur miraculum Canae patratum.

Formula: filius hominis (*ὁ γένος τοῦ ἀνθρώπου*) in N. F. est unus e titulis Messiae, quamvis per illam non adeo clare ejus dignitas indicetur, uti voce Christus, aut filius Davidis. Sumpta est haec formula e loco Danielis (7, 13.), ubi Danieli Messias nubibus vectus apparuerat ut filius hominis, ut homo, seu specie humana (כָּבֵד אָנָשׁוֹן, id quod כָּבֵד). Quum hic Danielis locus Christi aetate ab omnibus Messianus haberetur, verba: filius hominis communiter ut titulus Messiae adhibebantur. Christus ipse saepius hoc nomine utitur, et quidem ideo, quia dignitatem suam coram Judaeis, ad Messiam tanquam regem spiritualem suscipiendum nondum satis praeparatis, et ad seditionem contra Romanos proclivibus, nondum prorsus clare manifestare voluit; partim etiam ideo, ut eo suam voluntariam humiliationem in suscepta natura humana exprimeret. Qui attentiores erant et eorum recordabantur, quae apud Danielem (l. c.) leguntur, intelligere poterant, Jesum his verbis non aliud edicere voluisse, quam: ego Messias. Utitur loquens de se tertia persona, quod saepius in N. F. invenitur. (Cf. Berlepsch comment. in Matth. 8, 20.).

Vox angelus a graeco ἄγγελος (hebr. נֶגֶד) proprie denotat eum, qui nuntium ad alium defert, ergo nuntium, legatum; dein ministrum verbi divini, doctorem et praesulem ecclesiae (uti in apocal. c. 2, et 3.); per eminentiam autem sic vocatur singulare genus naturarum intelligentium, hominibus nobilius, insignibus a Deo dotibus instructum, uti h. l. Horum vero spirituum in N. F. duo commemorantur genera; al-

<sup>1)</sup> Franc. Lucas, Ad. Maier, Bucher, Massl, Mesmer Erklärung des Joh. Evang.

terum eorum, qui naturae suae congenitam integritatem conservarunt, atque angeli boni vocantur. In libris N. F. nominantur vel simpliciter: angeli, vel angeli Christi, angeli Dei, angeli Domini, angeli sancti, angeli coelorum, qui sunt in coelis, angeli electi, angeli lucis. Horum ministerio Deus usus esse perhibetur in s. scriptura ad mandata ipsius hominibus afferenda (Hebr. 1, 14. Matth, 1, 20; 2, 13. Luc. 1, 11. 13. 26. 28; 2, 9. 10. al . . ), uti h. I. et nunc quoque utitur in exequenda voluntate sua, praecipue in tuendis piis, puniendisque impiis (Matth. 4, 6. Luc. 4, 10, 11; Matth. 4, 11. Luc. 22, 43; act. 12, 7. 15.—12, 23.). Horum choro stipatus Christus ad iudicium aliquando redditurus sistitur (Matth. 16, 27; 25, 31. Marc. 8, 38. Luc. 9, 26.). — Alterum vero genus eorum est, qui suam integritatem primitivam perdiderunt, quos angelos malos appellamus, et qui in s. literis dicuntur: angeli diaboli, angeli draconis, angeli Satanae, angeli, qui peccaverunt; atque ab his origo impietatis et erroris omniumque religionis christianaem impedimentorum, interdum etiam origo miseriarum et calamitatum hujus vitae in genere, praecipue vero ob religionis christianaem professionem perferendarum derivatur.

*Amen*, (vox hebraica ἀληθής veritas, vere) ab initio est particula affirmandi et asseverandi, notans: vere, profecto (id quod ἀληθῶς, επ' ἀληθείας); in fine vero dictorum indicat desiderium, votum: ita sit, ita fiat. Apud Joannem passim geminate legitur, quo asseveratio magis intenditur.

## Caput II.

### 1) Nuptiae in urbe Canā (v. 1—11).

Ultimis capitibus praecedentibus verbis dixerat Christus, per se restitutam esse conjunctionem inter coelum et terram, Deum inter et homines. Hocce capite jam veritatem dicti sui comprobat primo miraculo, quod, uti reliqua miracula, ab evangelista enarratur, ut probet Jesum Christum esse fontem et largi-

torem luminis et vitae. Per miraculum Canae patratum declaravit se Christus largitorem vitae, quatenus ibi hominibus media suppeditavit, ut possint vita hilari frui (Bucher).

V. 1. *Die tertia*, nimirum a Christi profectione in Galilaeam<sup>1</sup>); Patritius: die tertia, postquam in Galilaeam pervenerat; quae explicatio praefferenda videtur, utpote quia pedestre, quale Christus fecisse creditur, iter in Galilaeam a loco, ubi Joannes Bapt. tunc morabatur, eo praesertim anni tempore, citius quam triduo confici commode haud poterat; neque Christus eo ipso die, quo in Galilaeam pervenerat, nuptiis accubuisse putandus est (Patrit. II. 395.).

*In Cana.* Cana (hebr. כָּנָה, fors a כְּנָה canna, arundine illic copiose crescente) fuit vicus Galilaeae, octo horas distans ab urbe Capharnaum, et quatuor cum dimidio ab oppido Tiberiade. Addit: Galilaeae ob lectores graecos.

*Nuptiae factae sunt.* Hae plerumque per septem dies celebabantur, pauperum tres aut unum diem. Quum etiam Maria, mater Domini nuptiis interesset, verosimiliter erat cognata aut sponsi aut sponsae, quod tanto verosimilius esse videtur, quia (coll. v. 12) filii sororis ejus, uxoris Clopae (Jacobus, Joses, Simon et Judas, qui communiter fratres Domini vocantur,) ad eas etiam invitati fuerint.

V. 2. *Vocatus est et Jesus*, quia nimirum Maria, mater ejus, invitata fuerat. Quum Josephi hic nulla sit mentio, ipse jam obiisse videtur (Epiph.).

*Discipuli ejus*, scilicet Petrus, Andreas, Philippus, Nathanael, fors et Joannes (Mald.). — Quaerunt, cur Christus hisce nuptiis interesse voluerit? Partim ut praeSENTIA sua conjugii sanctitatem probaret<sup>2</sup>; partim ut discipuli edocerentur, sobrium amoenitatum hujus vitae usum neutiquam esse illicitum, nec menti et doctrinae ipsius adversum.

V. 3. *Deficiente vino* i. e. cum vinum defecisset. Unde patet sponsum et sponsam fuisse pauperes.

*Vinum non habent*, nimirum despontati et convivae. Ita mater Christi angustiis cognatorum compassa dicebat, quia certe

<sup>1)</sup> Jansen, a Lap. Calm. juxta Orig.

<sup>2)</sup> Cyril., Euthym., Beda.

sciebat, filium ipsius inopiam vini, si vellet, sublevare posse. Non postulat imperando, aut rogando, sed modestetantum necessitatem indicando, eique relinquendo, quid facere vellet (a Lap.).

V. 4. *Quid mihi et tibi?* i. e. quid mihi tecum rei (negotii) est? Verba haec non sunt reprehendentis matrem; nam, ut prius diximus, Maria non intempestive rogabat, ut Christus vinum procuret, sed solummodo nude necessitatem responsatorum indicabat. Quia nimurum Maria per istam necessitatis indicationem naturam filii sui divinam adiit, volebat Christus prae-  
cavere, ne operatio ejus divina desideriis maternis i. e. humanis, subjecta esse videatur. Quapropter verbis istis Christus nil aliud vult dicere, quam: mea operatio divina non potest humanae auctoritali subjecta esse, ergo et species removenda est, ac si ob tuam voluntatem (humano affectu) miracula patrarem; nam in miraculis, o bona, non tui affectus, tuaque desideria, sed Dei voluntas mihi norma est; ideo miraculum non possum hoc temporis momento patrare.<sup>1)</sup> „Non erat illa, scribit s. Augustinus, mater divinitatis, et per divinitatem futurum erat miraculum (tract. 8. in h. l.). — Quapropter etiam, ut a se omnis carnalis affectus in faciendo miraculo suspicionem removeret, Mariam non matrem, sed mulierem appellat. Quae tamen vox nil duri acerbique in se continet; nam ita solebant Graeci compellare et alloqui feminas honestissimas,<sup>2)</sup> quando volebant observantiam et amorem erga eas significare; hinc valet id ac: o bona (gute Frau). Tandem omnis acerbitas in verbis his evanescit, si statuatur, Jesum ea verba suavi tono protulisse.

*Nondum venit hora mea* i. e. nondum adest tempus miraculi edendi (quia nimurum non aderat tempus a Patre definitum). Quod ita, (et non de passionis tempore, ut saepe) verba: hora mea, sint intelligenda, docet ipse hujus loci contextus (a Lap.).

V. 5. *Dicit mater ejus ministris: quodcumque dixerit vobis, facite.* Ex hisce patet, Mariam intellexisse, Christum verbis illis eam nec reprehendisse, nec significasse, se nolle facere miraculum; sed fiducialiter scivisse, Dominum tempore opportuno mi-

<sup>1)</sup> Bucher, Ad Maier.

<sup>2)</sup> Il. 3, 204 Xenoph. Cyr. 7, 3. 4. Dio Cass. 51. Augustus ad Cleopatram: Θάρσει ὡ γύρας.

raculum editurum esse. Ministri h. l. sunt ministratores cibi et potus.

V. 6. *Hydriae*. Hydria est vas ad aquam recipiendam aptum, vas aquale, unde deprompta aqua vasis minoribus infundebatur ad purgandas manus, antequam cibus caperetur (coll. Matth. 15, 2.) et lavanda vasa, calices et utensilia reliqua.<sup>1)</sup>

*Secundum purificationem* i. e. ad purgandas manus ante cibum capiendum et lavanda vasa etc. (coll. Marc. 7, 3.). — *Metretas*. Metreta est nomen mensurae atticae, quo insignitur amphora, mensurae genus in rebus liquidis adhibitum, continens 72 sextarios (uti hebr. οβ = 21 modios.

V. 7. *Eis*, scilicet ministris.

*Et impleverunt eas usque ad summum*. Eodem tempore, quo hydriae impletiae fuerunt, conversa illico est aqua in vinum, sine verbis, sine signis.<sup>2)</sup> Quaerunt Chrysostomus et Theophylactus, quamobrem Christus non sine aqua, et non sine ulla alia materia vinum fecerit? Quia venerat materiam corruptam renovatum, unde evidens erat, se esse illum ipsum, qui materiam initio mundi creasset. (Ita et fecit in utraque miraculosa cibatione, Matth. 14, 19. et 15, 36.).

V. 8. *Haurite*, nimirum ex hydriis illis magnis statim, ne quis putet, mora temporis, naturae vi, vel artificio hominum aquas conversas (Jansen.).

*Ferte* i. e. afferte, nimirum gustandum.

*Architriclinus*. Architriclinus (compos. ex ἀρχος princeps, praefectus, et τρίκλινον coenaculum) est praefectus triclinii, seu rector convivii (Speise= oder Tafelmeister); ejus erat convivium adornare, ministros atque ordinem dispensare, vinum haustu probare, numerum cyathorum unicuique praescribere. Diversus ab architriclino erat συμποσιάρχης, cuius erat mensas et lectulos collocare, cibos afferendos et removendos curare, fercula et vina praegustare.<sup>3)</sup> Alii vero<sup>4)</sup> per συμποσιάρχην intelligunt convivii praesidem, qui Latinis dicebatur: modimperator, arbiter,

<sup>1)</sup> Kuinoel.

<sup>2)</sup> Jans., Calm.

<sup>3)</sup> Wilke lex. in N. T.

<sup>4)</sup> Kuinoel, Ad. Maier, Hug.

dictator, qui a convivis ex eorum numero deligebatur, ut summa auctoritate convivis praesesset, leges bibendi daret etc.

V. 9. *Aquam vinum factam* i. e. vinum, in quod aqua erat conversa.

*Unde esset* i. e. unde provenisset hoc vinum.<sup>1)</sup>

V. 10. *Omnis homo* t. e. quivis (*έχαστος*).

*Bonum vinum ponit*, nimirum initio mensae, cum palati integritas sanissime de yini bonitate judicat (Jans.).

*Cum inebriati fuerint* i. e. cum ad satietatem biberint. Graecum enim *μεθύω* et *μεθύεσθαι* non semper significat inebriare, inebriari, sed saepe ut hebr. *τύπῳ* liberalem, largiorem tantum vini usum indicat. Sic (Gen. 43, 34.) Josephi fratres, cum ad satietatem biberint, inebriati fuisse dicuntur, quia vix tale quid coram Aegypti prorege ausi fuissent (cf. Calm., Kuinoel, Ad. Maier). — *Tunc, quod deterius est*, quia nimirum ventre vino referto palatum minus recte judicat de vino (a Lap.) — *Tu servasti bonum vinum usque adhuc* i. e. tu servasti bonum vinum usque ad hoc tempus contra communem hominum morem. Hic relinquuit intelligendum evangelista, nimirum: sponsum se nihil de eo scire respondisse, architrichinum ministros interrogasse, qui totam rem, uti contigerat, enarrarunt. Ceterum Christus, uti ait s. Augustinus (tract. 8. in Joann.) hoc miraculo ostendit, se esse, qui omni anno hoc facit in vitibus, et, uti dicit s. Chrysostomus (hom. 22, 2.), qui in vitibus aquam transmutavit<sup>2)</sup>

V. 11. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae* i. e. hoc fecit primum omnium miraculorum, quae fecerit Christus. — *Gloriam* i. e. divinitatem suam (Mald.).

*Et crediderunt* i. e. et longe firmius crediderunt. Antea enim jam crediderunt; sed hoc miraculo fides eorum confirmata est (Mald. Calm.).

**2) Iter Christi Capharnaum et Hierosolymam ad primum paschatis festum, prima negotiatorum e templo ejectio (12—25).**

V. 12. *Capharnaum*; hebraice כְּפָרָנָא vicus Nahumi, seu vicus solatii, erat florentissima Galilaeae civitas in confiniis tri-

1) Cf. Beelen gramm. graecit. N. T. p. 284.

2) Cf. a Lap.

bus Zabulon et Nephtalim ad mare Galilaeae sita. Urbs haec opportunissima omnino erat sedes Christi ob magnum hominum mercaturaे causa convenientium confluxum. Ceterum, dum hac vice Christus ibat Capharnaum, nondum domicilium ibi sibi fīgebat: non enim iter hoc est idem cum illo apud Matthaeum (4, 13.). Quum altera vice e Judaea venisset in Galilaeam, Capharnaumi domicilium fīgebat (Ad. Maier.).

*Fratres ejus* i. e., consanguinei ejus.

### De fratribus ( $\delta\delta\epsilon\lambda\varphi\sigma\iota\varsigma$ ) Christi.

In N. T. scriptis plures commemorantur Jesu Christi frātres ( $\delta\delta\epsilon\lambda\varphi\sigma\iota$ ) ut Matth: 12, 46; 13, 55. Marc. 3, 31; 6, 3. Luc. 8, 1, 9 Joan. 2, 12; 7, 3. 5. 10; act. 1, 14. Gal. 1, 19. 1 Cor. 9, 5,) et sorores ( $\delta\delta\epsilon\lambda\varphi\alpha\iota$  Matth. 13, 56. Marc. 6, 3.); hinc non mirum quod multi haeretici inde ab Helvidio, quem s. Hieronýmus docte <sup>partim</sup> fuseque refutavit (in comment. in h. l.), impio studio demonst̄are conatisint, hos fratres hasque sorores fuisse Christi frātres germanos germanasque sorores i. e. fuisse, homines ex iisdem cum Christo parentibus, Josepho et Maria prognatos. Hunc exsecrabilem errorem ecclesia cath. utpote docens, Mariam post partum Christi virginem in violata m permansisse, jure meritoque damnavit et haereseos nota compunxit. — Per frātres enim et sorores Christi non esse fratres et sorores sensu stricto et proprio, sed im proprio i. e. cognatos, consobrinos Christi intelligendos, sequentia postulant rationum momenta:

1.) Unanimis antiquorum traditio habet, Mariam, matrem Christi, nullos praeter eum peperisse filios (aut filias). Videsis Corn. a Lap. in Matth. 12, 46.

2) Usus loquendi biblicus non postulat, ut vox frātres aut sorores accipiatur de talibus fratribus aut sororibus, qui filii aut filiae Mariae, matris Christi, fuissent; nam vocabulum  $\delta\delta\epsilon\lambda\varphi\sigma\varsigma$  et  $\delta\delta\epsilon\lambda\varphi\gamma$ , uti hebr. נָזֵר, et נָזְרֶה (Gen. 24, 60. Job 42, 11.) non tantum designat fratrem germanum et sororem germanam sed etiam consobrinum, cognatum generatim. Sic (Gen. 14, 14. 16.) Lot vocatur Abrahāmi frater, licet esset frātris ejus filius (cf. Gen. 13, 8; 29, 12.)

3) Vocem  $\delta\delta\epsilon\lambda\varphi\sigma\varsigma$  et  $\delta\delta\epsilon\lambda\varphi\gamma$  non esse de fratribus et sororibus Christi germanis sumendam, etiam inde patet, quod sic

dicti fratres Christi nullibi filii (aut filiae) Mariae, matris Jesu vocantur (cf. Matth. 12, 46. Marc. 3, 31. 32. Luc. 8, 19. 20. Joan. 2, 12.); porro quod Christus in cruce jamjam moriturus (coll. Joan. 19, 26.) matrem suam Joanni, Zebedaei filio, commendavit, Joannes autem eam ab illa hora in sua recepisse perhibetur. Si mater Christi alios praeter eum habuissest filios, si illi viri, qui in N. F. fratres Domini appellantur, sensu stricto fratres fuissent, ipsi, Jesu mortuo, matris curam gerere debuissent et sine dubio etiam lubenter gessissent.

4.) Ex ipsa scriptura N. F. potest probari, per fratres Domini intelligendos esse cognatos, consobrinos Christi, non autem fratres sensu stricto.

In epistola ad Galatas (1, 19.) commemoratur Jacobus, qui frater Domini vocatur, et haud ambigue tanquam apostolus designatur, imo (2, 9.) pari ac apostoli Petrus et Joannes auctoritate florere videtur (saltem in Jerosolymitana ecclesia). Jam autem s. N. F. literae praeter Jacobum, Zebedaei filium, solummodo unicum apostolum Jacobum commemorant; nam in omnibus quatuor apostolorum catalogis (Matth. 10, 3. Marc. 3, 18. Luc. 6, 15. act. 1, 13.) praeter Jacobum Zebedaei filium, tantum unus Jacobus, Alphaei filius enumeratur, in reliquis autem locis, in quibus post mortem Jacobi, Zebedaei filii, de Jacobo sermo fit, s. literae de eo ita loquuntur, ut evidens sit, mortuo Jacobo, Zebedaei filio, hunc Jacobum, Alphaei filium, unicum esse hujus nominis; non enim amplius, uti prius, quum Jacobus, Zebedaei filius in vivis esset, per certa epitheta ab eo distinguitur (cf. act. 12, 17; 15, 13; 21, 18. Gal. 2, 12.). — Jacobus itaque, qui in epistola ad Galatas (1, 19.) frater Domini dicitur, nemo alius est, quam Jacobus, Alphaei filius, qui ob id ipsum non est frater Christi germanus; si tamen frater ejus vocatur, talis dicitur solummodo ex usu loquendi biblico, qua ejus cognatus, consobrinus (*ἀνεψιος*). — Jacobum, Alphaei filium, autem fuisse cognatum Christi, ex sequentibus patet.

Juxta Joannem evangelistam (19, 25.) soror matris Christi etiam Maria vocata, quae apud Matthaeum (27, 56.) et Marcum (15, 40.) mater Jacobi nominatur, uxor erat Cleophae (Cleophae του Κλωπᾶ). Nomen vero Κλωπᾶς idem est ac Αλφαῖος (Alphaeus), utrumque translatum ex hebraico nomine אַלְפָאֵז.

Graeci nimirum, quando nomina hebraica in linguam graecam transferuntur, literam Ι solent aut plane abjicere, aut mutare in Η, uti a Mattheo et Marco factum est (qui habent Αλφαῖος), aut per K (χαππα) pronuntiatur, uti a Joanne factum est (qui habet Κλωπᾶς. — cf. Patrit. III, 45.). Si vero Maria, soror matris Christi, mater Jacobi dicta, erat uxor Alphaei, liquet, Jacobum Alphaei filium esse consobrinum Christi, a matre. — Si autem Jacobus hocce sensu improprio frater Christi est, etiam Joses (Joseph), eodem sensu improprio frater Christi est; nam (coll. Matth. 27, 56. Marc. 15, 40. cum Joan. 19, 25.) mater ejus eadem est ac Jacobi, nimirum Maria, soror matris Christi, idemque pater Alphaeus. — Id ipsum valet etiam de Juda et Simone, qui praeter Josen (coll. Matth. 13, 55.) fratres Jacobi erant. Auctor epistolae Judae, quae ab antiquissimis temporibus apostolo Judae, tanquam auctori adscribitur, se nominat (v. 1.) simpliciter fratrem Jacobi (*ἀδελφὸς Ἰακώβου*). Quum iam simplici hac nuncupatione ille tum solum cognoscitur, si per hunc Jacobum ille insignis lectoribusque notissimus Jacobus, Alphaei filius, Jerosolymitanus episcopus intelligatur, consequitur, apostolum Judam, auctorem epistolae, esse fratrem Jacobi, Alphaei filii, hinc et unum ex illis, qui apud Mattheum (13, 55.) et Marcum (6, 3.) fratres Christi appellantur. Sicut autem Jacobus, utpote Alphaei et Mariae, sororis matris Christi, filius, frater Christi non sensu stricto, sed improprio, qua ejus consobrinus, dicitur, ita et Judas eodem sensu improprio frater Christi vocari putandus est. Si autem Jacobus, Joses et Judas fratres sunt, verosimillimum est, etiam Simonem, qui inter eos enumeratur, eorum esse fratrem; hinc omnes quatuor filii Alphaei et consobrini Christi. Confirmat hoc Hegesippus (apud Euseb. hist. eccl. IV, 22.), qui Simonem (seu Simeonem), alterum Hierosolymae episcopum, dicit filium Clopae. Sed iterum hic Simon non est confundendus cum apostolo ejusdem nominis (cf. Matth. 10, 4.); nullibi enim, ubi Eusebius de Simeone, filio Clopae, altero Hierosolymae episcopo, loquitur, ullo modo innuit, se de quodam apostolo loqui (cf. hist. eccl. III, 11. 32; IV, 22.). — Nonnulli veri minus simile putant, duas sorores germanas idem nomen Mariam habuisse (quod sententia nostra de fratribus Christi supponit); hinc, quum Hegesippus refert, Clopam fuisse fratrem s. Josephi, dicunt, a Joanne (19, 25.) uxorem Clopae dici sororem matris Chri-

sti, quia ejus affinis (Schwägerin) erat, et filios ejus atque Clo-  
pae ideo dici fratre s Christi, quia filii erant fratris s. Josephi. —  
Ast antiquissimis temporibus morem fuisse sororibus eadem no-  
mina imponendi, historia docet. Sic Octavia, soror imperatoris  
Augusti habebat quatuor filias, quarum duabus erat nomen Mar-  
cella, duabus vero Antonia. (Cf. Kirchenlexicon v.. Wetzer u.  
Welte, II. B. S. 181.). — Ex his itaque duce ipsa etiam s. scrip-  
tura discimus, ita dictos fratres Christi (hinc et sorores) non fuisse  
fratres (aut sorores) ejus stricto sensu, sed consobrinos. (Cf.  
Arnoldi, Friedlieb, Windischmann Galater-Brief, Bisping et Es-  
tius 1 Cor. 9, 5 Veith Dodecatheon S. 149.). — Sententiae nos-  
triae non adversatur, quia fratres Christi (coll. Luc. 8, 19.) Matth.  
12, 46. Marc. 3, 31. et act. 1, 14.) discernunter ab apostolis  
comitibus Christi. —

Poterant discerni, quia praeter consobrinos, qui apostoli  
erant, etiam alii (uti Joses et Simon) et fors plures alii erant, qui  
non erant apostoli, et de quibus tanquam de notis personis, utpote  
fratribus Christi, homines loquebantur. — Nec etiam, si juxta  
Joannem (7,5.) fratres Christi non credidisse in eum dicun-  
tur, sententia nostra, juxta quam nonnulli eorum apostoli erant,  
evertitur. — Nam verba illa non sunt necessario de totali fidei  
defectu intelligenda, sed accipi etiam possunt de fide nondum  
satis firma plena perfectaque. Talem autem etiam in apostolis  
certis temporis momentis obtinere potuisse, et revera obtinuisse,  
docent multa evangeliorum loca, quibus eis fidei infirmitatem, aut  
momentaneum ejus defectum Christus exprobrat (cf. Luc. 24, 25.  
Joan. 20, 27.). — Sed si etiam concederetur apud Joannem l. c.  
sermonem esse de hominibus, qui eo saltem tempore nondum  
credebant, proindeque nec sectatores Christi, nec apostoli erant,  
nostra sententia hac re non everteretur; nam non dicimus omnes  
fratres Christi dictos, fuisse apostolos, hinc utique cogitare licet,  
praeter illos consobrinos Christi, qui apostoli erant, alios et fors  
plures cognationis vinculo Christo conjunctos, fuisse, qui tempore,  
de quo Joannes loquitur, nondum in Christum crediderant. Ex dictis  
simul eluet, nil obesse, cur etiam vox ἀδελφας, sorores (Marci  
6, 3.) non accipiatur de consobrinis, quod traditio poscit, qua-  
tenus Christum solum e Maria natum fuisse testatur.

V. 13. *Pascha*, nimirum primum post baptismum Christi.

Addit: **Juda eorum respectu ad lectores, qui non erant Judaei (Mald.)**. — **Pascha** (*πάσχα*) ab hebr. **פֶּסַח** et forma aramaica **נְסָחָה**, transitus a verbo **פָּסַח** transiit. Hinc vox haec ante omnia significat illum transitum, quo angelus perditor percutiens primogenita Aegyptiorum, domos Hebraeorum sanguine agni illitas praeteribat (Exod. 12, 12. seq.). Quum autem in memoriam transitus illius Judaei quotannis festum agere agnumque mactare et comedere juberentur, etiam ipsum hoc festum et agnus nomine hoc designabantur, nimirum: festum paschatis seu paschale, pascha, et agnus paschalis. Festum hoc initium sumpsit sub vesperum quartae et decimae diei mensis Nizanis, et per septem dies celebrabatur (Exod. 12, 18.). Tempore Christi etiam dies praegressus et quidem in Galilaea integer, in Judaea inde a meridie celebrabatur, et sanctus, utipascha habebatur; quare etiam Josephus Flavius<sup>1)</sup> de octo hujus festi diebus loquitur. — Dicebatur festum hoc etiam festum panum non fermentatorum (*τῶν ἀξύμων* quia per integros septem et serius octo dies paschales Judaei panes non fermentatos comedere solebant<sup>2)</sup>).

*Ascendit*, nimirum Nazaretho. Ascendere dicitur ideo, quia Hierosolyma in loco editiore sita erat, quam ceterae Palæstinae regiones, hominibus habitabiles.

V. 14. *In templo* (*ἐν τῷ ἱερῷ*). Per templum h. l. non est intelligendum templum stricte tale, i. e. sanctum, aut sanctum sanctorum; nam in graeco non est *ναός*, sed *ἱερόν*, quod denotat integrum templum i. e. sanctum sanctorum (*ναός*) et omnes partes exteriores i. e. porticus et atria. Ad atrium mulierum erat atrium aliud, in quod aditus patebat pollutis a mortuo et gentilibus, unde etiam atrium gentilium vocabatur. Ibi vendebantur in dies oleum, thus, vinum aliaeque res ad sacrificia necessariae, columbae, agni, boves . . ac victimae omnes a sacerdotibus jam spectatae et probatae. Ex hoc igitur loco ex atrio gentilium, ejecit Jesus vendentes et ementes. Strepitus scilicet negotiantium turbabat eos, qui cultus Dei causa advenerant, variique generis fraudes ibi committebantur, fraudes rixas et jurgia causabant, quibus templum profanabatur. Sacerdotes autem lucro intenti, hanc profanationem concedebant, prorsus immemores officii

<sup>1)</sup> Antiq. II, 15, 1.

<sup>2)</sup> Jos. Flav. antiq. III. c. 10. et II. c. 15.

sui. Expulit ergo Christus, usus auctoritate et potestate, homines illos, quin ullus ei resistere ausus esset, quia suae culpae conscientia perculti, praesentem animo senserunt Messiam, quippe quum ex oculis ejus, uti s. Hieronymus dicit, igneum quiddam atque sidereum radiaret, et divinitatis majestas luceret in facie. Simul vero hoc facto declaravit, se esse Messiam, quem Judaei templi dominum appellare solebant, et cui adscribebant potestatem legum cultus ferendarum, abrogandarum et innovandarum<sup>1)</sup>. — *Columbas*; columbae nimirum erant pauperum victimae, velut puerarum.

*Nummularios*. Nummularii (*χερματισται*, vel *χολλυβισται* a voc. *χόλλυβος* nummus minutus, item nummus pro permutatione datus, collybus, Agio, Aufgeld) erant homines, qui in atrio gentilium nummos graecos vel romanos Judaeis permutabant cum iudaicis, dimidio sicli, (aequans didrachmum, seu duas drachmas atticas), quo sacrum Judaeorum tributum solvi debebat.

*Sedentes*, nimirum in sellis (coll. Matth. 21, 12.).

V. 15. *De funiculis*, quos scilicet illic invenit pecorum venditorum atque immolatorum, quibus (funiculis) pecora expulit.

V. 16. *Auferte ista hinc*. Auferri jubet, quia cum columbae caveis essent inclusae, abigi non poterant, ut oves aut boves (Menoch.). — *Et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. Verba haec sunt directa ad omnes, non ad solos vendidores columbarum. Domum Patris mei i. e. templum. Templum dicitur domus Patris seu Dei, non quasi in eo velut in domo, Deus corporaliter inhabitet, (hoc enim negat s. Paulus act. 17, 24.), sed quia templum est locus deputatus ad colendum et orandum Deum, in quo Deus preces orantium exaudit; templum vero christianorum specialiter dicitur domus Dei, quia in eo corporaliter habitat in s. Eucharistiae Sacramento Christus Dominus, ait s. Thomas (a Lap.).

*Domum negotiationis* i. e. emporium rerum venalium. Apud synopticos (Matth. 21, 13. Marc. 11, 17. Luc. 19, 46.) legitur: vos fecistis illam speluncam latronum, nimirum istis mercimoniis quia cum avaritia, mendaciis, fraudibus et consequenter inopum despoliatione conjuncta esse solent. (Jans.) Quae verba sunt ex Je-

<sup>1)</sup> Kuinoel, Berlepsch in Matth. comment. 21, 12.

remia (7, 11.) deprompta; dum verba: **domus mea domus orationis vocabitur** (i. e. templum meum est locus precibus fundendis dicatus), occurunt in Jesaia (56, 7.) Nota. Etiam Synoptici referunt ejectionem vendentium e templo. Sed differunt a s. Joanne eo, quod factum, quod referunt paulo ante Christi mortem collocant, dum s. Joannes illud ad initium munera Christi publici ponit. Tenenda est hac in re sententia eorum, qui dicunt, factum, quod Joannes refert, diversum esse ab hoc, quod reliqui evangelistae narrant. Silentium Joannis de simili eventu altero nil contra hanc sententiam demonstrat, quia Joannes alia etiam facta non narrat, quae reliqui evangelistae consignarunt. Praeterea repetitio actionis similis nil improbabilitatis in se habet, quum abusus ille altas jam egisset radices, ita ut factum Christi primum a Joanne narratum, non facile in perpetuum eum tollere potuisse. Huic sententiae favet etiam arctus nexus, in quo factum hoc Christi tum apud Joannem, tum apud reliquos evangelistas positum est cum aliis eventibus; porro differentia quorundam in facti delineatione juxta Joannem et reliquos<sup>1)</sup>

V. 17. *Recordati sunt, quum scilicet illud factum viderent.* — *Scriptum est, nimurum psalmo 68. (v. 10.), qui pro Messiano habetur.*

*Zelus domus tuae* i. e. fervor ardensque studium procurrandae gloriae templi tui, in quo tu, o Domine, quasi in domo tua habitasti, atque indignatio, quam in vendentes, qui illud profanant et pessumdat, concepi (a Lap). — *Comedit me* i. e. absorbuit, consumpsit me.

V. 18. *Judaei* i. e. synedri (membra magni synedrii), qui hac de re certiores redditи sunt. — *Quod signum ostendis, quia haec facis* i. e. quo miraculo ostendis, hanc auctoritatem (jus) tibi competere, ut exturbes ex templo eos, quos sacerdotes admiserunt (Jans.). Cf. Matth. 21, 23. — Responsum Christi congruit cum responso ejus, postea alia occasione dato, ubi Christus legisperitis et pharisaeis signum postulantibus, dicit, aliud signum eis non datum iri, nisi signum Jonae prophetae i. e. magnum resurrectionis ejus miraculum (cf. Matth. 12, 39.).

1) Cf. a Lap, Calm., Kuin.

V. 19. *Respondit i. e. loqui exorsus; quia nulla praecessit interrogatio.* — *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud* i. e. si solveritis (seu destruxeritis) templum corporis mei (me nimirum occidendo), intra tres dies ego (propria virtute) resuscitabo illud. — Dum hoc dixit, digito in corpus suum monstrasse censendus est. Imperativo subest notio permissionis<sup>1)</sup>. — Verbis his Christus declarat se dominum vitae, ut v. 21. et 22. ostendunt. — Si Christus h. l. et postea (10, 18.) propria virtute seipsum ad vitam suscitaturus perhibetur, dum in aliis locis (act. 2, 24; 3, 15; 1 Cor. 6, 14,) a Deo Patre suscitatus dicitur, non est pugna; Christus enim, quatenus est Deus, propria virtute resurrexisse credendus est, quatenus vero est homo, a Patre ad vitam resuscitatus dicitur, et quidem per appropriationem, quia, quamvis omnia opera ad extra tribus personis sint communia, potentiae opera appropriantur Patri, quale est mortui ad vitam resuscitatio (s. Thom., Beelen comment. in epist. ad Rom. 8, 21.). — Christus porro nolebat miraculum facere, quia sciverat, miraculi patrationem fore inutilem; ideo etiam significat eis obscure illud magnum suae resurrectionis miraculum (cf. Matth. 12, 39. 40.), sicut sub parabolaram involucro loqui solebat adversariis suis, quia volebat, ut veritas sub illo involucro eos celaret (vid. commentar. in Matth. 13, 13.). Quum igitur Christus Judaeis consulto veritatem sub involucro horum verborum obscurorum abscondere vellet, ideo poterant facile verba ejus perperam intelligere. Christus tamen apte poterat corpus suum dicere templum, quia jam in A. T. Hebrei corpus nominare solebant domicilium seu domum (גְּדֹמָה Jes. 38, 12.) animi; praeprimis vero sensu sublimiori, quatenus in eo (seu natura ejus humana) inhabitat plenitudo divinitatis, i. e. Deus in tota sua substantia substantialiter (Col. 2, 9.), prouti a s. Paulo (1 Cor. 6, 19.) corpora christianorum vocantur templum Spiritus s. (cf. Ad. Maier, Kuin.). — In tribus diebus i. e. intra tres dies (non integros), quum non plene tres dies fuerit in sepulchro. Est ergo sensus verborum Christi: Vos, o Judaei increduli, petitis a me miraculum, en ego vobis illud assigno, nimirum meam a morte resurrectionem, quod quidem vobis, quia increduli estis, obscurum nunc est, sed illud

<sup>1)</sup> Beelen gram. p. 345.

paulo post intelligetis, cum me videbitis, die tertia resurgere, inde cognoscetis, quis, qualis et quantus ego fuerim (a Lap., Beda.).

V. 20. *Dixerunt Judaei*, nimirum Christi verba perperam intelligentes. — *Quadraginta sex annis . . templum hoc.* Templum, de quo hic Judaei loquuntur, non est Salomonicum (quod 7 annis erat aedificatum, sed templum a Zorobabele post redditum e captivitate restauratum, quod Herodes magnus, ut populum Judaicum sibi devinciret, 18. anno regni sui, augustius et ornatius sensim et per partes erigere et innovare coepit. Herodes ipse annos 9 cum dimidio in illius restauratione consumpsit, sed opus non omni ex parte absolverat, nam post ejus mortem nova augmenta et ornamenta addita sunt non sine intercapidine, donec tempore Agrippae II. (a. 64. post Christum) totum aedificium absolutum est.<sup>1)</sup> — Quum annus 18. imperii Herodis, qui anno 717. u. C. imperio potitus est, incidit in annum 734—735. (a mense Nizan usque ad mensem Nizan), habemus, si anni 46 illi anno annumerentur, annum 780. vel 781. post urbem cond., qui annus, in quem nostrum pascha incidit, chronologiae prorsus congruit<sup>2).</sup> — Ceterum (coll. Matth. 26, 61.) Judaei haec Christi verba habebant pro blasphemia templi, ergo et pro blasphemia Dei.

V. 21. *De templo corporis sui* i. e. de templo, quod erat corpus ipsius.

V. 22. *Cum resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli, quia hoc dicebat*, i. e. viso resurrectionis eventu recordati sunt illorum Christi verborum (v. 19.), et quid illa sibi vellent, quae antea non videntur intellexisse (Jans., Mald.). — *Et crediderunt scripturae* i. e. et intellexerunt scripturae loca (ps. 15, 10. Hos. 6, 3. Jon. 2, 1.), quae Christum a mortuis resurrectum praedicunt, cum ea in Christi resurrectione re ipsa completa videbunt (a Lap.) — *Sermoni, quem dixit Jesus, scilicet solvite . .*

V. 23. *In Pascha* i. e. diebus paschalibus (quorum septem erant numero). — *In die festo* i. e. in festo scil. Iudeorum (coll. v. 13.). Addit hoc propter lectores graecos. — *Vox die* (Vulgata) eliminanda est, quia festum paschatis non una die celebra-

<sup>1)</sup> Jos. Flav. antiq. XV. 11, 5. 6., Patrit., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Wieseler Chronolog. Synopse S. 165., Tischendorf synopsis evang. XXIV.

batur. — *In nomen ejus* i. e. in eum, quod nimur sit Messias. — *Signa* i. e. miracula.

V. 24. *Non credebat semet ipsum eis* i. e. non se eis (in ipsum credentibus) committebat, seu non confidebat eis. — In graeco est paronomasia. — *Eo quod ipse nosset omnes* i. e. eo quod nosset, ipsos, facile mutabiles, praecognitas de terreno Messiae regno opiniones fovere, et ideo timendum esse, ne illi eum ut regem populi Israël proclamando, seditionem contra Romanos excitarent, quod rei ipsius in detrimentum cedere debuisset (6, 14, 15.) Cf. Ad. Maier. —

V. 25. *Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine* i. e. et quia opus non habebat ex alio discere, qualis esset hic, aut ille, qui ejus comes esse volebat. — *Ipse enim sciebat, quid esset in homine* i. e. ipse enim optime novit animum, mentesque et cogitata hominum. — Nam Christus, qui ut Verbum ( $\lambda\delta\gamma\sigma$ ) est lux hominum, quae illuminat quemvis hominem in nativitate, utique nosse debet corda hominum. — Ex hoc loco Patres recte probarunt Christi divinitatem. „Haec enim dignitas, ait s. Cyrillus, vero Deo solummodo, nec ulli creaturarum attribuitur, esse  $\chi\alpha\rho\delta\iota\gamma\nu\omega\sigma\tau\gamma\nu$ , novisseque hominis animum, nullis exterioribus argumentis declaratum.“

### C a p u t III.

#### **1) Colloquium cum Nicodemo (v. 1—21).**

In hoc colloquio, quod post paschatis festum institutum erat (coll. 2, 23.), cuique saltem Joannes interfuisse censendus est, progreditur evangelista in sua sententia comprobanda, nimirum Jesum esse vitam, ostendendo, ipsum esse, qui mortem spiritualem vincat, quum in eo et per eum hominibus datum sit unicum medium, consequendi vitam aeternam (cf. Bucher).

V. 1. *Homo* i. e. quidam ( $\tau\epsilon\varsigma$  ex hebraismo). — *Ex pharisaeis* i. e. phariseus, seu phariseorum sectae addictus. — *Nicodemus*; hebraice: נִכּוֹדֵם, ex נִכּוֹדֵם innocent et סְבָבָה sanguis; hic

in sepeliendo Christi corpore adjuvit Josephum (19, 39.). — *Princeps Iudeorum* i. e. assessor synedrii magni (cf. 1, 19.).

V. 2. *Ad Jesum.* Lectio: ad eum ( $\pi\rho\delta\varsigma\alpha\dot{\nu}\tau\delta\nu$ ) ob codices praestantissimos praeferenda. — *Nocte.* Nocte accessit ob metum, ne odium collegarum suorum incurreret. Hi enim, utpote in cathedra Mosis sedentes (coll. Matth. 23, 2.), ergo vocati legis doctores sibi unis tribuebant jus sacrae scripturae interpretandae; quapropter etiam sibi tribuebant facultatem explicandi loca scripturae Messiana, hinc et dijudicandi, quis Messias esse possit, et quis qua talis habendus sit. Quum Jesus non talis esset, qualem sibi ipsi finxerant Messiam, ideo adversarii facti sunt ejus, et quamvis miracula patrasset, eum tamen nolebant pro Messia agnoscere. Quicunque ergo assessorum adiret Jesum, necessario odium reliquorum incurrere debebat (cf. Bucher). — *Scimus;* pluralis referendus est non tantum ad Nicodemum, sed etiam ad alios, qui eandem cum Nicodemo habebant de Jesu persuasionem. — *A Deo venisti* i. e. a Deo missus (coll. 7, 29; 8, 42.). Verbis his prodit Nicodemus, quod putasset, Jesum esse legatum divinum, et si eum non pro ipso Messia haberet, saltem eum pro propheta agnovit, qui ipsum de Messia et regno ejus instruere posset. — *Haec signa* i. e. hujusmodi miracula. Unde patet, Nicodemi persuasionem nixam fuisse factis insignibus. — *Nisi Deus fuerit cum eo* i. e. nisi Dei auctoritate et ope fulciantur (a Lap.).

*NB* V. 3. Quum verba Jesu non accurate cohaerent cum Nicodemi alloquio, verosimiliter Christus ad id, quod sciebat, eum scire et ideo interrogare velle, statim respondit, ut statim ab initio inutiles aut absurdas reprimeret interrogationes (Mald., a Lap.). Si itaque Nicodemus interrogare volebat de restauratione regni Israël, loquitur Christus de regno Dei, i. e. de regno, ad quod nec imperium hujus mundi, nec restitutio regni Davidici spectat. — Et si Nicodemus tanquam Abrahami posterus putabat, se fore membrum hujus regni atque insignem in eo nacturum esse dignitatem (coll. Matth. 3, 9.), et hac de re jam Christum interrogare volebat, Christus loquitur de secunda nativitate (generatione), omnibus, nemine excepto, necessaria, qui vellent participare bona Messiana. Quamvis ut legis doctor scire poterat, per illam secundam nativitatem, quum jam *Ezechiel* (36,

25. 26.) locutus est de populi Israël expurgatione tempore Messiae, intelligendam esse moralem (spiritualem) nativitatem, praeprimis quum Judaeis ~~hunc temporis~~ formulae: nova generatio, nova creatura, neonati, de proselytis adhibitae, notae essent, verba illa Christi tamen, quum uti omnes legis doctores, et ipse illa expurgatione morali non indigere putaret, (coll. v. 4) crasse intellexit (Bucher). — *Nisi quis*; neminem excipit, non adultum, non infantem (Ambros.). — *Denuo*. Graeca vox ἀνωθεν potest significare vel superne, de sursum, de coelo (ἐκ θεοῦ) ita ut sensus sit: nisi quis natus fuerit regeneratione coelesti et divina;<sup>1)</sup> vel potest significare: denuo, iterum (ἐκ δευτέρου Hesychius). Hoc altero significatu hic esse accipiendam, liquet ex Nicodemi responso v. 4.<sup>2)</sup> Quod ad ipsam rem attinet, non datur discriminem, quum qui ex Deo nascitur, eo ipso iterum nascitur. — *Videre* i. e. particeps fieri, possidere, perfungi. — *Regnum Dei* i. e. regni divini, quod hisce in terris incipit et in altera vita perdurat. Quum vero ille, qui particeps factus est hujus regni divini per regenerationem, jam simul participat vitam aeternam, quae a justificatione incipit, et in aeterna beatitate perficitur, ideo regnum Dei est synonymum cum vita aeterna (ζωή αἰώνιος) s. Joannis.

*Regnum Dei*. Formula haec est synonyma formulis: *regnum coelorum* (5, 3. coll. Luc. 6, 20. Matth. 11, 11. coll. Luc. 7, 28.) et *regnum Christi* (Eph. 5, 5; 2 Pet. 1, 11.). Denotant autem hae formulae, ubi Christus iis utitur, aut apostoli Spiritu ejus collustrati, regnum illud, cuius initium Christus, dum hisce in terris degeret, posuit, quod in festo pentecostes solemniter constituit, in quod pedetentim omnes populi recipiendi atque in eo mediis spiritualibus ab iis adhibitis interne renovandi, filiique Dei reddendi erant, et quod in altera vita (sublimiori forma) in aeternum durabit. De regno hocce in s. scriptura vario sub respectu mentio habetur. Sic 1) fit mentio generatim de regno his in terris jam existente (Matth. 12, 28. Luc. 16, 16; 17, 20. aliisque); — dein 2) de regno extrinsecus apparente (ecclesia militans Matth. 16, 19; 13, 31. 32. 47.); — 3) de regno, quod in hominis animo praesto est, (Luc. 17, 20. Rom 14, 17.); tan-

<sup>1)</sup> Cyril., Theophyl.

<sup>2)</sup> Cf. Mald., a Lap.

dem de regno in altera vita existente (regnum consummatum, ecclesia triumphans — Matth. 13, 43. Marc. 9, 47. Luc. 13, 29.). Pro his ergo formulis hisce pro diverso contextu designatur vel ecclesia militans (ecclesia his in terris a Christo fundata), vel gratia Spiritus s. in hominis animo efficax, vel doctrina evangelica ejusque efficacia, vel beatitas aeterna, (ecclesia triumphans, coelum), vel autem omnia simul. Regnum hoc Christi aut Dei dicitur regnum coelorum (*βασιλεία των οὐρανῶν*), quia de coelo, Dei sede, adductum erat, ibique in aeternum continuabitur. — Si autem formulis his utuntur Judaei, aut apostoli Spiritu s. nondum collustrati, tunc denotant regnum Messiae terrenum, quod sibi finxerant Judaei. (Cf. Patrit. III, 477.)

V. 4. Loquitur ita, quia, uti ait s. Augustinus, non noverrat nisi unam nativitatem ex Adam et Eva (carnalem ex patre et matre), spiritualem nativitatem, uti dicit s. Cyrillus, non capiens; quamvis scire poterat, si memor fuisset illius purgationis populi Israël tempore Messiae, de qua locutus est propheta Ezechiel (36, 25.). — Quaesitae sunt explicationes illorum, qui verba Nicodemii non proprio accipiunt significatu.

V. 5. Repetit Jesus suam sententiam, simulque hic explicat, quid sit illud denuo nasci, docens nimirum, se non postulare carnalem generationem, sed regenerationem ex aqua et Spiritu sancto, cuius possibilitatem Nicodemus intelligere poterat, quum auctorem habeat Deum, Spiritum sanctum. — Quod jam verba ipsa versus hujus attinet, interpretes antiqui,<sup>1)</sup> quos et multi recentiorum<sup>2)</sup> sequuntur, putantes, Christum h. l. loqui de baptismo, (aquam intelligentes de aqua baptismi) ea ita expoununt: Quicunque per baptismum spiritualiter renatus non fuerit, non potest particeps fieri regni coelestis, seu consequi vitam aeternam. — Alii<sup>3)</sup> vero negant, Christum h. l. directe loqui de baptismō, affirmantes, eum h. l. (et in epistola ad Titum 3, 5.) tantummodo loqui de eo, quod per baptismum efficitur seu communicatur, adeoque hic locus solummodo eatenus spectat ad baptismum, quatenus regeneratio, seu remissio peccatorum et communicatio Spiritus s. datur per baptismum. Horum jam alii

<sup>1)</sup> Mald., a Lap., Calm.

<sup>2)</sup> Allioli, Massl, Schwetz.

<sup>3)</sup> Mack Pastoralbr. Tit. 3, 5.; Bisping ibidem, Ad. Maier, Bucher.

(Bucher), statuentes (cum Mald.), Christum respiciendo ad utramque hominis partem, corpus et animum, duo regenerationis principia assignasse, corpori aquam, animo Spiritum sanctum, dicunt, aquam, quae est symbolum poenitentiae, mortificationis, esse principium generationis corporis, quatenus corpus, quod suis cupiditatibus, desideriis, malis consuetudinibus, peccandi habitu, et rebellione adversus animum, factum est impurum, poenitentia, mortificatione istarum cupiditatum, desideriorum, et malorum consuetudinum (quam jam Joannes in deserto postulabat) novam nanciscitur vitam; Spiritum s. vero esse principium regenerationis animi, quatenus animum hominis expurgat a peccatorum sordibus, eum sanctificat, cum Deo unit, variis gratiis ornat, efficitque, ut animo gratia div. confortato et ipsa poenitentia hominis perfecta evadat. — Alii (Ad. Maier) vero aquam considerant ut symbolum expurgationis internae a sordibus peccatorum (quod est pars regenerationis negativa), et novam vitam, quae per Spiritum s., principium regenerationis animi, efficitur, quatenus animum hominis sanctificat, cum Deo unit, gratiisque variis replet, pro positiva regenerationis parte habent. — In essentia hae duae explicaciones a priori non divergunt, quia etiam in istis verba Christi explicantur de spirituali (interna) regeneratione, quae necessaria praedicatur, ut possit quis particeps fieri regni coelestis.

V. 6. Quod natum est ex carne, caro est. Verbis his declarat, se verbis prioribus (v. 5.) non loqui de carnali regeneratione sed de spirituali, probatque hujus necessitatem, ita ut verbis his quasi diceret: Posito (non concessso), corporalem regenerationem esse possibilem, illa tamen nil profutura est, quia non potest internam efficere renovationem; nam qui ab homine animali et carnali, peccato obnoxio seu peccatore (carnaliter) natus est, est homo animalis et carnis, peccato obnoxius, seu peccator (ideoque regno Dei indignus et ineptus). — Per carnem ( $\sigmaάρξ$ ) h. l. intelligendus est totus homo, qualis per peccatum originale est factus, nimis homo animalis, et peccato obnoxius seu peccator (Mald.) — Quod natum est ex spiritu, spiritus est i. e. qui vero spiritualiter, virtute Spiritus s. regeneratus est, spiritualis est, seu talis, cuius spiritus a Spiritu s. animatus, illustratus, confortatus et actus, sensualitati praevalit vitamque in

sua cum Deo unione vivit novam. — **Spiritus** ( $\pi\eta\epsilon\mu\alpha$ ) altera vice vim habet adjectivi: **spiritualis** ( $\pi\eta\epsilon\mu\alpha\tau\epsilon\kappa\delta\zeta$ ). — Adhibet porro s. auctor in utraque sententia neutrum genus (quod natum), ut universalitatem nervosius exprimeret<sup>1</sup>).

V. 7. Est illatio ex praecedentibus, quasi dicat: Ne mireris, quod tibi dixerim: oportet vos nasci denuo; non enim de carnali, ut tu putas, sed de spirituali loquor generatione, qua homo ex Spiritu s. natus, fit spiritualis (Mald.). — **Vos**, emphatice: vos, quamvis sitis Abrahami posteri, et ideo re hac non indigere putas. —

V. 8. Ut naturam regenerationis spiritualis, quam Nicodemus capere non poterat, explicaret, utitur Christus comparativa similitudine a vento deprompta. **Spiritus** ( $\pi\eta\epsilon\mu\alpha$ ) priori vice est ventus, altera **Spiritus** s., et sensus est: Sicut ventum, qui spirat, quocumque eum trahit appetitus suus naturalis, non perspicis, nec scis, unde oriatur, aut ubi desinat, et tamen eum adesse ex ejus sonitu et stridore scis; ita res se habet cum regeneratione ex Spiritu s., efficitur haec virtute **Spiritus** s., quamvis modum ejus non percipias, ex ejus tamen effectu in animo tuo, eam effectam fuisse, colligere potes, uti ex sonitu et stridore venti, eum adesse concludis<sup>2</sup>). — Multi Patres (August., Gregor.) etiam prima vice vocem spiritus de Spiritu s. intelligunt; sed, uti Calmetus recte observat, orationis nexus priorem interpretationem postulat; porro **Spiritus** s. secum male comparatur, ast venti vis cum **Spiritus** s. actione conferri potest, cum uterque subtilissima et impercepta ratione, ventus corpora, **Spiritus** s. mentes moveat. —

V. 9. Haeret adhuc in carnali generatione Nicodemus, nec intelligit, quomodo, quae Christus de regeneratione disseruit, fieri possint (Mald.); putat nimirum ad participandum regnum Messianum sufficere carnalem ab Abraham originem, quum huic ejusque posteris Messias promissus fuerit.

V. 10. **Tu Magister in Israël ignoras** i. e. tu, quum es unus ex excellentibus Israëlis doctoribus (cf. Beelen gramm. 102.), doces legem et scripturas, utique scire deberes, quae per prophetam Ezechielem (36, 25.) de expurgatione et renovatione animi

<sup>1)</sup> Cf. Beelen gramm., p. 179.

<sup>2)</sup> Chrysost., Cyril., Theophyl., Euth., a Lap., Calm.

praedicta sunt (loquens nimirum de aqua, sclera Israëlitarum purgante, et de novo corde, quod Deus populo Israël datus est); en illa expurgatio et renovatio, de qua locutus est propheta, est regeneratio illa, quam postulo ad participandum regnum Messianum (cf. a Lap.). —

V. 11. Dubiis et incredulitati Nicodemi opponit Jesus perfectissimam certissimamque suam scientiam de Deo rebusque divinis. — Scimus, loquimur, vidimus, testamur est pluralis authoritatis (Theophyl.); Cornelius a Lapide putat, Christum ita loquendo subindicasse, se solum non esse, qui testetur, sed unicum eo Patrem et Spiritum s.<sup>1</sup>). Verbum: videre (*ἰδεῖν*) de Jesu adhibitum, notat perfectam scientiam Dei, ejus naturae, consiliorum, decretorum et cognitionum (cf. 1, 18.). — Non accipitis mihi nimirum non credentes. Utitur numero plurali, quia in uno Nicodemo intelligit omnes, Nicodemo spiritualiter similes, i. e. Judaeos omnes incredulos et pervicaces (Mald.).

V. 12. *Terrena.* Per terrena intelligendum est mysterium regenerationis, quod dicitur res terrena, quia haec regeneratione perficitur in hominibus super terram<sup>2</sup>). — *Coelestia;* per haec sunt intelligenda coelestia mysteria (uti de s. trinitate, de aeterna Verbi generatione, de processione Spiritus s.) et decreta divina, et speciatim decretum Dei de redimento genere humano per mortem Filii (coll. v. 14.). Sensus est: Si mysterium regenerationis, quod in effectibus suis percipi et videri potest, non creditis, quomodo crederetis coelestia mysteria, quae nec videri, nec oculis mentis conspicere possunt.

V. 13. Verbis hujus versus vult Christus probare, sibi coelestia praedicanti prae omnibus esse credendum, ex eo, quod ipse solus in coelo illa intuitus fuerit, hincque ea accuratissime sciatur (a Lap.) — Et (*καὶ*) h. l. est id ac: et tamen. — *Ascendi in coelum.* Verba haec non sunt intelligenda de Christi in coelum ascensione, antequam homo factus est; nam ante incarnationem in Deo fuit ab initio, ab aeterno (1, 1.); nec possunt intelligi de futura Christi in coelum ascensione, graece est praeteritum (*ἀναβέβηκεν*), et non faturum. Per verba: ascendit in coelum

<sup>1)</sup> Chrys., Cyill., Euthym.

<sup>2)</sup> Chrysost., Theophyl., Euthym.

intelligendum est illud, quod ex illa ascensione in coelum sequitur, nimirum contemplatio rerum coelestium et inde oriunda perfecta earum scientia. Solent enim Hebraei eos, qui res obscuras et arcanas accurate norunt, atque perspectas habent, in coelo fuisse, coelum adiisse dicere (Baruch. 3, 29. Deut. 30, 12. Prov. 30, 4.). Causa hujus perfectae rerum coelestium scientiae Christi est partim origo ejus coelestis, nam ipse descendit de coelo in terram, quum homo factus est, atque secum attulit, quae in ipso veritatis fonte, in Dei ipsius sinu hauserat; partim vero ipsius perpetuus cum Patre nexus, secundum quem semper substantialiter ut Filius Dei unigenitus est in coelo i. e. in Deo, hinc etiam videt, quidquid in Deo est<sup>1)</sup>.

Sensus est: Et tamen mihi coelestia praedicanti credendum est, nam nemo hominum, ne prophetae quidem, quibus creditis, licet creditu difficultia doceant, quum nemo eorum in coelum ascenderit, ut ibi veritates disceret ac mysteria, perfectam rerum coelestium scientiam habet, nisi ego solus, qui in ipso veritatis fonte, in Dei sinu ea haus, et qui in incarnatione mea de coelo descendit, ita tamen, ut quamvis homo factus sim, divinitate adhuc in coelo sim, tanquam unigenitus in sinu Patris existens et videns, quidquid in Deo est.

V. 14. Docet nunc Nicodemum Christus unum coelestium mysteriorum, nempe mortem suam in cruce, quae Judaeis, quum erroneis eorum de Messia opinionibus esset contraria, tam parum placuit, quam doctrina de necessitate regenerationis. Mors haec Messiae in cruce praesigurata erat per serpentem aeneum, quem Moses in deserto in pertica erexerat (Num. 21, 4.). Cum enim Israëlitae in deserto murmurarent contra Deum et Mosen, Deus misit in eos serpentes ignitos (venenosos), qui eos morderent et igneo suo veneno necarent. Quocirca Israëlitae poenitentes postularunt a Mose remedium. Moses jussu Dei fabricavit aeneum serpentem eumque in pertica erexit, ut a singulis per tota castra aspici posset; quare qui eum aspiciebant, a morsu serpentum illico per miraculum sanabantur. Hic vero serpens typus erat Christi; primum <sup>ad</sup> eo, quod ejus erectio in pertica praesiguravit exaltationem Christi in cruce; sicut nimirum serpentes igniti

<sup>1)</sup> Calmet, Menoch., Ad. Maier.

in memoriam revocabant serpentem in paradiſo et peccatum, per eum (serpentem) inductum, ita imago serpentis, cuius aspectus sanabat, admonuit ejus, qui in similitudine carnis peccati (Rom. 8, 3.) i. e. in corpore humano, sed peccato non commaculato, apparuit, ut poenam peccati sustineret, i. e. a sequelis peccati liberaret homines; dein sicut ~~externus~~ in serpentis imaginem aspectus, qui certam fidem supponebat, sanabat, ita a peccati sequelis sanantur omnes, qui per fidem (vivam) aspiciunt in Christum in cruce exaltatum. Sic est serpens symbolum salutis (Sap. 16, 6.)<sup>1)</sup>. — **Exaltavit.** Verbum hoc debet explicari de exaltatione Christi in cruce, de ejus morte in cruce, non vero de Christi in coelum ascensione, postulat jam ipsa comparatio inter serpentem aeneum suspensum et Jesum; poscunt id duo alia Joannis loca (8, 28; 12, 33.), quae clare docent, verbum istud esse de exaltatione Christi in cruce intelligendum. Postulat tandem id ipse ~~nexus~~ psychologicus, quatenus in N. T. salus, quae hominibus per fidem contingit, non ascensioni Christi in coelum, sed morti ejus in cruce tribui solet; dicit enim: ut omnis, qui credit etcet. — **Oportet** scil. ex decreto divino.

V. 15. **Pereat**, nimirum morte aeterna, quatenus vitae aeternae expers, miseriae perpetuae traditur. — **Vitam aeternam**, et quidem (coll. 3, 36; 4, 36; 6, 36. 47.) jam nunc, quippe qui per fidem justificatus et Christo unitus, ideoque factus filius Dei adoptivus (Joan. 1, 12.), haeres Dei, cohaeres autem Christi (Rom. 8, 17.), inchoationem habet verae, beatae illius vitae, quae in aeternitate perficitur. — Phrasis enim: vita aeterna ( $\zeta\omega\eta\alpha\omega\nu\tauος$ ) juxta usum loquendi Joannis non solum significat vitam beatam in coelis futuram, sed etiam veram, beatam illam vitam, quae his in terris inchoatur in hominis justificatione, in beatitate vero aeterna perficitur<sup>2)</sup>. — Ex v. 14. et 15. simul elucet, ad consequendam vitam aeternam necessariam esse ex parte Messiae mortem ejus expiatoriam, ex parte hominis vero fidem in Christum; et quidem, ut alia loca scripturae (cf. Matth. 7, 21.) docent, fidem vivam i. e. per charitatem operantem, seu talem fidem, cum qua est conjuncta bona et efficax voluntas, faciendi, quod Christus praecipit. —

<sup>1)</sup> A Lap, Chrysost. 27. hom. n. 5.

<sup>2)</sup> Cf. Ad. Maier, Beelen grammatis. 280.

## Reflexio evangelistae. (16—21.).

V. 16. Versu hoc et sequentibus (17—21.) evangelista curatius explicat doctrinas prius propositas; hinc particula: enim (*γαρ*) est explicativa; nimirum. — *Mundum* i. e. genus humanum, nimirum sibi contrarium, (1, 10.). — *Sic* i. e. tanta amoris vehementia (a Lap.). — *Unigenitum*, ergo unicum sibique aequalis. Cf. 1, 14. — *Daret* scil. in mortem (*εἰς τὸν θάνατον* seu *θανάτῳ*)<sup>1)</sup>.

V. 17. Verbis versus hujus docet, quis sit finis adventus Filii Dei in mundum. — *Ut judicet mundum* i. e. ut homines condemnet et puniat, in gehennam mittendo. — Verbum *χρίνεται* idem valet h. l. ac *χατάχρινεται* condemnare. — Si Christus h. l. dicit, se non venisse in mundum, ut judicet mundum, postea (9, 39.) vero ait: in judicium veni in mundum, non sibi contradicit; nam judicium (*χρίμα*) altero loco non est judicium condemnationis (*χατάχρημα*), sed judicium discretionis (discussionis), quo discernit (sejungit) homines credentes et incredulos, et quod a Christo exercetur inde ab incarnatione ejus usque ad finem mundi, faciendo scil. discretionem hominum credentium et incredulorum, in extremo judicio autem perficietur<sup>2)</sup>. — Nonnulli quidem interpretes graeci<sup>3)</sup> per judicium (9, 39.) intelligunt judicium condemnationis (condemnationem), et hunc statuunt sensum: Veni in mundum, ut superbos caecitatis arguam et condemnem. Ast stante etiam hac explicatione (etsi ei obstet, quod verba: in judicium, solummodo ad superbos (videntes) referantur, quum tamen etiam ad humiles (ad non videntes) spectent, respectu quorum Christus non potest dici, in eorum condemnationem venisse in mundum), nulla adest pugna inter hunc et illum (3, 17.) locum; quia stante hac explicatione verba: in judicium (*εἰς χρίμα*) non sunt finaliter, ac si Christus ad id in mundum venisset, ut homines condemnent, sed de eventu (de effectu) sumenda, quatenus adventus ipsius in mundo multis hominibus occasionem praebuit condemnationis (cf. Luc. 2, 34.).

<sup>1)</sup> Cf. Luc. 22, 19. Rom 8, 32. Gal. 1, 4. Joan. 6, 51. a Lap.

<sup>2)</sup> Ad. Maier S. 129. I. B.

<sup>3)</sup> Cyrill., Chrysost., Theophyl.

*Salvetur* i. e. consequantur salutem aeternam. Nonnulli graecum verbum  $\sigma\omega\zeta\omega$ , quod Vulgata vertit per: *salvare*, reddunt per: *liberetur*, sub intellecto: a morte seu' perditione ( $\alpha\pi\omega\lambda\varepsilon\mu$ ). Quoad sensum nulla diversitas. — *Per ipsum* ( $\delta\acute{\imath}\alpha\delta\tau\omega\tilde{\nu}$ ); Filius enim perficit opus redemptionis, quod a Patre ( $\varepsilon\chi\tau\omega\pi\alpha\tau\rho\zeta\varsigma$ ) decretum erat. —

V. 18. *Non judicatur* i. e. non condemnabitur, sed salvabitur; per fidem enim nanciscitur remissionem peccatorum, quo nova, vera vita incipit, quam qui habet, vitae fit compos aeternae. — *Fides* medium salutis et vitae aeternae consequendae. — *Non credit* scil. in eum. — *Jam judicatus est* i. e. jam condemnatus est, quatenus nimirum per infidelitatem suam exclusus a vita et peccatis oneratus, *jam / nunc obnoxius* est condemnationi (nam sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. 11, 6.), et quatenus certissime *in ultimo judicio* in eum feretur sententia condemnatoria, qua propter infidelitatem morti addicetur aeternae (cf. Ad. Maier). — *In nomine ejus* (in nomen ejus) i. e. in eum (cf. 1, 12.) — Verba haec ultima indicant causam condemnationis.

V. 19. *Hoc est judicium* i.e. haec est causa condemnationis, seu hoc condemnat homines<sup>1)</sup>. H. l.  $\chi\varrho\iota\sigma\varsigma=\chi\alpha\tau\dot{\alpha}\chi\varrho\iota\sigma\varsigma$ .

*Quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem* i. e. quod, quum lux venerit in mundum, homines (i. e. major pars eorum) tenebras magis dilexerint, quam lucem. — *Si nimirum Christus, qui lucem se praebuit, non venisset, excusari possent; ast quum, quamvis lucem vidissent, istam repudiabant et tenebras diligebant, id eos condemnat.* — *Dilexerunt magis tenebras, quam lucem*, dictum est ex hebraismo pro: *dilexerunt tenebras et repudiarunt lucem*. *Tenebrae* i. e. ignorantia, errores, peccata; cf. 1, 5. et de luce cf. 1, 4. 5. — *Erant enim eorum mala opera*. Verba haec exprimunt causam, cur homines dilexerint tenebras et repudiarint lucem. — *Per opera sunt simul intelligenda eorum studia, consilia et mentes*. — *Cor et voluntas eorum tam erant perversa*, ut nollent malo valedicere; *mentis resipiscentiae impotes repudiabant lucem*, Filium Dei, qui eos ad veritatem ducere volebat,

<sup>1)</sup> Chrysost., Theoph.

et quia lux suo fulgore turpitudinem eorum operum detexerat, atque arguerat, implacabili odio insectati sunt Jesum (Calm., Ad. Maier).

V. 20. Verbis his rationem dat, cur Christum odio prosequerentur. — Lux h. l. est lux diei (die Tageshelle). — Arguantur. Graecum verbum ἐλέγχειν notat manifestare, dein reprehendere, arguere; h. l., quum v. 21. exponitur per φανερωθῆ manifestatur, significat manifestare atque ex adjuncto simul reprehendere<sup>1)</sup>. Opera positum est pro: opera mala (ἔργα πονηρά). S. auctor vult per comparationem loqui, sed comparatio et comparatum in unum confluunt. Sensus ergo est: Sicut impius lucem diei fugit et in tenebris opera sua mala edit, ne videatur et puniatur; ita etiam impius fugit veram lucem (me Messiam), quia per eam malitia ipsius manifestatur ipseque pudore afficitur. — Ceterum hic, uti s. Chrysostomus observat, loquitur de iis peccatoribus, qui semper in malitia perseverant.

V. 21. Veritatem i. e. quod verum, rectum, justum et Deo gratum est. — Per veritatem enim h. l. intelligenda est veritas practica i. e. quod verum, rectum, justum Deoque gratum est.

Venit ad lucem i. e. amplectitur meam doctrinam. — Quia in Deo facta sunt i. e. quia Deo placent et quasi ipsius ductum, monitu et impulsu facta (Euthym.), aut si secus facta sint, ut illa corrigat, et juxta Dei voluntatem emendet et reformet (a Lap.). In Deo, valet id quod secundum Deum (χατὰ θεὸν), secundum Dei voluntatem (χατὰ τὸ θέλημα θεοῦ; Joann. 5, 19.), item Dei ductum, monitu et impulsu. — Etiam hic comparatio et comparatum confluunt in unum, hoc modo: Sicut bonus lucem non fugit, potius ad eam venit, ita bonus non fugit veram lucem, potius ad eam venit, quia lux, quam in se habet, ad veram lucem trahitur (Calm.)<sup>2)</sup>.

## 2) Ultimum Baptistae testimonium (22—36.).

V. 22. Post haec i. e. post colloquium cum Nicodemo Hierosolymae habitum. — In terram Iudeam. Terra Judaica, quum hic ab urbe Hierosolyma distinguitur, indicat regionem Judaicam extra metropolin (cf. Luc. 5, 17; 6, 17.). — Moraba-

<sup>1)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. August. tract. 12.

*tur nimirum usque ad abitum in Galilaeam (circa 8 menses a mense Aprili usque ad Decembrem a. 780.)<sup>1)</sup>. — Baptizabat, nimirum per discipulos suos (coll. 4, 2.). Qualis hic fuerit baptismus, Patres et interpres non consentiunt. Nonnulli<sup>2)</sup>, dicunt, eum fuisse eundem cum baptismo Joannis in poenitentiam, nullamque gratiam contulisse, quia post Christi resurrectionem et lapsus Spiritus s. baptismus virtute dimitendi peccata et conferendi Spiritum s. instructus erat. Alii vero plerique Patres et theologi<sup>3)</sup> affirmant fuisse sacramentum baptismi, quo peccata remitterentur et Spiritus s. conferretur, dicentes simul, sicut Christus ante mortem remisit peccata paralytico (Matth. 9, 2.) et Magdalene (Luc. 7, 47.), et Spiritus s. jam in V. T. conferebatur, ita etiam poterat facere cum sacramento baptismi; hoc enim vim suam justificandi trahet a meritis Christi tum praesentibus, tum futuris, ac praesertim a morte Christi, quam Christus jam acceptaverat suaque voluntate jam in victimam obtulerat (cf. a Lap.)*

V. 23. *In Aenon juxta Salim.* Aenon erat locus, et quidem teste Eusebio et Hieronymo 8 milliariis distans a Scytopoli meridiem versus; aliis vero Aenon erat locus in superiori (in montanis) terrae Judaicae parte situs, in vicinia urbis Hebron, qui in libro Josua (15, 32.) dicitur Ain, in cuius vicinia erat vallis Salim, in eodem Josuae loco Schilchim dicta, quae explicatio praeferri videtur, quia haud cogitari potest, Joannem terram petuisse Samaritanorum, quum Judaei eum vix secuti fuisse in illam terram, quod tamen esset, si Aenon esset locus situs prope Scytopolin Samariae<sup>4)</sup>. — *Quia aquae multae erant illuc*, ut ita facile corpus humanum immergi posset, quo tum more baptismus peragebatur. — *Quaeri posset: Quomodo Baptista per gere potuerit baptizare et discipulos colligere*, cum (coll. 3, 22. 26.) audivisset, Jesum per discipulos baptizare et coetum colligere? — Id facile explicatur, quia finis missionis Baptistarum non unice eo spectabat, ut Jesum in munus Messianum introdu-

<sup>1)</sup> Cf. Bucher Leben Jesu Christi.

<sup>2)</sup> Tertull., Chrysost., Leo M., Ammonius, Ad. Maier, Bucher.

<sup>3)</sup> August., Cyrill., Thomas, Bonaventura, Mald., a Lap., Calmet, Massl., Allioli, Schwetz.

<sup>4)</sup> Cf. Bucher, histor. polit. Blätter 36. Jahrgang 8. Heft Seite 721., Ad. Maier.

ceret, sed etiam, ut populum judaicum ad introitum in regnum Messianum et ad Messiam digne excipiendum moraliter per animi immutationem et morum emendationem praepararet. Quum ergo ex montanis terrae Judaicae fors pauci ad Joannem baptizantem ad Jordanem venissent, quum nimis remoti essent, ideo Joannes montana Judaeae petiit, ut et ibi ad Messiam excipendum praepararet homines, quo munere fungebatur usque ad suam incarcerationem<sup>1)</sup>.

V. 24. Addit hoc, ne quis, quum Matthaeus (4, 12.) et Marcus (1, 14.) Joannis incarcerationem immediate post Christi temptationem commemorent, putaret, istam incarcerationem Baptistae immediate excepsisse Christi temptationem.

V. 25. Autem, quia nimirum Joannes baptizabat cum Jesu. — *Quaestio* i. e. disputatio, contentio. — *Ex discipulis Joannis*, nimirum hanc disputationem moventibus, utpote zelantibus pro honore et auctoritate magistri sui, et (coll. v. 26.) aegre ferentibus, quod Christus ejus officium baptizando usurpet (a Lap.). — *Cum Judaeis*; sed lectio in singulari: cum Judaeo (*κατὰ Ιουδαίον*) ob praestantissimos codices, Patres et versiones praefenda est; ad vocem: Judaeo, mente supplendum est: quodam (*τινός*). Hic Judaeus verosimiliter baptismum acceperat a discipulis Jesu, et quum discipulos Joannis conveniret, disceptatio illa orta est. — *De purificatione* i. e. de baptismo; sequitur enim (v. 26.): hic baptizat.

V. 26. *Qui erat tecum trans Jordanem* i. e. Jesus, qui ad te venit, ut baptizaretur, qui in discipuli loco habitus est, qui nulla ex parte nobis superior erat (Chrysost.). — *Trans Jordanem* i. e. Bethaniae (coll. 1, 28.) — *Cui testimonium perhibuisti* i. e. quem tu, cum ignotus esset, celebrem redditisti (coll. 1, 27. 29.). — *Ecce hic baptizat* i. e. ecce hic ingratus se tibi aequat, tuum officium invadit tuum baptismum usurpat (a Lap.). — *Omnis veniunt ad eum*, ut nimirum ab eo baptizarentur. — Dicunt: omnes, quia indignabundi rem ita exaggerando putabant, tanto magis magistrum eorum motum iri ad Christum coercendum.

V. 27. *Quidquam scil. officii aut dignitatis*, — *De coelo* i. e. a Deo. — Hac sententia universalis vult Joannes dicere: Non pos-

<sup>1)</sup> Cf. Chrys., Ad. Maier.

sum arrogare mihi majus officium majoremque dignitatem, quam mihi dederit Deus, scil. Messiae nomen et dignitatem usurpando, quia id adversum esset voluntati Dei effatisque meis prioribus (Aug., Beda). — Ita reprimit discipulorum ambitionem et contentionem.

V. 28. *Testimonium perhibetis i. e. testes estis.* — *Non sum ego Christus; sed quia missus ante illum i. e. me professum esse, quod non sim Messias, sed praecursor ejus, qui viam ejus paret;* — hinc (quod ipsis concludere relinquit) non mirum, si, uti dicitis, omnes, me relicto, veniant ad eum.

V. 29. Similitudine e vita communi deprompta rem illustrat, se ipsum comparando par anympho, Christum autem sponso, cuius sponsa est populus Judaicus et dein totum genus huma-  
num. Apud Matthaeum (9, 15. et locis parall., 25, 1) Christus etiam se sponso comparat, et quidem recte, quum jam in A. T. Deus dicitur Hebraeorum maritus (Jes. 54, 5, Hos. 2, 19. 20.)<sup>1)</sup>.

— *Qui habet sponsam, sponsus est* i. e. ille solus sponsus est, cui sponsa in conjugium destinatur. — *Amicus sponsi*; hic graecis dicebatur παρανυμφίος hebr. יְשִׁיר et apud Matthaeum (9, 15.) filius thalami (νίος τ. νυμφῶνος); hic jam sponsum, sponsam a suis sodalibus cinctam ad celebrandas nuptias in domum suam abducentem comitabatur, et unacum reliquis nuptiarum hospitibus sponsum et sponsam ad conclave deducebat; imo juxta Talmudem amico sponsam procurabat eratque mediator inter sponsum et sponsam atque internuntius, si sponsus ad sponsam, vel haec ad illum quaedam perferri vellet<sup>2)</sup>). — *Qui stat scil. paratus ad ministerium sponsi.* — *Audit eum;* alii: audit colloquia sponsi cum sponsa (Jans., a Lap.); sed rectius alii (Ad. Maier): auscultat man-  
data sponsi (seu obtemperat ejus mandatis). — *Gaudio gaudet* i. e. valde gaudet (cf. Beelen gramm. p. 483.). — *Propter vocem sponsi, colloquentis nimirum cum sponsa;*<sup>3)</sup> sed rectius vox ex-  
plicatur de gaudio sponsi inter nuptias (Ad. Maier). — *Hoc gaudium meum impletum est* i. e. hoc meum, ut paranyphhi, gau-  
dium impletum est et perfectum, quum totum populum Israël, sponsam Messiae, ad eum confluentem ipsique se conjungentem, intellexi; nam finis legationis meae erat, ut populum Judaicum

1) Cf. Massl.

2) Schoetgenius in Horr. Hebr. ad h. l., Kuinoel, Ad. Maier.

3) Jans., a Lap.

tanquam sponsam Christo traderem et conjungerem. Sensus ergo hujus versus est: Nam ego non sum sponsus sed amicus sponsi, qui est Christus; quare illi non in video hunc populi confluxum, sed ut amicus (paronymphus) ejus valde gaudeo; nam ut Judaeos, tanquam sponsam ad Messiam adducerem ipsique eam conjungerem, erat finis legationis meae<sup>1)</sup>

V. 30. *Oportet scil. ex Dei decreto, qui eum Messiam elegerat.* — *Crescere, nimirum honore, aestimatione et auctoritate apud homines.* — *Minui scil. honore, aestimatione et auctoritate apud homines;* (unde ipsis colligendum relinquit, ne aegre ferrent, quod homines undequaque ad eum concurrant). — Verbis his, uti permulti interpretes<sup>2)</sup> putant, concludit Baptista suum sermonem; quae enim a v. 31—36. leguntur, sunt verba ipsius evangelistae. Omnis enim orationis forma prodit Joannem apostolum; (v. c. v. 32. coll. v. 11. et 8, 26; v. 31. coll. v. 6. 12; v. 33. coll. 6, 27; v. 34. coll 12, 49. 50;) deinde testimonium (i. e. doctrina) Christi visque fidei jam extans supponitur et describitur.

V. 31. Nunc dat s. evangelista causam, cur Jesum oporteat crescere, Baptistam autem minui, quia ille de coelo, ipse de terra est (Mald.). — Qui desursum i. e. qui de coelo; seu uti explicat Cyrillus: qui ex superiori germinavit radice i. e. ex substantia Patris. Verbis his innuit evangelista coelestem Christi originem. — Venit scil. in terram homo factus. — Super omnes est i. e. omnibus hominibus major est, utpote Patris habens naturam et intelligentiam.<sup>3)</sup> — Qui est de terra i. e. qui originem e terra dicit, de terra plasmatus et formatus est. — De terra est i. e. terrenus est (Aug.), seu terrenam habet naturam (Mald.). — De terra loquitur i. e. terrena loquitur ex sua natura (Aug.); et si loquitur de rebus coelestibus, divinis, id Dei gratiae et revelationi tribuendum est<sup>4)</sup>). — Qui ex eo deo venit, est id ac prius: qui desursum venit. — Super omnes est, nimirum uti natura, ita et intelligentia, scientia rerum coelestium, quas in sinu Patris spectavit.

V. 32. *Et quod ridit et audivit, hoc testatur i. e. et docet res coelestes et divinas, quarum certissimam perfectissimamque habet*

1) Cf. a Lap., Ad. Maier.

2) Ad. Maier, Allioli, Bucher, Mesmer, Kuinoel.

3) Cyrill., Aug., Chrys.

4) August., Mald., a Lap., Calm.

scientiam. — Nam videre et audire significat hic perfectissimam rerum coelestium et divinarum scientiam ex ipsa autopsia Christi<sup>1)</sup> cf. 15, 15. — **Et** (*καὶ*) h. l. particula adversativa: et tamen. — **Testimonium** i. e. doctrinam. — **Nemo accipit** i. e. pauci recipiunt. — Dicit hyperbolice: nemo, pro: pauci.

V. 33. **Qui testimonium ejus accipit** i. e. qui doctrinam ejus recipit, seu: in eum credit. — **Signavit** i. e. eo ipso confirmavit (cf. Beelen gram. 298.). Verbum  $\sigma\varphi\rho\alpha\gamma\zeta\omega$  et  $\chi\alpha\tau\alpha\sigma\varphi\rho\alpha\gamma\zeta\omega$  proprie notant: obsignare, sigillum imprimere, vel ad muniendum aliquid (Math. 27, 66.), vel ad notandum aliquid (apoc. 7, 5—8.), vel ad confirmandum aliquid (sigillo impresso), hinc confirmo, ut h. l. (et 6, 27.).

V. 34. **Quem enim misit Deus** i. e. Jesus, quem Deus Pater misit in mundum. — **Verba Dei loquitur.** Verbis his probat, quod supra (v. 33.) dixit, eum, qui credit Christo, confirmare, Deum esse veracem, ita ut sensus sit: Qui enim credit Jesu Christo, credit doctrinam ejus omni ex parte veram; qui autem id credit, simul affirmat, Deum esse veracem, quia Iesns, ut Dei legatus, non sua, sed Patris mittentis se verba loquitur. — **Non enim ad mensuram** i. e. non enim modice, seu parce ( $\mu\epsilon\tau\rho\iota\omega\varsigma$ ); cf. Cor. 12, 8. — **Dat** ( $\delta\ell\delta\omega\sigma\iota\nu$ ) i. e. dedit Jesu Christo. — **Spiritum nimirum veritatis**, seu Spiritum sanctum, sicut olim prophetis, quibus olim ad mensuram Spiritus s. datus est, prout officium aut ministerium postulabat. In Christo tanquam Deo homine erat plenitudo Spiritus<sup>2)</sup>. Probat, ait Maldonatus; Christum verba Dei loqui ex eo, quod ei non ad mensuram Deus Spiritum dederit, ita ratiocinando: Qui ad mensuram Spiritum habet (scil. sanctum), non necesse est, ut, quidquid loquitur, verbum Dei sit; potest enim aliquando non Dei, sed suo ipsius spiritu loqui, quod saepe prophetae faciebant. Qui autem non ad mensuram habet Spiritum (scil. sanctum), cum non alium Spiritum, quam divinum habeat, non potest nisi Spiritu Dei loqui; itaque quidquid loquitur, verbum Dei erit. (cf. a Lap.).

V. 35. Verba haec causam continent, cur Filius omnia a Patre, hinc et perfectissimam veritatis scientiam habeat. — **Filium suum**, scil. Unigenitum. — **Omnia**, i. e. suam naturam et cum ea

<sup>1)</sup> Jans., Mald., a Lap.

<sup>2)</sup> Cf. Mald., Jans.

omnem suam perfectionem et potestatem, hinc et (eoll. v. 36.) potestatem vita aeterna donandi, aut ea excludendi, mortuos suscitandi et judicandi (coll. 5, 20—22. 27; 13, 3.). Et cum naturam humanam sumpsit, omnia haec cum homine communicavit (Mald., a Lap., Ad. Maier). — *In manu* ( $\delta\nu\tau\bar{\eta}\chi\varepsilon\iota\rho\iota$ ) i. e. in manum ejus ( $\varepsilon\iota\varsigma\tau\bar{\eta}\nu\chi\varepsilon\iota\rho\alpha$ ), seu: ei (unum corporis membrum nominatum pro tota persona, more Hebraeorum).

V. 36. *Qui credit, habet vitam aeternam;* conf. v. 15. — *Non videbit* cf. v. 3. Quum dicit in futuro, cogitat de vita aeterna, quae hic per fidem in justificatione incipit, perficienda in aeternitate post resurrectionem. — *Sed ira Dei manet super eum* i. e. sed obnoxius est irae Dei, in qua olim (in extremo judicio) Deus de ejus sceleribus judicium faciens, eum poenis aeternis subjicit (cf. Matth. 3, 7.). —

## C a p u t IV.

### **1) Jesus in Samaria (1—42.).**

In colloquio hoc cum muliere Samaritana annuntiat se Christus ut largitorem aquae vivae, ex qua si quis biberit, non amplius sitit. Quum tamen mulier supra sensualia se elevare imparet, Christus lumine omniscientiae suaे vult eam ad suaē dignitatis agnitionem adducere, quo ostendit, se scire, quae in homine sint (2, 5.), et mulierem et per hanc incolas Sychar ad fidem in se Messiam adducit (cf. Bucher).

#### a) Christi e Judaea per Samariam in Galilaeam iter (v. 1—6.).

V. 1. *Quam Joannes*, qui tunc jam in carcere erat. — *Pharisaei* sunt hic synedri e secta phariseorum.

V. 2. Verbis his corrigit evangelista relationem nuntiorum, qui falso dixerant, Christum ipsum baptizare.

V. 3. *In Galilaeam*, nimirum altera vice. Iter hoc est idem, de quo s. Matthaeus (4, 12.) loquitur, qui tanquam causam hujus itineris nominat incarcerationem Joannis per Herodem Antipam.

Hic Herodes nimirum Joannem incarcерavit non solum, quia improbavit incestuosum ejus connubium cum Herodiade (coll. Matth. 14, 3.), sed etiam, quia ipse male acti sibi conscientis, timebat, ne, si Joannes idem, quod ipsi aperte dicere non verebatur, aliqua occasione etiam publice, coram populo diceret, populus auctoritate Joannis commotus, ad seditionem magis pronus redideretur (coll. Jos. Flav. antiq. 18. 5, 2.). Haec jam agendi ratio Herodis pharisaeis i. e. synedris, respectu ad Jesum imitatione digna videri debebat, et quidem tanto magis, quia populi ad Christum confluxum in dies majorem viderent. Quum igitur Dominus cognovisset pessima synedrorum adversus se consilia, reliquit Judaeam et secessit in Galilaeam, passionem et mortem suam opportuno tempori reservans.<sup>1)</sup>.

V. 4. *Oportebat*, si nimirum volebat via recta tendere in Galilaeam. — *Transire per Samariam* i. e. ire per regionem Samaritanorum. Iter enim per Samariam (teste Jos. Flavio, antiq. 20, 5.) brevissimum erat, quare iis, qui ex Judaea et in primis Hierosolyma in Galilaeam, aut hinc in Judaeam et Hierosolymam celeriter profecturi essent, necessitas quodammodo imposita erat, per Samaritanorum regionem itineris faciendi<sup>2)</sup>. Ii solum Judaei, qui prorsus rigidi legem observabant, terram Samaritanorum prorsus declinabant et iter per Peraeam faciebant.

V. 5. *In civitatem* i. e. ad, seu prope urbem; nam (coll. v. 8.) discipuli urbem ingressi et ex ea regressi perhibentur. — *Sichar*; graece Συχαρ, pauci codices habent Σιχαρ. Communiter urbs haec habetur pro una eademque cum urbe Sichem (סִכְמָן, Συχέμ, vel Σιχμα—ημων apud 70), cuius nomen Sichem a Judaeis mutatum esset in Sichar; et quidem juxta alios<sup>3)</sup>, ex nomine hebraico שֵׁבֶר ebriosus, ut urbs notaretur ebriosa (Sauftstadt), respectu ad Jesaiae locum (28, 1.), ubi Samaria nominatur superba corona ebiorum; juxta alios<sup>4)</sup> vox esset efficta ex nomine שְׁמַד mendacium, ut urbs notaretur mendax (seu idololatrica), provocantes ad locum Siracidis (50, 26.), ubi Samartani dicuntur δολάρες μωρόδες (idolorum cultores); juxta alios

<sup>1)</sup> Cf. Calm., a Lap., Bucher.

<sup>2)</sup> Kuinoel.

<sup>3)</sup> Ad. Maier.

<sup>4)</sup> Kuinoel.

iterum<sup>1)</sup> nomen Sychar ortum esset ex voce <sup>בָּיְתָה</sup> sepulchrum ut ita significaretur, esse locum sepulturae Josephi (Jos. 24, 32.) et patriarcharum (act. 7, 26.). — Sed praferenda est sententia eorum, qui Sychar secernunt a Sichem, statuentes, extitisse tempore Joannis locum Sychar prope puteum Jacobi, ita tamen, ut iste esset simul pars vetustioris urbis Sichem, quae prius per vallem usque in viciniam putei se extendebat, postquam vero destructa esset, Sichem occupabat partem vallis septentrionalem, dum in ruinis in parte meridionali locus Sychar exstructus est. Stante hac hypothesi omnes removentur difficultates, quae adsunt, si Sichem et Sychar pro una eademque urbe habentur. Ita enim patet, quomodo s. Hieronymus (epitaph. Paulae p. 703.) Sichem et Sychar pro uno eodemque loco habeant, dein vero (in Onom.) Sichem secernat a Sychar, dicatque cum Eusebio: Sychar ante Neapolin (Sichem) juxta agrum, quem dedit Jacob Josepho. — Et ita etiam nullum dubium adesse potest, utrum hodierna urbs Neapolis locum occupet vetustioris Sichem. (Robinson Palaest. III. 1, 343.). — Ast adsunt etiam firma argumenta pro sententia eorum, qui utramque urbem distinguunt: 1.) Juxta s. scripturam (v. 5.) fuit Sychar prope agrum, quem dedit Jacob Josepho, filio suo, ibique (i. e. in agro illo) autem puteus Jacobi, dum hodierna et etiam antiqua urbs Sichem juxta Robinsonem (III, 1, 329.) a puteo et agro Jacobi plus quam dimidium horae distat; 2.) discretio illa s. Hieronymi supra annotata, et quod de Sichem scribit: Sichem . . . civitas Jacob nunc deserta est. Ostenditur autem in suburbanis Neapoleos juxta sepulchrum Joseph, — sententiae illi suffragatur; 3.) itinerarium hierosol. (333 post Chr.) Neapolin distare dicit a Sychar mille passus; 4.) itinerantes docent, hodiernum locum Ascar (apud Quaresmium II, 808. A star=Istar), qui dimidium horae distat a Neapoli (vetustiori Sichem), esse urbem Sychar; 5.) tandem vix verosimile est, mulierem Samaritanam ex urbe Sichem, fontibus irrigua (Judd. 9, Jos. antiq. 5. 7, 2. Abul feda: scatet Neapolis rivis manantibus) dimidium horae ivisse, aquam haustum.<sup>1)</sup>. Ipsa urbs Sichem, quae sita erat in tribu Ephraim ad radices

<sup>1)</sup> Georg Mayer, die Echttheit des Evang. nach Johannes S. 279.

<sup>2)</sup> Kirchenlex. von Wetzer und Welte 10. B. S. 116., Klee Comment. in das Evang. Joh., Schirlitz, Griechisch-deutsches Wörterbuch zum N. L.

montis Garizim, in honorem imperatoris Vespasiani, qui eam, quum in bello judaico multum esset passa, renovaverat, dicta est Flavia Neapolis aut Neapolis (Naples.) — *Juxta praedium* i. e. prope agrum. — *Quod dedit Jacob Josepho.* Ager hic, quem Jacobus moribundus, Josepho, filio suo, donavit, est ille, quem Jacobus ab Amoritis, filiis Hemori, patris Sichemi, prius pecunia emerat (coll. Gen. 33, 19.), postea vero, quum hi illum post Jacobi discessum ex tractu Sichemitico occuparunt, armata manu eripuit (coll. Gen. 48, 22.). Ita facillime conciliatur locus Geneseos (33, 19.), in quo Jacobus agrum illum emisse dicitur, in altero (48, 22.) autem illum armata manu eripuisse perhibetur.<sup>1)</sup>.

V. 6. *Ibi* i. e. in agro illo. — *Fons* i. e. puteus. — *Jacobi* dicitur, quia traditio ferebat, Jacobum fodisse eum; hodie peregrinantibus puteus ad austrum urbis situs ostenditur<sup>2)</sup>. — *Fatigatus*, nimirum secundum naturam humanam. — *Sic*, nimirum fatigatus, uti erat<sup>3)</sup>; non vero: prout casus ferebat, aut prout erat ibi sedendi commoditas<sup>4)</sup>. — *Supra* ( $\epsilon\pi\iota$ ) i. e. ad. — *Quasi sexta* i. e. circiter duodecima nostra, seu meridiana (hinc aestus maximus). Discipuli abierunt in urbem, ut ex ea cibos afferrent (coll. v. 8.).

### b) Colloquium Christi cum muliere Samaritana (7—30.).

V. 7. *De Samaria* i. e. Samaritana, seu de Samaritana regione oriunda (coll. v. 8.). Ergo Samaria hic nomen totius regionis (non urbis). — *Damihi bibere*, nimirum ex hydria tua. — Praevenit Jesus mulierem, ut colloquio occasionem et initium praeberet (a Lap.).

V. 8. Datur ratio, cur Christus a muliere petierit bibere.

V. 9. *Judaeus cum sis;* cognovit videlicet ex habitu et sermone, eum esse Judaeum<sup>5)</sup>. — *Non enim coutuntur.. Samaritanis* i. e. nullam habent consuetudinem (commercium) Judaei cum Samaritanis (Mald.). An sint verba haec mulieris, an evangelistae, interpres dissentunt. Utrumque aptum, utrumque probabile (a Lap.). Samaritani erant populus commixtus, constans nimirum

1) Kuinoel, Ad. Maier.

2) Kuinoel.

3) Franc. Lucas aliique

4) Chrys., Theophyl.

5) Chrys., Cyrill., a Lap.

(maxima Israëlitarum parte in exilium abducta) e colonis, quos Salmanassar, rex Assyriae, e Babylonia, Cutha, Ava, Hamath et Sepharvaim in Palaestinam miserat, et ex iis Israëlitis, qui in patria remanserant (coll. 4 reg. 17, 24. seq.). Jam et ob hanc spuriam Samaritanorum originem, et quod calumniando Judaeos apud reges Persarum impediverant Hierosolymae templique instaurationem et quod solum Pentateuchum admittebant et novum templum in monte Garizim haud procul ab urbe Sichem condiderant, tanto odio erant Judaeis, ut hi omnem vitae usum et consuetudinem cum iis omniaque humanitatis officia fugerent (coll. v. 9.). Etiamsi templum Samaritanorum anno 129. ante Chr. per Joannem Hyrcanum destructum fuerit, mons tamen Garizim sacer fuit (v. 23.) et etiam nunc iis est, qui hodie urbem Naplum incolunt.

V. 10. *Donum Dei*, non: me Christum (huic obstant verba statim sequentia), sed: opportunitatem (occasionem) hoc, ipso tempore tibi a Deo oblatam, mecum Messia colloquendi (Mald.) — *Et quis est, qui dicit tibi*, i. e. et si scires, quis et quantus sim ego; seu si scires, me esse Messiam, Dei Filium. — *Forsitan tu petisses* i. e. tu statim, antequam ipse peteret, petisses. — *Aquam vivam*. Aqua viva est vel scaturigo, aqua perennis e fonte ebulliens (Quellswässer), vel est: aqua vitae i. e. aqua, quae vitam dat. Christus ut largitor (auctor) vitae cum corporalis, tum spiritualis, nominat aquam et panem, quibus vita corporalis sustentatur, tropice media, quae sunt fundamentum vitae sublimioris, spiritualis, verae vitae in Deo. Sicut igitur aqua e fonte scaturiens ad vitam corporalem sustentandam necessaria est, ita necessaria est aqua viva Christi ad vitam illam sublimiorem. Quid vero sit haec aqua viva, docet ipse Christus, dum dicit: Ego sum panis vitae, qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam (Joan. 6, 35.). Hic ergo panis et haec aqua est ipse Christus cum omnibus gratiis et donis, quibuscum genus humanum redimit eique vitam veram confert, speciatim vero h. l. intelligenda est ejus doctrina, quae per fidem recipitur<sup>1)</sup> Cf. 6, 35. — Sensus verborum Christi est: Si scivisses, me esse promissum Messiam, utique a me statim petiisses ea, quae propheta

<sup>1)</sup> Ammon., Cyrill., Euthym., Theoph. Cf. Bucher.

qua talis praestare potest; ego communicassem tibi meam doctrinam, quae homini potest praestare aeternam, veram vitam.

V. 11. *Dicit mulier*, nimirum verba Christi: *aqua viva*, sensu proprio intelligens, putansque eum loqui de aqua viva eximo puto ab eo haurienda sibique porrigenda. — *Domine*. Vox haec erat nomen honoris, quo Judaei etiam ignotos appellare solebant. — *In quo haurias*; in graeco est ἀντλημα, quod proprius est id, quod haustum est; dein situla cum fune, quae aquae hauriendae causa in puteum demittitur (Schöpftrug), ut h. l. — *Altus* i. e. profundus. — *Aquam vivam* i. e. aquam e fonte ebullientem.

V. 12. *Major* i. e. sapientior et peritior, nimirum ad aliam scaturiginem inveniendam aut alium puteum fodiendum, et praestantior, qui meliorem aquam dare possis quam Jacob patriarcha. Jacobum nominat patrem, quia consueverant Samaritani originem suam ex patriarcha Jacobo ducere, quamvis major pars eorum originis alienae esset. — *Nobis* scil. Samaritanis (cf. v. 5.). *Ipse bibit et filii ejus*, quod signum est bonitatis aquae. — Sub voce filii comprehenduntur et servi atque ancillae. — *Et peccora*, quod signum est abundantiae aquae (Jans.).

V. 13. Jesus mulieri extollenti aquam sui putei, ex natura suae aquae vivae ostendit, hanc suam aquam longe esse meliorem; unde tacite illi colligendum relinquit, se esse majorem Jacobo (a Lap.). — *Ex aqua hac* i. e. ex aqua hujus putei Jacobi. *In aeternum* i. e. nunquam (οὐδέποτε). Per aquam iterum intelligenda est doctrina Christi; et sitire (διψάω) improprie sumendum: appetere, desiderare (conf. Matth. 5, 6.); et sensus est: qui meam doctrinam per fidem recipit, nunquam aliam, sublimiorem appetet; nam doctrina haec omnino satisfacit omnibus indigenitiis animi ejus<sup>1)</sup>.

V. 14. Sensus est: Sed doctrina haec erit ei instar fontis vivi, continuo aquas diffundentis, quum opere servata continuo animum ejus reficiet, veritatibus coelestibus eum illuminando et voluntatem corroborando, tandemque ei in praemium hujus observantiae largietur vitam aeternam. — Verbis hujus versus simul explicat, quomodo fieri poterit, ut qui ex aqua ejus biberit,

<sup>1)</sup> Calm., Drey. Apologet.

nunquam amplius siti laboraturus sit. — Si Siracides (24, 29.) de sapientia dicit: qui bibunt me, adhuc sident, non contrarium dicit; nam haec sitis non est, quae indigentiam aut defecatum significet, sed voluptatem et desiderium, ita ut sensus sit: qui me (sapientiam) habent, optabunt augmentum sapientiae<sup>1)</sup>.

V. 15. *Neque veniam* i. e. venire cogar. — *Huc haurire* i. e. huc haustum scil. aquam. — Necdum intellexit mulier Christum; quapropter alia ratione eam a corporeis ad altiora erigere studet Jesus, exhibendo nimirum ei documentum suae omniscientiae.

V. 16. *Voca virum tuum*. Quamquam Christus sciret, eam maritum (legitimum) non habere, loquitur tamen ut habenti, ut occasio ei daretur, occulta mulieri pandendi et confessionem ab ea eliciendi illique ita ostendendi, se majorem esse puro homine (a Lap.).

V. 17. *Non habeo virum*. Utitur ambigua locutione, quia turpitudinem suam dissimulare vult (Euthym.). — *Bene* i. e. recte, vere ( $\alpha\lambda\eta\vartheta\omega\varsigma$ ).

V. 18. *Quinque viros* scil. legitos, alium post alium; nam opponuntur sexto, illegitimo<sup>2)</sup> — Verosimiliter ab illis repudiata fuit ob commissum adulterium. — *Quem nunc habes* i. e. quocum nunc consuetudinem habes. — *Tuus vir* i. e. tuus maritus, sed alterius mulieris; juxta alios; non est tuus maritus, sed tuus concubinus<sup>3)</sup>.

V. 19. *Propheta es tu*, quum nimirum occulta mea revelas.

V. 20. Mulier agnoscens, Jesum esse prophetam, proponit ei quaestionem de religione, illo tempore inter Judaeos et Samaritanos summe controversam, ut sciret, utram partem sequi debeat, ut saluti suae consulat (a Lap.). — *Patres* i. e. majores. Per patres non sunt intelligendi patriarchae prisci, Abrahamus, Jacobus etc., sed majores Samaritanorum, qui temporibus Manassis cultum religiosum in monte Garizim instituerant. — *In monte hoc* scil. Garizim, quem digito monstrasse putanda est, qui mons civitati Sychar erat vicinus. — *Adoraverunt*, nimirum Deum. Per ado-

<sup>1)</sup> Cf. Calm., a Lap.

<sup>2)</sup> Aug., Beda, Euthym., a Lap.

<sup>3)</sup> A Lap., Menoch.

rationem hic significatur omnis ritus publicus colendi Deum, praesertim per sacrificia aliosque ritus publicos. — *Vos* scil. Judaei. — In fine supplendum: quinam igitur, Judaei, an Samaritani habent verum adorationis locum? (Ad. Maier).

V. 21. *Crede mihi*; rem enim incredibilem tam Judaeis, quam Samaritanis praedicebat (Jans.). — *Venit hora* i. e. in propinquum tempus adest. Praesens pro futuro proximo (Rosenmüller). *Neque in monte, neque Hierosolymis* i. e. nullo certo, determinato loco, sed quum spiritus est, ubique locorum. — Unde sponte consequitur, hanc mulieris quaestionem esse supervacaneam. —

V. 22. *Vos* scil. Samaritani. — *Quod nescitis, nos adoramus, quod scimus.* Plures interpretes referunt utraque vice pronomen relativum *quod* ( $\delta$ ) ad Deum ( $\delta$  pro  $\delta\nu$ ), hoc sensu: Vos Samaritani Deum colitis, quem non satis recte nostis; nos vero adoramus, quem rectius cognoscimus. — Sed explicationi huic in primis obstat, quod mulier non interrogarat, utri veriorem Dei cognitionem haberent, sed utri sanctiore loco eundem Deum adorarent (Mald.). Quapropter rectius illi locum hunc intelligent, qui Christum de solo adorationis loco verba fecisse statuant, ita ut sensus sit: Vos Samaritani, qui Deum in monte Garizim adoratis, nescitis, cur eum in eo monte adoretis; nam nulla dantur pro ea re argumenta historica; nos contra Judaei scimus, cur Hierosolymae Deum adoremus; nam jussu divino templum in hanc rem conditum est Hierosolymae<sup>1)</sup>). — Cultus enim in monte Garizim illicite erat institutus temporibus Manasses ab ejus socio Sanaballat, Samaritanorum praefecto, ad quem ob coniugium cum alienigena a fratre ceterisque sacerdotibus templo et sacris exclusus, confugit. Porro Samaritani, postquam templum in monte Garizim extruxerant, ut cultum suum in isto monte rectum ostenderent, locum Deuteronomii (27, 4.), in quo Deus in monte Ebal altare sibi exstrui jussit, interpelarunt, vocem Ebal mutantes in Garizim, et ita paeceptum istud templi exstruendi ad suum templum referentes. Quamvis templum postea a. 129. ante Christum destructum esset a Joanne Hyrcano, mons tamen ipse eis semper sanctus remanserat. — *Salus* ( $\sigmaωτηρία$ ) i. e. salvator ( $\sigmaωτήρ$  cf. Luc. 2, 30.). — *Est* ( $\varepsilonστίν$ ) i. e. originem dicit (Cyrill,

<sup>1)</sup> Mald., Bucher.

Chrys.). — Sic ergo Christus litem de Deo adorando Judaeis adjudicat. — Ceterum Christus se annumerat Judaeis, quia ex eis natus est (ut homo), inter eos vixit eorumque cultum participabat.

V. 23. Nunc explicat accuratius Christus illam Dei adorationem, quae fiet ubivis locorum. — *Venit hora*; ut supra v. 21. *Et nunc est*, quia nimurum Messias, veri cultus divini auctor, jam apparuit; aut: quia hic verus Dei cultus in nonnullis ejus discipulis jam incepit (Ad. Maier). — *Veri adoratores* i. e. genuini ejus asseciae, seu christiani. — *Patrem* i. e. Deum. — *In spiritu* i. e. modo spirituali, Dei naturae congruo; qui adorandi modus non est adstrictus certo loco, nec certis signis externis, verbis et ceremoniis, ita ut istis deficienibus vera adoratio esse desineret, sed qui consistit in interioribus actibus fidei, spei, charitatis, cogitationum sanctorum, contemplationum, gratiarum actionum, laudum, orationum, ceterarumque virtutum<sup>1</sup>). Ex quo consequitur, nec Hierosolymam nec montem Garizim esse unicum locum verae Dei adorationis, quia non tantum Hierosolymae, nec solum in monte Garizim, sed ubivis locorum praesens est Deus (Mald.). — Ceterum ex hoc loco perperam acatholici probare volunt, cultum catholicum religiosum, in quo tot dantur ritus, ceremoniae etc... non esse adorationem in spiritu; ecclesia enim catholica in omnibus istis ceremoniis et ritibus externis vult internam, spiritualem Dei adorationem; hanc ut rem principalem, illas ceremonias et ritus vero ceu mera subsidia considerans, quae autem homini, qui non merus spiritus est, necessaria sunt<sup>2</sup>). — *In veritate* i. e. rebus iis (seu tali sacrificio), quae per umbras et figuras V. T. significabantur (Mald.). Christianorum enim adoratio debet prorsus congruere indoli et naturae veritatis a Christo allatae (perfecta esse)<sup>3</sup>) — *Nam et Pater tales quaerit* i. e. habere vult. Verbis his prima redditur causa, cur Deus in spiritu et veritate adorandus sit.

V. 24. Verba haec continent causam, cur Deus tales adoratores habere velit, quia natura sua est spiritus, omnis corporis expers<sup>4</sup>). — *Et (xài)*; h. l. est particula haec illativa: itaque<sup>5</sup>).

<sup>1)</sup> A Lap., Menoch.

<sup>2)</sup> Cf. a Lap., Calm.

<sup>3)</sup> Cf. Veith Dodecatheon S. 219.

<sup>4)</sup> Mald., a Lap.

<sup>5)</sup> Beelen gramm. 460.

— *Eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare, ut nimirum sit proportio inter adorationem et adoratum* (Jans.).

V. 25. Sensus est: Perfecte credo verbis tuis, quum propheta sis, sed totam hanc rem ad Messiam, quem exspectamus, rejicio; hic enim cuncta in rectum rediget ordinem, ideoque etiam docebit cuncta, quae ad Deum recte colendum spectant. *Venit* i. e. venturus est. — Quum Samaritani reciperent Pentateuchum, ubi Messiae adventus prophetatur (Deut. 18, 15.), ideo Messiam non secus ac Judaei exspectabant, sperabantque illum omnia docturum. Ceterum constat (coll. Matth. 2, 2.) ea aetate Messiam brevi proditurum a toto oriente exspectatum fuisse. *Qui dicitur Christus*; sunt verba evangelistae hebraeum nomen interpretantis. — *Annuntiabit* i. e. docebit, seu cognitum faciet, quod nimirum absconditum est, hinc etiam de loco et ritu adorationis. —

V. 26. *Ego sum, nimirum Messias;* hinc non est opus, ut vos Samaritani suum exspectetis Messiam. — Jesus nunquam adeo perspicue Judaeis se Messiam significavit, uti huic mulieri; putant antiqui interpretes<sup>1)</sup>, id factum esse ob sinceritatem et simplicitatem mulieris; recentiores<sup>2)</sup> vero existimant, id factum esse, quia Samaritani rectius de Messia cogitassent, nec ad rebellionem adeo proclives fuissent, quam Judaei, qui regnum terrenum a Messia condendum praestolabantur.

V. 27. *Et continuo;* graece est: *καὶ ἐπὶ τούτῳ* i. e. dum haec fierent (Beelen gramm. p. 420.). — *Venerunt,* nimirum ex Sychar emptis cibis. — *Mirabantur,* quia nimirum indecorum putarent, colloqui cum femina (Cyprian.) — *Nemo dixit* i. e. nemo audebat eum interrogare, ducti nimirum reverentia erga magistrum (Chrys.). — *Quid quaeris* scil. ex ea, seu quid vis ab ea.

V. 28. *Reliquit ergo,* quia scil. audiverat et crediderat, Jesus esse Messiam (August.). — *Hydriam suam,* omni nimirum cura rei familiaris abjecta (Jans.). — *Abiit* scil. laetabunda. *In civitatem,* nimirum Sychar. — *Illis hominibus* i. e. incolis urbis Sychar, seu concivibus suis, ut nimirum eos ad Jesum pro Messia cognoscendum excitaret (a Lap.).

<sup>1)</sup> Orig., Chrys., Theophyl., Euthym., Mald., Calm.

<sup>2)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

V. 29. *Qui dixit mihi omnia, quaecunque feci* i. e. qui propheta est, et quidquid clam omnibus egi, mihi aperuit. — *Numquid ipse est Christus* i. e. numquid ipse non est Messias, quem nos Samaritani exspectamus. — Ipsa non dubitabat, sed firmiter credebat, Jesum esse Messiam; attamen addubitantis modo loquitur, ne de re tanta praejudicare imperita mulier videretur, sed omne judicium illis relinquere, quos ad capiendum experimentum invitabat<sup>1</sup>).

c.) Colloquium cum discipulis (31—38.).

V. 31. *Interea* i. e. dum haec a muliere agebantur et Jesus meditabundum et prandium differentem videbant. — *Rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi, manduca;* sciverant nimis, Dominum itinere et aestu fatigatum esse (Chrys.).

V. 32. *Ego cibum habeo manducare* i. e. ego non indigeo cibo corporali, me oportet aliud cibum manducare. Quem cibum intelligat, infra (v. 34.) exponit. — *Quem vos nescitis* i. e. quem nunc ignoratis, sed aliquando etiam cognoscere discessetis. — Sic Christus exemplo suo docet, multo majorem salutis hominum, quam proprii corporis curam esse habendam (Cyrill.).

V. 33. Non intellexerunt apostoli, Christum loqui de cibo spirituali, verba ejus de vulgari cibo sumentes.

V. 34. Hisce clarius exponit, de quo loquebatur cibo. — Cibum suum vocat opus redēptionis (salutis) hominum, a Patre, qui eum miserat, ipsi injunctum<sup>2</sup>). — Dum opus redēptionis seu salutis hominum dicit cibum suum, significat, opus istud ei non tantum inter cunctas res esse gravissimum, sed etiam tale, quo mens ejus velut cibo delicatissimo praēprimis reficitur et delectatur (a Lap.). Porro opus hoc vocat opus ejus i. e. Patris, quia a Patre erat ei injunctum; dicit illud voluntatem ejus (Patris), quia redēptio (salus) hominum proprie erat voluntas Patris. — *Misit me* i. e. qui me in mundum misit, ut salutem hominum procurarem (Mald.).

V. 35. Comparat nunc opus redēptionis sementi, Samaritanos vero ad ipsum adventantes messi; occasionem huic comparationi suppeditans fors aspectus vel/ segetum, per quas

<sup>1)</sup> Euthym., Mald.

<sup>2)</sup> Chrys., Euthym., a Lap.

apostoli transibant, vel hominis, qui sementem faciebat. — **Dicitis**, nimirum nunc. — **Quod adhuc quatuor menses sint, et messis venit.** Maldonatus putat, verba haec esse proverbium, significans, adhuc sat temporis esse, ut de re aliqua (v. c. de messe corporea) cogitetur; ast id de messe spirituali dici non potest, cum jam sit illa matura: **Levate oculos etc.** — Si verba haec proverbialiter sumerentur, utique non possunt inservire tempori, quo Christus haec dixerit, definiendo. Quum tamen nihil ex antiquitate afferri potest, quo tale proverbium apud Judeos in usu fuisse comprobetur, tenenda est explicatio eorum, qui cum s. Augustino verba haec ad literam accipiunt. Quum jam messis in Palaestina inciperet dimidio mense Nizan (Aprili), patet, ea, quae h. l. leguntur, a Christo dimidio mense Decembri dicta fuisse (cf. Ad. Maier). — **Regiones** i. e. agros; per hos cum Chrysostomo et Theophylacto intelligendi sunt Samaritani ad Christum ex urbe adventantes. — **Aliae** i. e. maturi flavescent scil. instar spicarum flavescentium. Vocab Samaritanos agros maturos, quia parati erant ad Messiam audiendum, doctrinam ejus excipiendam ac ecclesiam ingrediendam (cf. Matth. 9, 37; 13, 3.). — **Sensus** igitur verborum Christi est: **Vos nunc dicitis, quatuor mensibus adhuc messem esse remotam; ast messis mea, animarum, jam adest; enjam parata est in hisce Samaritanis adventantibus, qui parati sunt ad me Messiam audiendum doctrinam meam excipiendam et ecclesiam ingrediendam**<sup>1)</sup>.

V. 36. Invitat Christus apostolos ad laborandum in colligenda hac messe, spe mercedis aeternae. — **Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam** i. e. qui metit messem naturalem, pro labore mercedem accipit, sed temporalem et brevem; qui vero metit hanc messem spiritualem animarum, homines ad fidem convertendo, pro suo labore accipit mercedem coelestem, nam fructum congregat in vitam aeternam, dum homines in ecclesiam inducendo et christianismo initiando participes facit vitae verae, aeternae, perficiendae olim in aeternitate (cf. dicta 3, 15.), sibi ipsi vero pro labore suo acquirit praemium coeleste (vitam aeternam in celis). Cf. 1 Cor. 3, 8. — Congregare fructum in vitam aeternam, h. l. significat tum

<sup>1)</sup> Cf. a Lap., Calm.

inducere in ecclesiam, christianismo initiare, quo inchoatur vita aeterna, tum ipsum praemium coeleste in altera vita (cf. Maier.) — Per satores h. l. multi antiqui intelligunt Mosen et prophetas, qui Judaeis tradiderunt fidei semina, per messores vero Christum et apostolos; sed rectius per satores intelliguntur Christus et Joannes Baptista, per messores vero apostoli, et speciatim Petrus et Joannes, qui (coll. act. 8, 5.) demessuerunt Samaritanos ad fidem conversos<sup>1</sup>). — *Ut i. e. ita ut. Et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit i. e. et sator* (Christus et Joannes Bapt.) et messores (apostoli) simul gaudeant, nimirum ob fructum in vitam aeternam congregatum. — In messe corporali saepe secus fit; saepe sator nil de messe accipit, quod apud Judaeos nonnunquam fiebat, ut alii essent messores, quam satores. —

V. 37. *In hoc* ( $\epsilon\nu\tau\omega\varphi$  scil.  $\pi\rho\alpha\gamma\mu\alpha\tau\iota$ ) i. e. hac in re, seu hic, nimirum in colligenda spirituali messe Samaritanorum. — *Verbum* i. e. proverbium. — *Verum* i. e. valet (comprobatur). — *Alius est, qui seminat*, etc. Proverbio hoc (coll. Matth. 25, 24.) Judaei plerumque in malam partem usi sunt; sed nonnunquam etiam in bonam partem (conf. Deut. 24, 13.); ita et h. l. — Christus enim excitatus discipulos, ut strenue laborarent in messe spirituali colligenda, proverbium hoc ideo protulit, ut ostenderet negotii ipsius a discipulis suscipiendi facilitatem<sup>2</sup>)

V. 38. *Misi* i. e. mittam, scil. post resurrectionem meam (Matth. 28, 16—20.). Praeteritum positum pro futuro, more prophetarum, ad indicandam summam rei futurae certitudinem<sup>3</sup>). — *Laborasti* i. e. seminasti. — *Alii* i. e. ego et Joannes Bapt. Antiqui interpretes intelligunt prophetas. — *Laboraverunt* i. e. sementem fecerunt, nimirum religionis et regni divini. — *Vos* scil. apostoli. — *Introistis* i. e. introibitis; perfectum positum pro futuro, ut nimirum illum (laborem) perficeretis; et in applicatione ad Samaritanos: vos vero apostoli, quia Samaritanorum animos jam ad me recipiendum praeparatos promptosque inventis, eos in ecclesiam (regnum Dei) inducetis, christianismo initiabitis (cf. a Lap.).

<sup>1)</sup> Ad. Maier, Bucher, Allioli, Massl.

<sup>2)</sup> Kuin., Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Cf. Beelen gram. p. 291.

C. IV. v. 39 - 45.

### Fides Samaritanorum (39—42.).

V. 39. *Ex civitate illa, nimirum Sychar.* — *Crediderunt in eum* i. e. crediderunt, eum esse Messiam.

V. 40. *Ibi* scil. in urbe Sychar. In graeco est: παρ' αὐτοῖς apud eos; quoad sensum nullum discriminem.

V. 41. *Propter sermonem* i. e. propter verba et doctrinam, quam ex ore ejus audierant.

V. 42. *Loquelas* i. e. sermonem, seu narrationem tuam (*λαλά id ac λόγος*). — *Scimus*, nimirum ex rebus salubribus auditis. — *Salvator mundi*, non tantum populi Israëlis (uti volebant Judaei), sed omnium populorum totius mundi (a Lap.). — Non mirum videri potest, si Jesum dicerent salvatorem mundi, si consideretur, eos per duos dies a Christo edoctos fuisse, supponaturque, eos a falsis de Messia opinionibus Judaeorum liberos fuisse (cf. Calm.).

### 2) Sanatio filii ministri regii (43—54.).

V. 43. *Post dies duos*, quos nimirum apud Samaritanos manserat.

V. 44. *Quia propheta in sua patria honorem non habet* i. e. fit communiter, ut doctor (vir magnus) alibi prius acceptus sit et honoratus, quam in patria et cognatione sua. Proverbium hoc ita esse limitandum, inde patet, quia dantur exceptiones.<sup>1)</sup> — Per patriam hic est intelligenda *Judaea*, quod non pugnat cum Mattheo (13, 57.), qui patriam Christi *Nazarethum* dicit; proprie enim patria Christi erat *Judaea*, quia Bethlehemi natus erat; dum *Nazarethum* patria ejus dicitur, quatenus ibi educatus erat. — Christum vero in *Judaea* (in patria) non habuisse honorem, docent 4, 1—3. — Quum igitur *Judei*, nominatim incolae Hierosolymae, Jesum contemnerent, imo et vitae ejus insidientur, abiit in Galilæam, in ipso hoc itinere paucos dies apud Samaritanos divertens (Mald.).

V. 45. *Exceperunt eum*, nimirum benevole. — *Omnia scil. miracula.* — *In die festo* i. e. festo paschatis, (coll. 2, 23.). — *Ad diem festum*, i. e. ad festum paschatis nimirum e legis praescripto (Deut. 16, 16.).

<sup>1)</sup> Cf. a Lap. in Matth. 13, 57.

V. 46. *Regulus*; graece βασιλεύς, quae vox denotare potest vel consanguineum regis, vel ministrum regium. Hic loci altera significatio tenenda est, quia etiam Jos. Flavius ministros regios vocare solet βασιλευόντας. Erat minister Herodis Antipae, qui saepe rex dicitur (coll. Matth. 14, 9.), quamvis esset tetrarcha.

V. 47. *Descenderet* scil. Capharnaum. Minister nimis regius, quum audisset de miraculis Christi, ex urbe Capharnaum profectus est obviam Christo Canam Galilaeae, eumque rogavit, ut secum pergeret Capharnaum ad sanandum filium suum (a Lap.). — *Incipiebat mori* i. e. morti proximus erat.

V. 48. Reprehensio haec spectat ad Galilaeos generatim et ad ministrum regium speciatim, cui ansam dedit agendi ratio Samaritanorum, qui nullis visis signis et prodigiis crediderant; dum fides Galilaeorum reprehensione digna erat, quia erat imperfecta, utpote fundata solum miraculis, quae si non vidissent, in eum non credidissent. — *Signa* (*σημεῖα*) et *prodigia* (*τέρατα*) idem fere significant, nimis res inusitatas, mirabiliter contra naturam factas. Attamen, quamvis ratione non differant, eandem rem inusitatam diverse exprimunt: nam *σημεῖον* est res inusitata, mirabiliter facta, qua Deus aliquid aliud significat (v. c. cibatio 5000 hominum, qua significabatur illa mysteriosa hominum innumerorum per s. eucharistiam<sup>1</sup>), dum *τέρας* rem denotat extraordinariam, miram, quae terrorem incutit (v. c. ejactio daemonum, sedatio tempestatis in mari<sup>2</sup>).

V. 50. *Vade* scil. Capharnaum, non est opus, ut ego tecum vadam (a Lap.). — *Vidit* i. e. sanus et incolmis est. — Hic sermo Christi erat operatorius, i. e. efficiens id, quod enunciabat<sup>3</sup>). — Miraculosa hac sanatione iterum ostendit Christus, se esse dominum vitae.

V. 51. *Viveret*. i. e. sanus esset et incolmis. —

V. 52. *Interrogabat*, nimis ideo, ut intelligeret, an filius eodem tempore convaluisse, quo Jesus hoc ipsi dixisset. — *Hora septima* i. e. prima pomeridiana. — Mirum posset videri, quo-

<sup>1)</sup> Cf. Veith Dodecatheon 248.

<sup>2)</sup> Cf. Reithmayr Röm. Brief 15, 19., Wilke lex.

<sup>3)</sup> A Lap., Jans.

modo minister hic regius die sequenti demum servis, qui verosimiliter statim, postquam filius convaluit, e domo egressi sunt, obviam venire poterat, quum Capharnaum vix 4 horas distaret ab oppido Cana. Difficultas evanescit, si supponitur Judaeorum horas computandi modus, juxta quem a solis occasu dies sequens incepit. Si jam ille minister diutius apud Christum commoratus post solis occasum convenerat servos, ei utique dicere poterant: heri reliquisse filium febrim (cf. Bucher).

Vel etiam res ita explicari potest: Patrem mansisse illo tempore pomeridiano apud Christum ejusque doctrinas audivisse, ibi pernoctasse et altero demum die domum esse reversum; servos dein fuisse missos, ut inquirerent, ubi sit dominus eorum<sup>1)</sup>.

V. 53. *Creditit scilicet Jesum esse Messiam.* — *Domus i. e. familia.* —

V. 54. *Iterum secundum;* quum post πάλιν sequitur δεύτερον, πάλιν h. l. ut saepe abundat, est pleonasmus (Cf. Beelen gram. p. 543.) Sensus est: Hoc secundum miraculum fuit, quod fecit Jesus, cum venisset e Judaean in Galilaeam.

## Caput V.

Etiam hoc capite comprobatur Christus, se esse dominum vitae et ideo Messiam, dum paralyticum spiritualiter et corporaliter sanat, docetque sibi esse potestatem homines animo et corpore mortuos ad vitam revocandi (cf. Bucher).

### 1) Curatur paralyticus ad piscinam Bethesda (v. 1—9.).

V. 1. *Post haec i. e. postea.* — Joannes nimirum hic multa Christi in Galilaea gesta omittit, scilicet plurima miracula, vocationem apostolorum, sermonem Christi montanum, et cetera, quae narrat s. Matthaeus a 4, 13. usque ad finem c. 12.<sup>2)</sup>) — *Dies fes-*

<sup>1)</sup> Bucher Leben Jesu.

<sup>2)</sup> A Lap., Friedlieb Leben Jesu, Bucher.

*tus i. e. festum.* In constituendo festo, de quo h. l. sermo est, in diversissimas partes interpretes cum veteres, tum recentiores abierunt. Nonnulli putant, significari festum paschatis; alii festum Purim seu Estheris<sup>1)</sup>, quod 14. et 15. mensis Adar (Martii) incidebat atque uno mense pascha praecedebat; alii de encaeniis cogitant, quae erant festum 8 dierum, incidens in 25. mensis Kislev (Decembris); alii acceperunt de festo pente costes,<sup>2)</sup> quod finita messe peragebatur; et alii (Patritius) festum tabernaculorum putant. Ob locum 4, 35. nunc praeprimis duplex datur sententia, in hoc Joannis loco cogitandum esse vel de festo paschatis, aut de festo Purim. Praferenda tamen videtur sententia prior. Joannes nimirum loquitur de activitate Jesu in Galilaea, postquam Samariam reliquerat (4, 43—49.), uti synoptici; ast enarrat solummodo sanationem filii ministri regii (4, 46—53.), omnia reliqua, quae synoptici hocce temporis intervallo referunt, silentio praetermittit. Quum jam synoptici Jesum hoc temporis spatio continenter in Galilaea praesentem sistunt (nulla enim re nec antea, nec postea innuunt, Christum Galilaeam reliquisse ante pascha), eumque in fine hujus temporis spatii Hierosolymam ad festum paschatis profectum perhibent, utique festum h. l. a Joanne memoratum debet esse festum paschatis, non vero festum Purim, quod uno mense ante festum paschatis peragebatur, quia tunc temporis adhuc erat in Galilaea. Sententia haec non evertitur, si evangelista 6, 4. iterum pascha appropinquasse dicit, et ita res fere integri anni gestas in vita Christi silentio praetermittit, nam Joannes, quum consilium ejus esset dogmaticum, uti alias multas res vel omiserat, vel tantummodo singulas in istis memorarat, poterat etiam pleraque hoc anno in Galilaea (quo peracto festo, coll. 6, 1. se contulit) gesta praetermittere<sup>3)</sup>.

Porro sententia haec multum roboris nanciscitur, quia plures antiquissimi codices graeci legunt<sup>4)</sup> cum articulo η ἑορτὴ, quo vocabulo significari solet festum paschatis (Matth. 26, 5. Joan. 4, 45; 12, 12.). Tandem sententiam hanc tenuit s. Irenaeus (2,

<sup>1)</sup> Wieseler, Anger, Hug, Tischendorf, Ad. Maier, Schegg, Reithmayr.

<sup>2)</sup> Cyril., Chrysost., Theophyl., Mald.

<sup>3)</sup> Cf. Friedlieb Leben Jesu 125—126.

39.), cui multi alii cum antiqui<sup>1)</sup>), tum recentiores interpretes<sup>2)</sup> consentiunt. Stante hac sententia munus Christi complectebatur tres annos ac tres menses, nimirum a 6. Januarii 780. U. C. usque ad 7. Aprilis 783.<sup>3)</sup>

V. 2. *Est* (ἐστι). Evangelista poterat ita scribere, quamvis evangelium exararet post excidium Hierosolymae, quia fons ille etiam post dirutam urbem manere poterat. — *Probatica piscina*; legit ergo versor: προβατικὴ κολυμβήθρα; sed cunctis lectionibus praferenda est lectio ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, ad vocem προβατικῆς subintellecto vocabulo πυλῆ (porta), ita ut sensus sit: ad ovilem (oviariam) portam. Porta oviaria (προβατικός απρόβατον ovis), cuius mentio fit in libro 2. Esdrae (3, 1.), fors nomen habuit a sic dicta oviaria piscina, quae juxta s. Hieronymum (Theophyl. et Euthym.) serviret lavandis ovibus, antequam immolarentur. Situs hujus piscinae non potest certo definiri (cf. Kuinoel). — *Piscina*: vox graeca κολυμβήθρα (αποκλυμβάω nato) non tantum notat piscinam stricte sic dictam, piscibus alendis et gignendis destinatam, sed quamcumque aquarum colluviem seu stagnum, quemvis lacum. — Hebraice (אֶבְרָאִים) i. e. dialecto syro-chaldaica, qua tunc Hebrei utebantur. — *Bethsaida*, quod est locus pescationis (coll. 1, 44.); sed praferenda est lectio Βηθεσδά, quam plurimi et praestantissimi codices graeci exhibent; quae vox composita est ex בֵּית domus seu locus, et אַדְסָרָה misericordia, gratia (ergo locus misericordiae seu gratiae), ita dictus, quod illic Deus languentes infirmosque benigne sanaret. Quum Eusebius (in locis hebr.) tradit, aquam hujus piscinae rubentem fuisse (quem colorem juxta eum ex lotione victimarum mactatarum habuisse,) permulti putant, aquas illas vim naturalem sanandi morbos habuisse, seu fuisse thermas salutares.<sup>4)</sup>. — Sed huic obstat: 1) quod omnes morbi sine discrimine (coll. v. 3.) sanarentur; 2) quod post singulas aquae motiones singuli tantum sanitatem reciperent; et 3) quod sanatio fieret solummodo post aquae motionem<sup>5)</sup>. — *Quinque*

1) Jansen., Toletus, Franc. Lucas, a Lap., Calm.

2) Kuinoel, Friedlieb, Massl, Bucher, cf. Kirchenlexicon von Welte und Wetzer.

3) Cf. Friedlieb Leben Jesu S. 131.

4) Kuinoel, de Wette.

5) Cf. Mald., a Lap., Calm.

*porticus habens*, scil. in circuitu suo. Porticus sunt loca superius tecta, inferne (ad latus) aperta columnisque instructa, sub quibus a tempestate et solis aestu tuti homines stare et ambulare possunt. Hic serviebant ad recipiendos aegros, qui sanitatis causa illuc exspectabant (coll. v. 3.). — Jos. Flavius, qui etiam plura alia praetermittit, nullam facit hujus prodigiosae piscinae mentionem; faciunt vero id Eusebius et Hieronymus. —

V. 3. *Aridorum* i. e. hominum, quorum corporis membrum unum aut alterum exaruit (a Lap.). Alii vero per ξήρους intelligunt homines tabe (phthisi) laborantes (Ad. Maier, Allioli, Massl, Bucher).

V. 4. *Angelus Domini*; in graeco non adest vox Domini (*xυρίον*); addita est ab interpretibus, ut significaret, de bono angelo esse sermonem. — *Secundum tempus* i. e. certo quodam tempore a Deo vel ab angelo destinato, sed hominibus incognito (a Lap.). — *Movebatur* i. e. turbabatur aqua, nimirum ab angelo, strepitu excitato, ut esset signum, angelum descendisse (Mald., Jans.). Cuncta haec, quae evangelista narrat, sunt sensu proprio intelligenda, nisi statuere quis vellet, (quod tamen prius probari deberet), evangelistam secutum fuisse vulgarem usum loquendi Hebraeorum, qui omnes virtutes Dei invisibles dicere solebant angelos, ita ut hic per angelum ad turbandas aquas descendentem, intelligenda sit invisibilis Dei virtus, id praestans et aquas divina quadam vi instruens, qua morbi divinitus sanarentur<sup>1)</sup>. Si haec proprie intelligantur, certe id non est sapientia divina indignum, imo potius angeli, utpote juxta s. Paulum Hebr. 1, 14.) administratorii spiritus, in ministerium missi proper eos, qui haereditatem capiunt salutis, nobiliiori officio fungi non possunt, quam si e voluntate Dei miseriis hominum succurrant Deique benignitate mortales reficiant. — Videsis prolegomena §. 8. ad 1. —

V. 5. *In infirmitate*; collato v. 7. et 8. fuisse videtur paralysis.

V. 6. *Multum tempus haberet*, scil. infirmitatis, seu aegritudinis. — *Vis sanus fieri*. Interrogat eum, utin eo tanto majus sani-

<sup>1)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

tatis desiderium excitaret ac spem opis, sibi a Christo afferendae (a Lap.).

V. 7. *Domine; cf. 3, 11.* — *Hominem non habeo*, qui nimirum me juvet, ut in aquam descendam. — *Mittat i. e. deferat.*  
Sic tacite invocabat opem Christi. — *Dum i. e. interea dum.*

V. 8. *Surge*, nimirum sanus a morbo (nam imperium hoc fuit simul operatio sanitatis).<sup>1)</sup>. *Grabatum i. e. lectum tuum.* Jussit Christus (uti apud Matthaeum 9, 6.) eum sumere lectum, ut omnibus constaret, eum esse a se sanatum, imo validum et fortem subito effectum, ut lecti esset portitor (a Lap.).

V. 9. *Erat sabbatum die illo.* Addit id evangelista, ut viam sibi sterneret subsequenti Judaeorum criminationi recensendae (Menoch.).

## 2.) **Judei offenduntur hac sanatione sabbato facta (10—16.).**

V. 10. *Judei i. e. synedri*, vel eorum asseclae ex secta Pharisaorum (Ad. Maier), qui nimirum sanatum videbant bajulanten lectum. — *Non licet tibi tollere grabatum i. e. non licet ferre lectum tuum*, quia nimirum hanc bajulationem pro labore habebant (a quo die sabbati abstinendum erat juxta doctrinam eorum) Cf. Exod. 20, 8.

V. 11. Sensus est: Ille, qui uno verbo me sanare potuit, quod solum vir divina virtute instructus facere potest, utique scire debet, quid liceat die sabbati, nec ne; hinc verba ejus pluris mihi sunt, quam vestra.

V. 12. *Interrogaverunt*, nimirum indignantes. — *Ille homo i. e. ille audax et insolens.* — Hisce contemptum Christi significant. — *Qui dixit: tolle*, i. e. qui contra legem ausus est tibi praecipere, ut in sabbato gestes lectum tuum (a Lap.). — Habebant ergo Christum sabbati violatorem, qui qua talis haud a Deo esse potest, quum tamen facile cognoscere possent, eum, qui per miraculum sanaverat, id nonnisi singulari Dei virtute facere potuisse, hinc et a Deo esse debere (a Lap.). —

V. 13. *Nesciebat, quis esset*, utpote quem nec nomine sciret, nec ante vidisset, nisi cum sanitati est restitutus, nec sciret,

1) August.

quo abiisset (a Lap). — *Declinavit* i. e. se subduxit. Nam graecum *ἐξέω*, quod proprie notat: enato, dein enatando effugio, significat etiam: evado, me subduco. Subduxit vero se propter turbam, ne ei occasionem paeberet ad seditionem movendam, quae ei periculosa esse poterat (Theophyl.).

V. 14. *Postea*, quum nimirum jam miraculi rumor defecisset, sed eodem illo die sabbati (Menoch., Ad. Maier). — *In templo* gratias scil. agentem Deo pro praestito beneficio. — Videtur ergo hic a Christo sanatus, mox ut lectum detulit domum suam, in templum ivisse, ut Deo gratias ageret (Euthym.). — *Noli peccare*. Verbis his significat, morbum ei accidisse propter ejus peccata (cf. Matth. 9, 2.); unde tamen haud colligi potest, Jesum se accommodasse falsa e Judaeorum opinioni, quodvis malum physicum esse sequelam peccati cuiusdam personalis. Nam solum h. l. et apud Matthaeum (9, 2.) morbum peccatorum sequelam dixit, alias autem non, ubi innumeros aegrotos sanavit. Praeprimis vero obstat locus Joannis (9, 3.) in historia caecigeni, ubi erroneam illam opinionem a discipulis prolatam aperte impugnat.

V. 15. *Judeis* i. e. synedris. — *Nuntiavit*, non ex malevolentia, sed affectu gratitudinis, ut auctorem tanti beneficij ejusque virtutem divinam divulgaret (a Lap.). — *Quia Jesus esset* i. e. quod Jesus esset. Nomen hoc ex adstantibus in templo didicerat.

V. 16. *Propterea* i. e. propter hunc praetextum, quod sabbato curaret et curatum lectum auferre juberet. — *Judei* i. e. synedri. — Nonnulli codices graeci adhuc habent: et quaerebant eum interficere; quae tamen ex v. 18. illata sunt.

### **3) Christi defensio contra criminationes Judaeorum (17—47.)**

a) Docet operationis suaे relationem ad operationem Patris coelestis (17—30.)

V. 17. *Respondit*, nimirum ad Judaeorum criminationes. — *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* i. e. sicut Pater meus a mundo condito usque ad hanc diem etiam sabbatis operatur, nimirum creaturem gubernando et conservando — ita et ego, qui

sum Filius Dei Patris naturalis, ipsi aequalis, semper etiam sabbatis operor; ideo etiam meam sanandi virtutem manifestare debui, sabbato non obstante (cf. a Lap.). — Solebant nimirum pharisaei, ut ostenderent, die sabbati ab omni omnino opere abstinentem esse, provocare ad Dei exemplum, qui absoluta mundi creatione, die septimo ab omni opere quievisse in s. literis perhibetur (Gen. 2, 1. 2. Exod. 20, 8 — 11). Jesus vero perversam eorum intelligentiam impugnans, ostendit, Deum, etsi ab illo creationis opere die sabbati quieverit (quatenus a novis rerum speciebus producendis cessaverat), neutquam tamen ab illo inde tempore otiosum fuisse, imo semper, etiam sabbatis operari, nimirum gubernando et conservando mundum; unde infert, etiam ipsum, utpote Patri aequalem, debere semper, etiam sabbatis operari (cf. 1, 3.). — Docet simul hisce Christus, se esse Deum, dum se Filium Dei, sensu proprio — Patri consubstantialem nominat. — Particula: et (*zai*) in verbis: et ego, est comparationis: ita, similiter.

V. 18. *Solvebat* i. e. violabat, nimirum juxta eorum opinionem. — *Patrem suum* (*iδιον*) i. e. proprium, et quidem longe alio modo, quam homines. — *Aequalem se faciens Deo*, quum vide licet sibi operationem cum Patre aequalem attribueret. — Unde patet, Judaeos optime intellexisse, quo sensu Christus Deum dixerat Patrem suum.

V. 19. Christus verba, quibus Judaei offensi fuerant, non revocat, imo potius ea repetit uberiusque explicat. — *Non potest*, quia nimirum eandem cum Patre substantiam (naturam) habet.<sup>1)</sup>. — *A se* i. e. suo arbitrio et contra Patris voluntatem. — Ubi enim eadem substantia (natura), ibidem et eadem voluntas, consilia et potentia. — *Nisi quod viderit Patrem facere* i. e. nisi quod Patrem (idealiter) facere (seu velle) cognoscit et intelligit.<sup>2)</sup> — Nam in graeco est *βλέπῃ* (videat). — Dum dicit: *videat*, loquitur anthropopoëtice, et per videre intelligenda est perfectissima cognitio, scientia consiliorum, decretorum Patris. — *Ille fecerit*, nimirum idealiter, seu ceu causa prima ide alis (cf. 1, 3.) *Similiter* i. e. pari potentia et auctoritate. — *Filius facit*, nimirum realiter, seu ut causa effectrix (cf. 1, 3.). — Docet itaque

<sup>1)</sup> Aug., Chrys., Euthym.

<sup>2)</sup> Mald., Ad. Maier.

Christus hoc versu aequalitatem potestatis et voluntatis Patrem inter et ipsum. — Ex hisce vero simul Judaei intelligere poterant, ipsum, quod sabbato sanarit paralyticum, non posse accusari de sabbato violato, quia ita et ipsum Deum Patrem accusare deberent.<sup>1)</sup>

V. 20. Versu hoc docet, causam hujus aequalitatis in operando (potestatis et voluntatis) esse amorem, quo Pater Filium sibi consubstantialem infinite diligit. Loquitur vero Christus more hominum, comparatione desumpta a patre, qui filio suo amatissimo omnia communicat. — *Demonstrat.* Quia nimirum prius (v. 19.) dixerat, Filium videre Patrem facere, nunc apposite de Patre dicit, eum demonstrare Filio. Sicut jam istud videre de Filio dictum explicavimus de interna intuitione (visione), de cognitione decretorum et consiliorum Patris, ita et hic verbum demonstrare explicandum est de communicatione consiliorum et decretorum Patris (quae sunt quasi opera idealia) et potestatis, illa Patris opera (idealum) ad extra producendi, quae communicatio fit per communicationem essentiae divinae in Filio generando.<sup>2)</sup> — *Majora his*, scil. hac paralytici sanatione. — *Ut vos*, nimirum increduli et refractarii (coll. 9, 32; 11, 48.). — *Miremini*. Non dicit: credatis, quia legisperiti et pharisaei visis tot Christi miraculis mirati sunt opera ejus miraculosa, sed tamen in eum ut Messiam credere noluerunt (a Lap.).

V. 21. Nunc in sequentibus speciatim ostendit aequalitatem operationis Patrem inter et ipsum Filium. — *Suscitat* i. e. vitae restituit, nimirum idealiter. — Tempus praesens indicat perpetuitatem quandam. — *Mortuos*, tum corpore (coll. v. 28. 29.), tum animo seu spiritu (coll. v. 24. 25. — cf. Eph. 2, 1. 5; 5, 14. Col. 2, 13.).<sup>3)</sup> — *Filius vivificat* i. e. vitae restituit, nimirum re, facto. — *Quos vult*; non alios, quam Pater vult, quia ejus voluntas eadem cum Patris voluntate (Aug.).

V. 22. Sententiam, Filium re ipsa facere, quod Pater idealiter, nunc negative exprimit; simul est hoc secundum opus majus, quod Patrem sibi demonstraturum esse dixit (v. 20.). — *Enim* ( $\gamma\alpha\rho$ ) est explicativa particula: nimirum. — *Pater*,

<sup>1)</sup> A Lap., Jans.

<sup>2)</sup> Cf. a Lap., Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Ita Mald., Menoch., Ad. Maier.

quamvis omne judicium quoad ideam (voluntatis decretum) a Patre profiscatur. — *Judicat, nimirum re ipsa.* — *Dedit Filio,* i. e. sed Filius, utpote Patri quoad essentiam et potestatem aequalis, omne judicium exercet, tum his in terris discernendo credentes et incredulos, tum die judicii<sup>1)</sup> Cf. 3, 17. — Alii cum s. Augustino dicunt, Christo ut homini datam fuisse potestatem judiciariam; sed non est, cur non prior explicatio teneatur, si dicta v. 19. et 20. respiciantur.

V. 23. *Ut omnes honorificant Filium, sicut honorificant Patrem* i. e. ut omnes aequali honore et veneratione prosequantur Filium et Patrem. — Est hoc sequela aequalis operationis Patrem inter et Filium. — *Qui non honorificat Filium* i. e. qui Filium non aequali honore prosequitur ac Patrem. — *Non honorificat Patrem*, quia nimirum in utroque eadem natura, potentia et dignitas (Mald). — *Qui misit illum*, cf. 4, 34. — *in membris*

V. 24. Sequela hujus venerationis Filii est promptitudo eum audiendi, et in eum credendi; fides vero ipsa est initium vitae ( $\tau\eta\zeta \zeta\omega\eta\zeta$ ). Cf. 3, 15. — *Verbum meum* i. e. doctrinam meam. — *Audit* i. e. lubenter audit eique obedit. Ita est  $\tau\alpha$  audire ( $\alpha\chi\omega\beta\epsilon\nu$ ) hic explicandum. Talis vero auditio doctrinae Christi jam simul complectitur initium fidei, quia oritur ex desiderio veritatis. — *Ei, qui misit me*, i. e. Patri, cuius haec doctrina est (coll. 7, 16.). — *Habet vitam aeternam*. Vid. 3, 15. — Vitam aeternam, quam supra (3, 15. 16.) sequelam docuit fidei in se, h. i. apte poterat proponere ut sequelam fidei in Patrem, quia Patris et ejus una est essentia; hinc etiam, qui in eum (Filiu) credit, in Patrem credit (cf. Calm.). — *In judicium* i. e. in damnationem, si nimirum in fide perseveret. (August). Cf. 3, 18. — *A morte ad vitam* i. e. a spirituali morte ad veram vitam (spiritualem gratiae)<sup>2)</sup>.

V. 25. Quod explicationem hujus versus attinet, interpretes dissentunt. Nonnulli interpretes s. Chrysostomum secuti putant, hic agi de resurrectione corporum a Christo facta, dum adhuc in terris viveret, nimirum juvenis Naimitici, filiae Jairi et

<sup>1)</sup> Chrys., Ambros., Ad. Maier, Kirchenlexicon von Welte und Wetzer  
4. B. 455 unter Gericht.

<sup>2)</sup> Cf. a Lap. — Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Jansen., Toletus, Franc. Luc.

praeprimis Lazari; versu autem 28. sermonem esse de communī et universali resurrectione. — Maldonatus, Cyrillum secutus, jam hic de universali agi resurrectione censet, et istud: nunc est (*viv èστι*) accipit de die judicii extremi. Cornelius a Lapi de utrumque conjungit, dicens, esse hic sermonem de omnibus omnino a Christo suscitatis et suscitandis. Alii tandem s. Augustinum seuti, intelligunt haec de spirituali animorum e peccato ad vitam gratiae resurrectione<sup>1)</sup>, cui explicationi partim nexus hujus versus cum praecedenti, partim ipsa verba: nunc est, praeprimis suffragantur. Stante hac explicatione adest allegorica loquendi ratio, deprompta a corporum resuscitatione (coll. 1 Cor. 15, 52. 1 Thess. 4, 16., ubi ad vocem archangeli ad vitam revocantur mortui). — *Venit* i. e. adventat. — *Et nunc est* i. e. et iam adest. — *Mortui*, scil. animo (ob infidelitatem, errores et peccata). — *Audient*, scil. auribus. — *Vocem Filii Dei*, nimirum evangelium salutis annuntiantis. — *Audierint* i. e. lubenter audierint eique obedieriat (cf. v. 24.). — *Vivent*; est id ac supra (v. 24.): a morte ad vitam transibunt.

V. 26. Versu hoc causam dat, cur possit Filius suscitare mortuos. — *Pater habet vitam in semetipso* i. e. ita ut sit ipse ipsa vita, fons et principium omnis vitae<sup>2)</sup>. Cf. 1, 4. — *Sic dedit et Filio*, nimirum per aeternam generationem, in qua ei suam substantiam communicarat. — *Habere vitam in semetipso*, uti prius.

V. 27. *Potestatem dedit ei judicium facere* i. e. quia Pater dedit Filio, ut habeat vitam in semetipso, dedit ei etiam potestatem judicandi (cf. v. 22.). — Quum nimirum judicium non est nisi discretio hominum ad vitam destinatorum ab iis, qui mortem merentur, utique ille, qui talem facit discretionem, simul ostendit, seesse fontem et principium vitae. — *Quia filius hominis est* i. e. quia incarnatus Filius Dei, seu Messias, seu redemptor est; redemptori (Messiae) traditum est judicium, quia redemptio h. l. est etiam actus judiciarius i. e. discretio redemptorum ab iis, qui redemptionem respunnt<sup>3)</sup>. S. Chrysostomus verba haec: quia filius hominis est, connectit cum verbis, quae initio v. 28. leguntur; sed

<sup>1)</sup> Calmet, Menoch., Ad. Maier, Veith Dodecatheon S. 242.

<sup>2)</sup> Aug., Euthym.

<sup>3)</sup> Cf. Aug., Bucher, Ad. Maier.

haec connectendi ratio durior est atque a stili Joannei simplicitate aliena.

V. 28. *Hoc, quod scil. dixerim, me esse dominum vitae (spiritualis et corporalis) simulque judicem* (s. Aug.) — Jam ipsa haec verba Christi: *nolite mirari*, indicant, se nunc loqui velle de re alia, quae adhuc magis admirationem in eis excitatura sit. — *Venit*; non dicit simul ut supra: et nunc est, quia hic agitur de communi resurrectione corporali, cuius nondum tempus advenerat (Aug.). — *Hora* i. e. tempus, nimirum in fine mundi. — *In monumentis* i. e. in sepulchris, nimirum mortui et sepulti. — *Audient vocem Filii Dei* i. e. sentient vim et effectum vocis, quae jussu Filii Dei per archangelum tuba maxime sonora ad mortuos fiet, — qua suscitabuntur ad vitam et convocabuntur ad tribunal judicis Christi.<sup>1)</sup>

V. 29. *Procedent* i. e. egredientur, scil. e suis sepulchris. — *In resurrectionem ritae* i. e. ad vitam beatam et aeternam. ἀνάστασις ζωῆς pro ἀναστασις εἰς τὴν ζωὴν resurrectio ad vitam seu resurrectio, quae dicit ad vitam beatam (aeternam), uti: in resurrectionem judicii i. e. ad damnationem aeternam, dictum pro ἀνάστασις εἰς χρίσιν i. e. resurrectio, quae dicit ad aeternam damnationem.<sup>2)</sup>

V. 30. Nunc demonstrat, judicium suum fore justissimum — *Non possum*; cf. dicta v. 19. — *Sicut audio* i. e. sicut inteligo, nimirum a Patre. — *Voluntatem meam*, scil. solam, aut a Patris voluntate diversam (a Lap). — *Voluntatem ejus*, qui misit me i. e. Patris; voluntas enim mea divina eadem est cum voluntate Patris, voluntas autem mea humana voluntati divinae plane conformis est (a Lap). — Ceterum το judicare et judicium ita sumendum uti v. 22. —

b) Dicta sua testimoniis comprobatur (31—47.).

V. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso*, nimirum quis, qualis et quantus sim (Jans.). — *Verum* i. e. legitimum et fide dignum, nimirum juxta vestram opinionem et humanum censendi modum, (quia nemini in judicio creditur pro se dicenti),

<sup>1)</sup> Cf. Estius 1 Cor. 15, 52.

<sup>2)</sup> Cf. Beelen gram. 191.

— quamvis (coll. 8, 14.) testimonium meum de me ipso verissimum sit (cf. a Lap.) —

V. 32. *Alius est, qui testimonium perhibet de me, nimirum Deus Pater* (coll. v. 37.).

V. 33. *Vos scil. Judaeorum proceres, synedri.* — *Misistis, nimirum legatos* (cf. 1, 19.). — *Testimonium perhibuit veritati, quum nimirum interrogatus, num esset Messias, confessus est, se non esse, sed me esse Messiam.*

V. 34. *Ego non ab homine testimonium accipio* i. e. ego ad ostendendam meam Messianam dignitatem hominis, etiam praestantissimi et sanctissimi, testimonio non indigeo (quum alia testimonia mihi praesto sint). — *Sed haec dico, ut salvi sitis* i. e. sed utor Joannis testimonio vestrae utilitatis causa, ut testimonio ejus adducamini ad fidem in me et vitam consequamini aeternam (Chrys.).

V. 35. *Ille, scil. Joannes.* — *Erat;* quia Joannes jam mortuus erat. — *Lucerna, non ipsa lux* ( $\varphi\omega\varsigma$ ), quia non ex se lucebat, sed lumen a Christo accepit (cf. 1, 8.). — *Ardens, scil. Dei amore.* — *Lucens, scil. exemplo virtutum (sanctitatis) et fervore praedicationis;* ergo Joannes erat doctor piaeclarus, propheta; hinc testimonium ejus verum. — Simile legitur in Siraclide (48, 1.) de Elia, qui tanquam Messiae praecursor exspectabatur (surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.). —

*Ad horam* i. e. ad breve tempus, nimirum initio praedicationis ejus. — *Voluistis exultare in luce ejus* i. e. delectati estis praeconio ejus, puerorum instar, qui re nova delectari solent; ast mox, quum vestra scelera taxare coepit ac indicare, me esse Messiam, eum sprevistis<sup>1)</sup>). — *Lux h. l. est doctrina, quam Joannes praedicabat.*

V. 36. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne* i. e. ideo, quia Joannem sprevistis, nolo uti ejus de me testimonio, habeo enim gravius, efficacius testimonium, Joannis testimonio. — *Majus Joanne* i. e. Joannis testimonio (cf. Beelen gram. 253.). — *Opera.* Per opera sunt intelligenda tum/miracula ( $\sigma\gamma-\mu\epsilon\iota\alpha$  et  $\tau\epsilon\rho\pi\alpha$ ), tum omnia reliqua redēptionis opera, a

<sup>1)</sup> Cyril., Chrys., a Lap.

Messia patrata<sup>1)</sup>). — Dicit: quae dedit mihi Pater, ut perficia mea, quia opera illa fecit juxta voluntatem Patris (cf. 5, 19. et 4, 34.). — *Quia Pater misit me*, nimurum hominum salutis causa, seu me esse Messiam (cf. a Lap.).

V. 37. *Et qui misit me, Pater* i. e. imo ipse Pater, verus Deus. — *Testimonium perhibuit de me*, nimurum in scripturis sacris, in quibus loquens per Mosen et prophetas se missurum testabatur Messiam<sup>2)</sup>). — Verba haec sumere de testimonio Patris coelitus in Christi baptismo dato, obstat nexus orationis et praeprimis v. 38. et 39. — *Neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis.* Verba haec, quum Deus sit purus spiritus, non posse sensu proprio intelligi, sponte patet (cf. Mald.). Ut prius (1, 18; 3, 11. 32.) vidimus, verba audire (*ἀκούειν*) et videre (*δοκεῖν*) saepe denotare: mente audire et videre i. e. intelligere, cognoscere. Eadem verba, quae hic accuratius determinantur per addita: vocem et speciem, eodem modo etiam hic intelligenda sunt. Comparatur nimurum h. l. Deus cum homine, qui cogitata sua, sicut homo voce (verbis) solet animi sui sensa aliis manifestare, voce manifestat externaque forma appareat, ita ut per hanc externam Dei apparitionem et vocem intelligenda sit manifestatio ejus essentiae, attributorum, voluntatis et decretorum, facta partim in s. scriptura, partim in mundo, in historia, partim in hominis animo. Si jam verba illa ita explicantur, sensus eorum est: Vos veram Dei cognitionem non habetis.<sup>3)</sup> — Cui explicationi suffragantur verba statim sequentia, quippe quae causam dant, cur iis desit vera Dei cognitio.

V. 38. *Verbum ejus*, nimurum in s. scripturis manifestatum (Chrys., Euthym.) — *In vobis manens* i. e. in intimis animis alte fixum, ita ut esset principium omnis vestrae cogitandi, sentiendi et agendi rationis (cf. Mald.) — *Quia quem misit ille, huic non creditis* i. e. quia in me velut a Patre missum credere non vultis (quod tamen fieri deberet, si verbum Dei in scripturis manifestatum in animis vestris alte fixum esset, quum istae de me loquuntur).

V. 39. *Scrutamini* (*ἐρευνᾶτε*); non est ut imperativus, sed

<sup>1)</sup> Ad. Maier., Bucher.

<sup>2)</sup> Theophyl., Euthym.

<sup>3)</sup> Cf. Ad. Maier., Bucher.

cum Cyrillo ut indicativus accipiendum, poscente ipso contextu (quia vos putatis etc. . .), ut sensus sit: vos scrutamini, inquiritis. — *Quia putatis in ipsis vitam aeternam habere i. e. quia putatis, in ipsis inveniri posse (seu eas monstrare) viam obtainendae vitae aeternae, quod tamen nunquam fiet, sine fide in me, quum tantum eatenus sunt scripturae via ad vitam aeternam, quatenus incitant ad fidem in me, quae fides dicit ad vitam (Jans.).* — *Illae, nimurum scripturae. — Quae testimonium perhibent de me i. e. quae testantur, me esse Messiam, mundo promissum.* — Nam anima, scopus et finis omnium scripturarum V. T. est Christus. —

V. 40. *Et (χαὶ) i. e. et tamen. — Non vultis venire ad me i. e. non vultis vos disciplinae meae committere, et in me credere (cf. 6, 35.).*

V. 41. *Claritatem (δόξαν) i. e. gloriam; sensus est: Nolite putare, me tam magnifica de me praedicare eaque variis testimoniis probare studere, ut gloriam et honorem apud homines mihi colligam.* — Hisce occurrit, ne putarent Judaei, se omnia appetitu honoris dixisse.

V. 42. Sensus est: Sed scio intima cordis vestri videoque in iis nil esse amoris divini; et haec est causa, cur tam clara testimonia, quae ego pro me profero, accipere et in me credere nolitis; si enim Deum vere diligaretis, utique me, amore veritatis allecti, ab eo missum agnosceretis, et ita non esset opus, talia pro me testimonia proferre (a Lap.).

V. 43. *In nomine Patris i. e. jussu et auctoritate Patris, seu ut Filius missus a Deo Patre. — Accipitis me i. e. non excipitis me ut Messiam et Dei Filium (seu me repudiatis.). — In nomine suo i. e. sua auctoritate, non missus a Deo. — Accipietis i. e. talem (falsum prophetam), dummodo vestris cupiditatibus assentiatur, excipietis (cf. Math. 24, 5.). Veritatem hujus praedicationis confirmat historia; nam ultra 60 excipiebant Judaei, qui falso dignitatem Messiae sibi arrogabant.*

V. 44. Sensus est: Vos, qui gloriam hominum captatis, non autem gloriam veram, quam Deus suis dat, me, qui gloriam hominum contemno et contemnendam doceo, sectandam vero veram, spernitis (Theophyl., a Lap.). — Nam similis simili gaudet. — De phrasi: gloria, quae a Deo est (*δόξα παρὰ τοῦ*

$\vartheta\sigma\circ\tilde{\nu}$ ) i. e. gloria vera; nam  $\pi\alpha\rho\acute{a}\tau\circ\tilde{\nu}\vartheta\sigma\circ\tilde{\nu}$  est id ac:  $\dot{\epsilon}\nu\omega\pi\iota\circ\tilde{\nu}$   $\vartheta\sigma\circ\tilde{\nu}$  coram Deo, quod idem est ac: juxta Dei judicium; quum vero hoc non potest falli, uti judicium hominum, qui nesciunt actionum motiva et animi consilia, phrasis: aliquid esse coram Deo, idem denotat ac: vere id esse.

V. 45. *Nolite putare, quia accusaturus sim vos apud Patrem*; non enim opus est tali speciali accusatione (Cyrill.). — *Est qui accusat vos Moses* i. e. Moses, qui me nuntiavit, vos, qui in me credere nolitis, infidelitatis, accusabit, nimirum in extremo judicio, quatenus ex ipsius libris convincemini, vos Christo, cui credere debebatis, non credidisse<sup>1)</sup>. Ceterum h. l. per Mosen metonymice intelligendi sunt libri ejus, imo et tota scriptura V. T. coll. 37., quae hic sub Mosis nomine comprehenditur, quatenus ipse repreäsentat totum A. T. (Ad. Maier, Mald.). — *In quo speratis* ( $\varepsilon\iota\zeta\delta\circ\tilde{\nu}\eta\lambda\pi\iota\chi\alpha\tau\circ\tilde{\nu}$ ) i. e. ad quem tanquam patronum vestrum provocatis. — Ast etiam huic non creditis. — In graeco est perfectum loco temporis praesentis, quod saepe adhibetur (6, 70. (69.); 11, 26. 27. 1 Tim. 6, 17; 2 Tim. 4, 8.), si perduratio actionis aut conditionis cuiuspiam praeterito tempore incoptae significetur<sup>2)</sup>

V. 46. *Mosi* i. e. scriptis, libris Mosis, in quibus de me locutus est (coll. v. 47. et Luc. 16, 31.). — *Scrispsit*, scil. Deuteronom. 18, 15. 49, 10. — Sed possunt hic simul intelligi omnia loca Messiana V. T. (Ad. Maier).

V. 47. Sensus est: Si vos Mosis, quem vos summi facitis, literis, quas de me scripsit, non creditis, multo minus credetis verbis meis, quum me ut legi violatorem odistis et contemnitis (a Lap.).

## C a p u t VI.

Enarrat in hoc capite s. evangelista miraculosam 5000 hominum cibationem, qua se, uti in nuptiis Canae in Galilaea celebratis, praebet dominum vitae, quatenus vitae necessaria

<sup>1)</sup> Cf. Mald., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Beelen gramm. 290.

(panem et pisces) largissime hominibus contulit. Dum porro (22—60.) declarat, se esse panem coelestem, qui mundo veram dat vitam, iterum docet, se esse auctorem et principium vitae (cf. Bucher).

## 1) Turbae miraculosa cibatio (v. 1—15.)

(Matth. 14, 13—21. Marc. 6, 30—44. Luc. 9, 10—17.)

V. 1. *Post haec.* Non statim, sed post unum fere annum. Omittit nimirum hic s. Joannes Christi gesta a secundo usque ad tertium instans (coll. v. 4.) pascha, ab aliis evangelistis memorata (a Lap.); vel vero, si verbum: abiit ( $\alpha\pi\gamma\lambda\theta\sigma\nu$ ) praegnanter dictum sumitur, ita explicari potest: hisce gestis profectus est Hierosolyma in Galilaeam, et postea (elapso fere uno anno abiit trans mare Galilaeae<sup>1</sup>). — Cf. Matth. 13, 1. — *Mare Galilaeae*, quod idem est cum lacu Genesareth, qui vocatur mare ex more Hebraeorum, qui lacum et mare eodem nomine compellant. Teste Josepho Flavio (bell. Jud. III. 10, 7.) habuit 140 stadiorum longitudinem (= 7 horas), latitudinem vero 40 stadiorum (= 2 horas). Stadium  $\frac{1}{40}$  milliaris Germanici, hinc 60 stadia =  $\frac{60}{40}$  seu unum milliare germanicum cum dimidio. — *Quod est Tiberiadis*, scil. mare. Dicebatur ita, quia adjacebat Tiberiadi, quae civitas ab Herode Antipa tetrarcha condita, in honorem Tiberii Caesaris ita vocata fuit<sup>2</sup>). Et quidem, uti Lucas (9, 10.) refert, secessit in locum desertum, qui erat in vicinia Bethsaidae illius nimirum, quae sita erat in Gaulonitide inferiore, in ripa lacus orientali, quae Philippo parebat, et quae in honoremJuliae, Augusti Caesaris filiae, Julias appellata est. Secessit vero in hunc locum, uti Mathaeus (14, 13.) narrat ideo, qnia Herodes Antipas ob famam miraculorum ab ipso patratorum putabat, ipsum (Jesum) esse Joannem redivivum cupiebatque eum videre.

V. 2. *Eum*, scil. navi euntem. — *Multitudo magna*, nimirum pedestri itinere (coll. Matth. 14, 13.). — Miraculosam hanc cibationem etiam tres synoptici narrant. Si jam eorum narratio comparatur cum Joannis relatione, invenimus, s. Joannem quaedam

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier, Bucher.

<sup>2)</sup> Jos. Flav. antiq. XVIII. 2, 3.

omisisse, quae illi narrant, alia vero, quae illi non narrant, adponere. Potest eventus ille, ut pugna Joannis cum synopticis evanescat, sequentem in ordinem redigi: Christus docuit turbam aegrosque sanavit usque ad vesperam, qui ideo fatigatus in montem ascendit (coll. v. 3.) cum discipulis quietis captandae causa. Cum jam turba confluendo augesceret vesperaque immineret, discipuli monuerunt Christum, ut turbam dimitteret ac corpus cibo reficeret; Christus vero jussit, ut ipsi prius turbam famelicam pascerent. Negantibus ipsis, sibi id esse possibile, Christus mox rem proponit Philippo, fors, quia debilior adhuc fuerat in fide (coll. 14, 8, 9.), qui vero idem respondit, quod ceteri<sup>1)</sup>.

V. 4. *Proximum* i. e. propinquum. — *Pascha*, nimirum tertium a baptismo Christi (cf. 5, 1.). Annotat id evangelista eo consilio, ut nullum pascha in tempus publicae activitatis Christi incidens reticeretur ab eo. — Fors etiam ideo, ut intelligeretur, fuisse jam tempus opportunum, quo Christus cum apostolis sub dio versari et turba tam magna ad eum in desertum aggredi posset.

V. 6. *Tentans*; non denotat: cognoscere volens, quid ipse judicaret; nam statim additur, Christum scivisse, quid esset facturus; sed: ansam ei praebere volens, suam in Dominum fiduciam ostendendi eamque nondum sat firmam roborandi.

V. 7. *Denariorum*. Quum denarius, qui erat numus romanus (Atticorum drachmae respondens), valeret circiter 37 cruciferos val. austr., 200 denarii fecerunt summam circiter 74 florinorum.

V. 9. *Unus* i. e. quidam ( $\tauι$ ), ex hebraismo (ut saepe). Utrum puer hic ex turba fuerit, qui victus vendendi causa advenerat, an vero in comitatu apostolorum fuerit, qui victimum in desertum deferret, interpres dissentunt. Vox quidam videtur priorem sententiam commendare<sup>2)</sup>. — *Panes hordeaceos*; hi viliores habebantur victusque erant pauperum. — *Pisces*. Graece  $\delta\phi\alpha\piοv$  (ab  $\delta\phi\omegaν$ ) dicitur omnis cibus, qui praeter panem sumitur, praeципue coctus vel assatus. Cum vero pisces etiam frequenter assari solerent, factum est, ut  $\delta\phi\omegaν$  et  $\delta\phi\alpha\piοv$  significant pisces

<sup>1)</sup> A Lap., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Calm., Menoch., Ad. Maier.

ad manducandum jam paratos (Kuinoel); quapropter synoptici loco δύο δψάρια habent δύο ἵζθύας.

V. 10. *Discubuerunt*, et quidem juxta Marcum (6, 39. 40.) *catervatim* (*συμπόσια συμπόσια*), partim centeni, partim quinquageni ea figura, quam *areolae* in hortis habere solent (*πρασταὶ πρασται*).

V. 11. *Accepit panes*. — Cur non creaverit materiam, vi-desis 2, 7. — *Gratias egisset*, juxta synopticos: benedixit; utrumque conjungendum, scilicet *gratias egit* Deo Patri pro potestate faciendi tantum miraculum simulque *divinam gratiam panibus imprecatus est*, per quam multiplicarentur (a Lap.). — *Distribuit discubentibus*, nimirum ministerio discipulorum, uti synoptici narrant. — Ceterum an panes et pisces in manibus Christi, an in manibus apostolorum multiplicati sint, certo non constat. Praeserri videtur sententia Francisci Lucae: In Christi fractione coepta est fieri multiplicatio, quae aucta est in discipulorum distributione, perfecta autem inter manus edentium. Ita enim et multitudini illi opportune ministratum est, et singulis testatior facta est virtus benedictionis Jesu. Cf. a Lap. —

V. 12. 13. *Colligite*; jussit id, ne donum a Deo subministratum vilipendi videretur. — *Fragmenta* i. e. frusta (portiones), in quae panes fracti erant. — *Duodecim cophinos*. Cophinus seu canistrum, in quo pauperes peregrinatores edulia secum portare solebant. Duodecim cophini, ut quisque apostolorum miraculum hoc in memoria sibi altius desigeret (Chrysost.).

V. 14. *Propheta* i. e. Messias. Cf. 1, 21. 45.

V. 15. *Raperent eum*, nimirum invitum, vi illata. — *Regem*, scil. terrenum, qualem Judaei Messiam male exspectabant (cf. Buch.). — *Secessit in montem*, ut nimirum occasionem motus excitandi iis proriperet, quum prius discipulos suos in ulteriore ripam lacus Tiberiadis discedere jussisset, praecavere volens, ne conspirarent cum turbis (coll. Matth. 14, 22. Marc. 6, 45.).

## 2) Christus mare inambulans (16—21).

(Matth. 14, 22—34. Marc. 6, 45—53.)

V. 16. Eventum hunc miraculosum refert evangelista, ut lector intelligeret, quomodo Christus e monte, in quem secesserat, Capharnaum venerat.

V. 17. *Venerunt i. e. tendebant, navigabant.*

V. 19. *Quasi stadia vigintiquinque aut triginta, ergo fere in medio lacus erant. —*

V. 21. *Voluerunt accipere eum in navim, et statim navis fuit ad terram i. e. quum cognoverunt Jesum, proni erant ad eum in navim recipiendum, et postquam hoc fecissent, statim (Christi praesentis ope et virtute) appulerunt ad terram (coll. Matth. 14, 32. Marc. 6, 51.) — Omittit Joannes Petrum super undas gradientem.*

### **3) Homines pridie panibus saturati Capharnaum ad Christum trajicientes (22—25.).**

V. 22. Versus hic arcte connectendus est cum v. 24.; nam versus 23. continet parenthesin, qua finita s. auctor v. 24. resumit vocem vidit (v. 22.), et ob hanc vocem etiam constructionem v. 22. coeptam, quam dein (v. 24.) continuat (Jans., Ad. Maier). — *Altera die i. e. postridie ejus diei, quo Christus turbam paverat. Turba haec nimirum in ipso deserto, et quidem in eodem loco, ubi a Christo pasta fuerat, noctem transegit, et altera die, cum sciret, unam tantum ibi fuisse navelculam eamque solos Christi discipulos consendisse, colligebat, Jesum in terra mansisse, ideoque et ipsa remansit. Putabat igitur, discipulos mane redituros esse (coll. v. 24.); quod quum non factum esset, colligebat, Jesum pedestri itinere Capharnaum protectum esse; non enim sciebat, ipsum noctu supra mare ambularem et postea (coll. v. 21.) navim ingressum appulisse Capharnaum (cf. a Lap., Ad. Maier, Buch.). — Verba ἐκεῖνο, εἰς δὲ ἐνέβησαν διὰ μαθητὰς αὐτοῦ, quae desunt in nonnullis antiquissimis codicibus (A B L) et in Vulgata, videntur interpretationi instar addita.*

V. 23. Haec sunt per parenthesin ideo addita, ut intelligeretur, quomodo (v. 24.) turba illa navigia consendere et transfretare posset, quum juxta v. 22. solum de una navi sermo est. Advenerunt vero istae naves verosimiliter vespero illius diei, quo discipuli navigarant, et sine dubio eo consilio, ut transfretarent homines, quos in altero litore adesse notum fuit<sup>1)</sup>.

1) Cf. Ad. Maier.

V. 24. *Ascenderunt in naviculas; non tota turba 5000 hominum, quum vix credibile sit, tot advenisse naves, ut tot millia hominum capere possent.* — *Capharnaum, quia nimur ibi Christum se inventuros sperabant, quum illuc discipulos navigasse ibique ipsum Christum domicilium habere scirent.* —

V. 25. *Trans mare i. e. Capharnaumi (et quidem coll. v. 60. in synagoga); in occidentali enim litore erat Capharnaum. Quando huc venisti. Est quaestio mirantium; quum scil. ipsi in navibus breviori via advenerunt, Christum pedestri via advenisse rati, non perspiciebant, quomodo prius potuerit adesse (nesciebant enim Christum supra mare ambulasse).* — *Quaestione jam hac utitur Jesus, non ut curiositati eorum satisfaceret, sed ut gravissimum sermonem didacticum, patrato die praegressa miraculo, haberet.*

#### 4) Sermo Christi didacticus (26—60.)

a) Promissio panis coelestis generatim facta (26—34.)

V. 26. *Sensus est: Non ideo me quaeritis, quod miraculosam saturationem ad fidem in me vos excitantem, tanquam documentum divinitatis et dignitatis meae Messianae spectassetis, sed pro terreno sensu vestro me quaeritis, quia momentaneam et terrenam utilitatem ex facto meo percepistis, sperantes iterandam talem saturitatem corporalem<sup>1)</sup>.* Propter carnem me quaeritis, non propter spiritum, ait s. Augustinus.

V. 27. *Operamini i. e. comparare vobis studete.* — *Cibum, qui perit i. e. cibum, qui tantum corpori sustentando servit, et quidem ad breve tantummodo tempus ei vitam praebet.* — *Qui permanet in vitam aeternam i. e. qui perennis est et vi sua perenni operatur vitam aeternam (cf. 4, 14.)* — *Vobis, scil. desiderantibus.* — *Cujus generis cibus hic sit, et quomodo dabitur, hic non edicit.* Postea (v. 48. seq.) clarius hac de re loquitur. *Hunc, scil. filium hominis (Christum).* — *Pater signavit Deus i. e. Deus Pater miraculis tanquam Messiam confirmavit<sup>2)</sup>.* — Respicit h. l. Christus sub imagine sigilli, quo confirmetur (cf. 3, 33. de voce σφραγίζω) potestas ipsius cibum spiritualem lar-

<sup>1)</sup> Cf. a Lap., Calm.

<sup>2)</sup> Chrysost., Euthym., Theoph.

giendi, miracula, quae hominibus praesentibus nota erant atque documenta Messianae ejus dignitatis et potentiae divinae. Alii s. Hilarium secuti, verba haec ita explicant: huic quasi sigillo impressit Pater divinitatem, nimurum uniendo substantialiter naturae humanae Verbum divinum (ejusque divinitatem). — Ceterum verba haec causam continent, cur istum cibum, quem eis daturus est, fiducialiter quaerant.

V. 28. Judaei Jesum non plene intellexerunt; putabant nimurum, Jesum verbis illis: operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, loqui de operibus, quae eos ad consequendam vitam aeternam facere oportebat. Quum jam scirent operibus legi Mosis consentaneis spem datam esse vitae aeternae (coll. Matth. 19, 16.), nunc quum Dominum de cibo vitae aeternae loquentem audissent, putant, eum de novis praeter ea, quae a Mose praecepta erant, loqui operibus, quapropter rescire desiderant, quaenam sint illa opera (Mald.). Per opera Dei intelligunt opera non solum Deo grata, sed etiam praeprimis insignia, conspicua simulque numero plura. Sensus est: Quid nobis facto opus est, ut nobis comparemus hunc cibum vitae aeternae? Verba operemur opera Dei sunt eis synonyma verbis Christi: operamini cibum.

V. 29. Illi multa opera interrogaverant, Christus unum postulat. Sensus est: Tum operamini opus Deo gratum, quo cibum illum permanentem in vitam aeternam consequi potestis, si in me Messiam credatis; seu fides in me Messiam comparabit vobis vitam aeternam. — Fidem in se tanquam opus Deo gratum nominat Jesus; quia fides haec, si modo genuina et solida est, omnia alia, quae Deo probantur, secum trahit efficitque, ut etiam cibo illo fruatur homo. Est nimurum fides ista agnitione summae dignitatis Christi, et inde fluens voluntas et conatus ei in omnibus obsequendi, desideriumque intimae cum eo unionis, ita ut jam non vivat homo, sed vivat in eo Christus (cf. Mald.).

V. 30. *Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi* i. e. scimus quidem, te heri ista panum multiplicatione rem magnam et mirabilem fecisse; ast hoc miraculum non sufficit, ut in te quasi in Messiam (et Dei Filium) credamus; miraculum aliquod insignius ergo edas oportet. — Dum Christus primo fidem

postulat, et dein cibum illum mirabilem promittit, hi contra volunt prius cibum habere, et dein credere.

V. 31. Solebant rabbini Messiam comparare cum Mose et ab eo omnia illa exspectare, quae Moses fecerat (excellentiori modo quodam modo). („Qualis fuit redemptor primus, talis erit redemptor ultimus; sicut ille fecit descendere manna, ita posterior faciet“<sup>1)</sup>). Jam autem inter Mosis miracula maximum existimabant illud, quum manna in deserto per longius tempus tanquam cibus coelestis Israëlitis concessum est. Hujus miraculi mentionem hic faciunt, utentes verbis psalmi 77. (v. 24.), ubi manna appellatur *panis e coelo*. Sensus est: Moses aluit patres nostros in deserto manna, cibo colesti, et quidem non una vice, sed per quadraginta annos, et quidem ingentem hominum numerum (sexcenta hominum millia), quod longe majus est tua hesterna panum multiplicatione; quum jam Messias major est Mose, utique eum miracula miraculis Mosis majora edere decet; hinc si Messias haberi vis, necesse est, ut majora Mose edas miracula (Mald. a Lap.). — *Manna* (quod nomen nonnulli derivant ex syrorum ꝑ pro ꝑ quid et ꝑ hoc, quibus verbis Israëlitae, donum illud ignorantes, se invicem interrogasse putantur) hoc, quod Israëlitis alimento fuit, ex aethere delapsum erat roris instar, diversumque ab humore illo roscido, qui in Arabia aliisque terris orientalibus e foliis quarundam arborum exsudatur<sup>2)</sup>. —

V. 32. Christus refellit Judaeos, eisque ostendit, se maiorem esse Mose. — *Non Moses dedit vobis panem de coelo* i. e. injuste a me postulatis, ut ad comprobandum dignitatem meam Messianam vobis exhibeam panem manna praestantiores; nam Moses manna istud non sua virtute majoribus vestris dedit, sed Deus, dum ego miracula propria edo virtute; nec manna, quod patribus vestris Deus, et non Moses, dedit, erat proprie *panis de coelo*, sed tantum *improprie* (tropice, quia Dei omnipotentia creatum, ex aëre, uti ros, in terram delapsum erat); nec tandem (collatis statim sequentibus) manna erat *verus panis*, sed solummodo subsidium veri, terreni panis ad Judaeorum vitam corporalem in deserto ad breve tantum tempus sustentandam (Mald., a Lap.). — *Dat*, scil. nunc (quia jam missus

<sup>1)</sup> Midr. Coheleth, Lighfootus ad h. 1.

<sup>2)</sup> Cf. Kirchenlex. von Welte und Wetzer, Wilke lex. N. T.

erat Filius). — *Panem de coelo verum* i. e. panem vere coelestem; nam ἀληθινός h. l. est veritati conveniens, suo nomine dignus, ergo ἐξ τοῦ οὐρανοῦ ἀληθινός, vere coelestis. — Est igitur antithesis inter Mosen et Christum, dein inter panem et panem.

V. 33. Probat nunc, panem, quem Pater dat, esse vere coelestem, simulque innuit, panem hunc esse se ipsum, quod postea (v. 35. et 38.) clarius edicit, utens simul v. 38. tempore praeterito. — *Panis enim Dei est* i. e. nam panis Dei verus non nisi ille est. — *Qui de coelo descendit* i. e. qui coelestis est originis, seu qui e coelo, ubi Deus habitat, originem suam habet. — Participium χαταβαίνων non est hic, neque v. 50. resolvendum per imperfectum; est enim adjective adhibitum, et habet vim praedicati. — *Et dat vitam mundo* i. e. et qui non uni populo et ad tempus (uti manna), sed universo mundo (omnibus hominibus) dat vitam, et quidem in omne tempus, vitam videlicet spiritualem, gratiae, et postea gloriae in omnem aeternitatem. Sic clare propositum est discrimen inter manna et panem, quem Deus nunc dat, respectu tum originis, tum efficacitatis.

V. 34. *Hunc* i. e. talem vere coelestem, qui universum mundum nutrit. — Quae nimirum Christus sub imagine panis de se dixerat prius, auditores de cibo proprio acceperunt, attamen cogitabant de pane quodam praestantiore manna illo, quod patres eorum manducarunt, ideo dicunt: semper da nobis panem hunc i. e. talem vere coelestem et universo mundo vitam praebentem.

b) Christus nunc clare dicit, se esse panem  
vitae (35—52.)

V. 35. *Panis vitae* i. e. panis, dans seu conferens vitam; seu panis vivificus ( $\deltaρος \zetaωγη \deltaιδον\varsigma$ ). Dum autem Christus se ipsum nominat panem illum vere coelestem, non loquitur de uno altero/actu suo solo, non de doctrina sua sola, nec de miraculis suis solis, sed intelligit totam suam in salutem hominum susceptam activitatem, intelligit se totum et opus suum totum. — *Qui venit ad me* i. e. qui mihi conjungitur, non externae solum praesentiae vinculo, sed animae desiderio, nimirum (uti mox explicat) credendo in me Messiam. — *Non esuriet* i. e. habebit sufficientem copiam praestantissimorum mediorum

ad salutem animi consequendam, nec aliud amplius desiderabit (cf. 4, 13.). — *Et qui credit in me, non siti et unquam.* Sententia hac explicatur praecedens: qui venit ad me. (Aug.). Nec tamen sententia haec frustra addita est; inest nimis ei allusio ad manna, quod quidem famem corporis ad tempus sedebat, situm vero extinguere non valebat.

V. 36. Respicit Christus ad ea, quae initio v. 26. dixerat hominibus praesentibus, et arguit repetita vice nimis eorum in externa et sensualia propensionem, hoc sensu: Aegre intelligitis et admittetis, quod dico, me scilicet ipsum esse hunc coelestem animorum cibum; nam vidistis me quidem miracula patrarem, et miraculo meo praecipue ultimo movebamini, ut ad me iveritis; et tamen in me tanquam Messiam credere non vultis, quia (coll. v. 30.) adhuc aliud a me postulatis miraculum.<sup>1)</sup> Primum et (*zat*) id ac: etiam, quidem; alterum: et tamen.

V. 37. Sensus est: Vestra pervicacia consilia Patris non reddet irrita; potius omnes, quos ille gratia ad credendum in me disposuit, mecum fidei nexu conjungentur; et venientem ad me, credendo in me Messiam, benignissime et lubentissime suscipiam. — Verbis his simul tacite docet, eos non esse ex illis, quos ipsi Pater dedit, et quidem ob pervicaciam, in qua nolebant agi a gratia divina, utpote nolentes cooperari cum gratia data (Calm.). — *Omne* i. e. omnes homines, omnis generis, aetatis et sexus. Neutrum pro masculino positum ad universalitatem exprimendam. — *Dare* (*διδούσαι*) h. l. cum effectu dare. Solent etiam alias (10, 29; 17, 2. 6. 9.) *praeparatio*, *dispositio* hominum ad fidem tribui Deo Patri ejusque gratiae; unde patet, fidem esse *donum* Dei. In ipsa vero notione *dandi* non latet *notio coactionis*, sed talis designatur operatio Patris, cui homo utique resistere potest; nam non est hic sermo de illis, qui salutem certe consecuti sint, sed de *credituris*, de *dispositis*, nempe *gratia* ad credendum: sicut etiam postea (17, 12.) dicit Christus ad Patrem: quos dedisti mihi, ego custodivi, et nemo periret ex illis, nisi filius perditionis (i. e. Judas). Exceptio haec declarat, etiam Judam comprehendendi sub illis, quos dederat Pater. — *Non ejiciam foras*, nimis e regno Messiano, in quibus verbis sita

<sup>1)</sup> Massl, Bucher.

est emphasis, ita ut valeant id ac: benignissime et lubentissime eum suscipiam.

V. 38. Versus hic rationem continet ultimae sententiae: non ejiciam foras, (nimirum venientem ad se per fidem), quia hoc fine venit in mundum, ut faciat Patris voluntatem (cf. 5, 30.) — Quae sit voluntas Patris, indicat statim.

V. 39. *Omne. Sumendum, uti prius* (v. 37.); et in verbis omne — ex eo est anacoluthon, ita resolvendum: ut ex omni non perdam aliquid ( $\tau\delta$ ) i. e. aliquem ( $\tau\tau\omega\alpha$ ) seu: ut ex omni nihil ( $\mu\eta\delta\acute{e}\nu$ ) i. e. neminem ( $\mu\eta\delta\acute{e}\nu\alpha$ ) perdam. — *Perdam* i. e. spiritu-aliter perire sinam. Conferatur 3, 15. 16., ubi verbo huic in simili *nexu* opponitur ( $\tau\delta$ ): habere vitam aeternam. — *Sed resuscitem illud in novissimo die.* Verbum resuscitem ( $\grave{\alpha}\nu\alpha\sigma\tau\acute{h}\sigma\omega$ ) jam ob addita: in novissimo die saepius de resuscitatione a mortuis ante judicium extremum intelligendum est; ast totum dictum hoc simul non potest de sola corporis ad novam vitam agendam cum anima conjunctione intelligi; oppositum enim: perdam ( $\grave{\alpha}\pi\grave{\o}\lambda\acute{e}\sigma\omega$ ) docet, verbis his plus inesse. Respicitur ergo hic mortuorum resuscitatio eatenus, quatenus cum ea conjuncta cogitatur beatitas in altera vita aeterna ( $\grave{\eta}\ \zeta\omega\grave{\eta}\ \alpha\grave{\iota}\grave{\omega}\acute{\eta}\iota\sigma\acute{o}s$ ); quapropter ad verba: sed resuscitem in novissimo die, mente supplendum est: *ad vitam aeternam* ( $\grave{\epsilon}\iota\acute{s}\ \zeta\omega\grave{\eta}\nu\ \alpha\grave{\iota}\grave{\omega}\acute{\eta}\iota\acute{o}v$ ). Cf. Mald., Ad. Maier. — *In die novissimo* i. e. die judicii extremi. Dies haec dicitur etiam dies Domini ( $\grave{\eta}\mu\acute{e}\rho\alpha\ \chi\nu\acute{o}\iota\acute{o}v$ ), dies judicii ( $\grave{\eta}\mu\acute{e}\rho\alpha\ \chi\rho\acute{i}\sigma\acute{e}\omega\zeta$ ), dies irae ( $\grave{\eta}\mu\acute{e}\rho\alpha\ \grave{\delta}\rho\gamma\grave{\eta}\zeta$ ), dies novissima ( $\grave{\eta}\ \grave{\acute{e}}\sigma\chi\acute{\eta}\grave{\tau}\eta\acute{\eta}$ ), dies illa ( $\grave{\acute{e}}\chi\acute{\sigma}\acute{\i}\eta\ \grave{\eta}\ \grave{\eta}\mu\acute{e}\rho\alpha$ ), vel simpliciter dies ( $\grave{\eta}\ \grave{\eta}\mu\acute{e}\rho\alpha$ ). Cf. Wilke lex.

V. 40. *Haec* scil. inquam. Est hic varians lectio; nonnulli codices habent δέ (vero, autem, ita et Vulgata), alii vero γὰρ (enim), sed sensu non diverso; nam sive δέ, sive γὰρ legatur, est h. l. particula explicativa: nimirum. — *Qui videt* i. e. qui animo attento considerat et contemplatur. — *Et credit*, nimirum ita, ut obsequatur quoque ei. Itaque  $\tau\delta$  credere est effectus considerationis et contemplationis istius, et spectatur tanquam dependens a libera hominis cooperatione. — *Habeat vitam aeternam.* Cf. 3, 16. — Ceterum verba haec explicitant praecedens: non perdam v. 39. Duo factores ad vitam aeternam: ductio (tractus) Patris, et fides ipsius hominis.

V. 41. *Murmurabant*, nimirum indignantes. Offendebat nimirum illos, quod dixit, se esse panem vivum, qui de coelo descenderit (a Lap.), quod cum origine ejus terrena, quam sibi notam esse putarunt, conciliare nesciebant (Mald.). Verbum γοργός notat proprie mussitare, dein indignationem voce et sermone proferre. — *Judaei*, nimirum iidem, qui v. 28.; sed non de omni turba id intelligendum est.

V. 42. *Hic*, cum contemptū dictum. — *Filius Josephi*. Vid. dicta 1, 45. Obloquentibus Judaeis graviter repetit (v. 43—51.) Christus dicta de se priora.

V. 43. et 44. Sensus utriusque (spectato nexu cum praecedentibus) est: Non est justa indignatio vestra, quasi absurdum quid dixerim; si enim alieni essetis a praejudiciis, quae dico, admitteretis; est quidem fides in me non tantum actus voluntatis humanae, nam nemo potest credere in me tanquam Messiam, nisi Pater eum gratia sua traxerit; atqui Deus omnes trahit, hinc si vos, Patri trahenti vos ad me velitis obsequi, venietis ad me, fidem mihi per omnia habebitis et percipietis per me beatitatem aeterne duraturam. — *Traxerit*; το trahere (έλκειν), quod de Patre dicitur, nequaquam ita intelligendum est, ac si libertas eorum, qui trahuntur, tolleretur, sed cum s. Chrysostomo, Augustino, Theophylacto aliisque (Mald., a Lap., Calm.) accipiendum est ita, ut denotet actum divinum, qui in eo tantummodo homine effectum revera habet, cuius voluntas ei non resistit; secus enim Christus non potuisset hoc dicendo Judaeorum praesentium indolem arguere, quod tamen indirecte fecit. S. Chrysostomus: neque hoc (scil. trahere) nostrum tollit arbitrium, sed nos divino auxilio indigere ostendit; et s. Augustinus: (tractat. 26, 4. in h. l.): noli cogitare, te invitum trahi, trahitur animus et amore. Et post nonnulla: Da a manem, et sentit, quod dico; . . . si autem frigido loquor, nescit, quid loquor<sup>1</sup>). Tractus ergo Dei significat vim et efficaciam gratiae, sed suavem et blandam, quae liberum arbitrium non cogat, sed allектet, mulceat et blandiendo flectat, ut credat (a Lap.). — Etiam Judaeos praesentes trahebat Deus ad Christum, tum per oracula prophetarum, quae in illo impleri videre poterant, tum dando iis occasionem Chri-

<sup>1</sup>) Cf. a Lap., Dieringer System der göttlichen Thaten I. S. 5.

stum audiendi ejusque vitam sanctam cognoscendi, miracula videndi et sic porro. Sed non cum effectu trahebat, partim quia trahenti non consentiebant, non bene utentes auxiliis, quibus Dei benignitas fidem eorum in Christum adjuvare voluit, partim vero, quia ambitione, invidia et malitia acti, praejudiciisqne et superstitionibus occupati, Christo illos docenti humilitatem, obedientiam et paupertatem, inania vero praejudicia Messiana et perversa magistrorum placita ex eorum mentibus evulsuro, indociles se praebuerunt (Calm.). — Ceterum ex Christi silentio de modo originis suae quoad humanam suam naturam non est collendum, concessum esse ab illo, quod illi prius dixerant, nimirum esse eum vere Josephi filium; Christus enim in iis, quae ei in praecedentibus opposuerunt Judaei, solummodo unum respiciebat, scil. eum non esse coelestis originis, atque ad ea respondens, docet eos, qui divinarum rerum sensu careant, et sensui rerum terrenarum prorsus indulgeant, divinam originem suam nunquam posse cognoscere. — *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Verba haec valent id quod v. 39. — Haec non posse de resuscitatione mortuorum simpliciter accipi, docet inter alia ille locus Joannis (5, 28. 29.), quo edocemur, non piis tantum, sed etiam impios in vitam aliquando resuscitatum iri; quum igitur hic de solis piis verba ista adhibentur, plus indicare debent. — Verba haec indicant fructum hujus tractus Dei (a Lap.). —

V. 45. Nunc ex loco prophetico probat, neminem posse ad se venire, nisi Pater eum traxerit. — *In prophetis* i. e. in libro prophetarum, qui olim ab Hebreis uno volumine comprehendì solebant (cf. act. 7, 42.). Locus iste desumptus est ex Iesaiā (54, 12. 13.), non quoad verba, sed quoad sensum. — *Docibiles Dei;* graece: διδαχτοὶ θεοῦ edocti a Deo i. e. a Deo edocēbuntur, nimirum per Spiritum s. — Qui prius a Deo trahi dicebantur, vocantur nunc a Deo edocti (cf. Beelen gramm. 192.). Est locus hic Messianus, indicans, temporibus Messiae plenitudinem revelationum divinarum esse adfuturam, magnam Spiritus s. inter homines activitatem, qui lumine suo eorum intellectum illuminabit, voluntatemque inflammabit, ut in eum credant. Activitatem hanc Spiritus s. et Messiae temporibus Messianis apte poterat Christus ut activitatem Patris designare, quia tum Patris, tum Filii et Spiritus s. activitas unum totum constituit

(cf. 1 Joan. 2, 27.<sup>1</sup>) — *Qui audivit a Patre et didicit*, i. e. qui admittit ad animum suum Patris variis modis ad Messiam trahentis vocem simulque obsequi vult. — *Venit ad me* i. e. credit in me quasi Messiam (et ita erit particeps vitae aeternae). *Audire* (*ἀκούειν*) h. l. animo audire (uti supra videre v. 40.).

V. 46. *Verbis his vult Christus praecavere*, ne *perperam intelligatur id*, quod sub finem versus praecedentis (omnis, qui audivit a Patre) dixit, simulque ostendit, sibi fidem esse habendam ab iis, qui a Deo edocti (*διδαχτοὶ θεοῦ*) pleno sensu esse velint. *Sensus est*: Dum dixi: qui audivit a Patre et didicit, nolite putare, Patrem meum sensibili modo loqui, ut vos erudiat; mortalis eum nemo vidit unquam, ego unus, qui ut Filius ex eo natus ideoque ei consubstantialis sum, ipsum continuo video et intueor, hinc et perfecte cognitum habeo. (cf. 1, 18.). — Unde tacite eis collendum relinquit, ut, si velint Patrem audire, eum audiant. Cf. 14, 6. *De formula: qui a Deo est* (*ὅτι ὁν παρὰ τὸν θεόν*) cf. 1, 14.

+ genitus  
V. 47. et 48. *Repressa Judaeorum murmuratione revertitur ad prius* (v. 40.) dicta graviterque affirmat id, quod ex proxime praemissis verbis ejus sponte fluit, nimirum fidem in ipsum vitam aeternam cuivis hominum praebere (cf. 3, 16.), se panem esse vitae, hominibus in ipsum creditibus vitam veram, aeternam, conferentem (cf. v. 35.).

V. 49. et 50. *Quo respectu Jesus dixerit* (v. 48.), se esse panem vitae, ostendit versibus his, facta sui comparatione cum manna Judaeis olim dato. *Sensus est*: Quantumvis magnum sit mannae miraculum, quo patres vestri in deserto, Deo largiente, vescebantur, tamen non habuit vim praeservandi a morte corpora, multo minus animos patrum vestrorum; hic vero panis, de quo ego loquor, qui vere coelestis est originis, habet vim dandi vitam non solum animi, sed etiam corporis, utpote corpori semen quoddam immortalitatis in primens, quo postea resurget ad beatitatem et vitam aeternam<sup>2</sup>). — *Nam verba: non moriatur* (*μὴ ἀποθάνῃ*) non solum tropice de morte animi (spirituali) sunt intelligenda, sed etiam de corporis morte, cui panis iste semen quoddam immortalitatis imprimet, quo corpus resurget

<sup>1)</sup> Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Mald., a Lap.

ad vitam aeternam gloriosam. — Ita sunt v. 52. verba: vivet in aeternum etiam intelligenda. — *Hic* scil. panis, qua voce Christus se ipsum intelligit. — *Ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur;* hisce verbis indicatur finis, ob quem iste panis adsit. — Vulgata propositionem hanc recte resolvit, post ut (*iva*) subintelligendo: si (*εαν*), et particulam *και* omittendo.

V. 51. *Vivus;* pro contextu h. l. id ac: *vivificus*, vitam dans (*ζωοποιῶν* cf. 4, 10.); sed vox haec simul indicat perennitatem hujus panis (cibi), qui nec corruptitur, nec cessat unquam, uti cibus communis et ipsum manna illud. Colligit hoc et sequenti versu Dominus omnia, quae inde a v. 32. generatim se ipsum considerans, de se dixerat tanquam de pane (seu cibo).

c) Nunc aperte declarat, corpus suum esse cibum, et sanguinem ipsius esse potum (v. 52—60.).

*N* V. 52. *Panis, quem ego dabo,* scil. in cibum, in ultima coena<sup>1)</sup>). — *Caro mea, quam ego dabo.* Verba: *quam ego dabo*, permulti codices, multae versiones, etiam Vulgata, et Patres plures non habent; ast verba: *pro mundi vita* (*ὑπὲρ τῆς τ. κόσμου ζωῆς*) ea postulant, ita, ut *sive sint genuina, sive non, tamen subintelligi debeant.* — Ad verba: *quam ego dabo* (*δώσω*) mente supplendum: *in mortem* (cf. 3, 16.). — *Pro mundi vita* i. e. mundi salutis causa, seu ut mundus, genus humanum habeat vitam gratiae (spiritualem) et gloriae aeternam unacum corporis beatitudine (Mald.). Graecum *ὑπὲρ τίνος* est: in commodum aliquis. — Ex hisce verbis vero simul licet colligere, falsam esse hujus loci explicationem eorum (Pauli Heidelberg.), qui verba haec ita explicant: cibus, quo genus humanum nutriam, *est vita mea terrestris*, saluti hominum consecrata; quin dicamus, ei *obstare usum loquendi* biblicum, quum vox *σάρξ* nunquam vitam hominis terrestrem denotat, sed h. l. uti adposita docent, *corpus et quidem vivum.* Porro ipsa orationis forma obstat illi explicationi, quum particula vero (*δέ*) in *δὲ ἀρτος δέ* innuit, nunc addi aliquid a praecedentibus, ubi se universim cibum spiritualem nominavit, aliquo modo diversi (novi), dum nunc loquitur de pane (cibo), quem *ipse daturus est*, et dum nunc

<sup>1)</sup> Mald., a Lap.

adhibet tempus futurum (*dabo*, *δώσω*), tanquam de nondum facta, sed de faciendo loquens, quum prius usus est tempore praeterito. — Verba haec sunt itaque sensu proprio intelligenda, attamen non de traditione vitae corporis in mortem, uti nonnulli acatholici (Kuinoel) ea intelligunt, ita ut sensus esset: medium salutis vero, quod humano generi praebeo, erit mors mea, vitae spiritualis quasi cibus erit, quo per fidem in me perfruentur; huic enim explicationi obstant statim sequentia (v. 53—56.), in quibus nullus est hujus traditionis in mortem nutus; obstat ei porro et ipsa structura versus 52. Sed cum antiquis ecclesiae Patribus et interpretibus<sup>1)</sup> tenendum est, Christum hic promissionem dedisse illius sacramenti, quod in ultima ante passionem coena instituit, scil. eucharistiae. — Explicationi huic non potest objici, quod juxta eam Christus in verbis: panis vero (*ό ἀρτος δέ*) voci panis significationem prorsus aliam tribuat, quam prius; de quo, si fecisset, auditores, ut eum intelligere possent, monere debuisse, quod autem non fecit. — Id perperam supponitur, nam Christus prius se universim consideratum, ergo etiam implicite corpus suum, nominavit panem; nunc vero speciatim et explicite corpus suum nominat panem; qui fruuntur corpore Christi tanquam cibo in eucharistia, et quidem eo modo, quo oportet, fruuntur etiam Christo simul ea ratione, qua prius se panem dixerat. — Tandem ipsum futurum: (*δώσω*), et quod v. 50. et 51., licet adhuc se universim panem appellaret (*ego sum panis vivus*), et nondum adhibens vocem: caro (*σάρξ*), tamen jam verbum manducare (*φάγειν*) adhibuerit, docent, Christum versibus his jam praeparare ad illud voluisse, quod dixit ad finem v. 58. (v. 57. juxta textum graecum): et qui manducat me, et ipse vivet propter me (*καὶ οἱ τρώγων . . δι ζει*). Catholicae interpretationi suffragatur conditionis auctoris, verba haec Christi adferentis. Quum nimirum s. Joannes suum evangelium scripsit, christiani sacram coenam tanquam ab ipso Christo Domino institutum mysterium celebrare jam solebant. Rei hujus testis est s. Paulus in prima ad Corinthios epistola (c. 11.), ita ut alios nominare non opus sit. Jam vero haud poterat s. Joannem, tum ob ipsam verborum

<sup>1)</sup> Cyrill. Alex., Chrys., Athanas., Cyrill. Hieros., Hilario, August., Ambros., Hieron., Orig., Basil., Thoma, Mald., a Lap. aliisque.

formam, tum ob*g*adjuncta, in quibus vixerat, latere, evangelii ejus lectores, verba ista legentes, haud de alia re cogitare posse, quam de promissa in illis sacra coena. Quodsi itaque Christus, quae hic dicebat, non cogitasset de s. coena promittenda, et Joannes apostolus verba haec Christi non isto, sed alio quodam modo, v. c. de sola morte Christi intelligenda esse censuisset, certe non omisisset adnotare, quidnam Christus verbis istis edicere voluerit; nam id ipse frequenter consuevit facere alias, ubi verba Christi lectoribus ambigua videri posse credebat, nimirum addendo ad verba Domini annotationem, qua praecavere conatur, ne illa male accipientur a lectoribus (cf. 2, 19. 20; 6, 72.).<sup>1)</sup> — Si tandem s. Joannes in suo evangelio et speciatim in historia ultimae coenae non commemorat institutionem sacrae coenae, inde haud recte inferri potest, eum h. l. non proponere illius coenae promissionem. Non enim narrat institutionem eucharistiae, quia haec christianis jam notissima erat, tum ex evangelii prioribus, tum ex*p*raedicatione apostolorum (traditione ecclesiae). Ceterum versus 52. in Vulgata, in textu graeco adhuc pertinet ad v. 51.; quapropter ab hoc versu incipit diversus versus numerandi modus in Vulgata et in textu graeco.

V. 53. (52. in graeco). *Litigabant* i. e. contendebant inter se, nimirum auditis verbis Christi, dum alii sermonem Christi admittebant, rati, fore ut serius promissione impleta plene intelligent verba illa, plurimi vero sermonem illum spernebant, utpote impossibile quid dicentem (Massl). — Ceterum ipsa haec verba Iudeorum docent, eos verba Christi ita accepisse, ut de carne ejus manducanda cogitarint. — *Quomodo*; vox haec est signum incredulitatis<sup>2)</sup>. — *Hic*, contemptum spirat. — *Potest*; verba enim Christi nimis crasse accipiebant, putantes, eum corporis sui membra in frusta concisa porrecturum esse;<sup>3)</sup> quod tanto minus intelligere poterant, quum comestio sanguinis a Mose severe interdicta esset (Lev. 17, 10. Deut. 12, 16. 24; 15, 23.).

V. 54. et 55. (53. et 54.). *Id ipsum*, quo Judaei offensi fuerant, graviter affirmat Jesus his versibus; primo quidem ne-

<sup>1)</sup> Cf. Massl.

<sup>2)</sup> Cyril., Chrysost.

<sup>3)</sup> Cyprian., Cyril., Beda, Calmet.

gative, dein affirmative expressum. Imo carnem suam vere esse cibum et sanguinem suum vere esse potum asseverat (non mutans, aut mitigans dictum suum, uti supra v. 43—48. relate ad praegressa v. 41. et 42. non fecerat). — Non indicat quidem modum, quo corpore ejus vere frui possint tanquam cibo homines, hoc serius patefaciendum sibi reliquit, postulans interea sibi fidem eam, qua crederent, eum hoc efficere posse, et spem, qua eum hoc effecturum esse exspectarent. Sic agens eos, qui in ipsum credebant, et quamquam dictum hoc nondum penitus penetrabant, tamen ei non renitebantur, in fide exercere et firmare vult, renitentium vero animos gravi vocis amén repetitione vult percellere et attentiores reddere. — Porro, si s. Joannes haec dicta Christi proponens, non cogitasset, esse hic sermonem de eadem re, quam Christus in s. coena egerat, certe hoc loco paeprimis annotasset, alio modo esse intelligenda verba Christi, quia non potuit nescire, lectores omnes propter summam congruentiam, porro ob nexus etiam rationem accepturos hoc esse de data a Christo promissione instituendae s. coenae, et quidem eo magis, quum Christus carnem suam vere cibum et sanguinem suum vere potum esse dixit. — Sensus utriusque versus est: Offendit vos, quod dixi, daturum me esse panem, qui caro mea est (quam dabo in mortem pro mundi salute); profecto affirmo vobis, non tantum verum est, quod a me audiistis, sed necessarium etiam est cuvis hoc cibo vesci; etenim nisi manducaveritis carnem meam et biberitis meum sanguinem, vita tum spirituali (gratiae), tum aeternum beata (gloriae) destituti manebitis. Ille tantum, qui mea carne et sanguine meo fruitur (digno modo, bene dispositus), fruitione illa mecum intime conjunctus, habet in se vitam veram, spiritualem, et ego eum tempore judicii restituto ipsi quoque corpore ad beatam vocabo vitam. — Dicit se hic filium hominis, quia natura ipsius humana est medium, quo ejus cum hominibus et hominum cum ipso conjunctio perficitur. —

V. 56. (55.) Verbis his indicat Christus rationem, ob quam carne et sanguine ejus frui possibile sit futurum; et sensus est: Et poterunt hoc cibo atque potu frui mei sectatores; nam caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. *Vere* (*ἀληθῶς*) i. e. proprie, non figurate aut symbolice. Alia

leetio graeca est: ἀληθής verus (scil. cibus); in substantia nullum est discrimen. Vocatur Christi caro verus cibus et sanguis ejus verus potus, quia vere animos nutrit et vitam aeternam illis praebet, nimirum vitam spiritualem augendo et conservando vitamque aeternam beatam comparando (cf. v. 50., Catechism. Rom. p. 2. c. n.). Nota. E verbis Christi (v. 54. seu 53. juxta text. graec.) notatis, minime consequitur, christianis communionem sub utraque specie ad salutem necessariam esse. Nam particula et (*καὶ*) in s. literis saepe adhibetur ita, ut apte reddi possit per: aut. Sic Moses (Exod. 21, 15.): „Qui percussit patrem et matrem, morte moriatur“. Ita et h. l. Expositio haec, qua non utriusque speciei fruitionem simul necessariam, sed unius etiam sufficere affirmamus, confirmatur testimonio apostoli Pauli (1 Cor. 11, 27.), qui in simili nexu habet vel (*ἢ*): Itaque, quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini. Etiam concilium Tridentinum eandem explicationem tuetur (sess. 21. c. 1., probans eam cap. 2. et 1.).

57. (56.). Versu hoc ostendit, cur dixerit, vitae aeternae participem fieri hominem, qui carne et sanguine ejus digno modo fruatur (Mald.). — Manet (*μένετ*) i. e. intime mecum conjungitur, et quidem non, uti extra sacramentum per fidem et charitatem, sed realiter et substantialiter, (cum caro ipsius carni nostrae miscetur), quamdui species sacramentales panis et vini in nobis manent, ita ut unum quid efficiamur; quapropter s. Cyrillus Hieros. similitudine a cera liquefacta repetita, asseverat, nos in s. communione fieri cum Christo concorporeos et consangues. Mutatis vero speciebus residet virtus corporis Christi, quatenus ex praevia Christi nobiscum unionefit, ut vita animae spiritualis per gratiam alatur, roboretur et conservetur in aeternum; corpori etiam quasi semen quoddam immortalitatis infertur<sup>1)</sup>.

V. 58. (57.). Versu hoc continuatur argumentum versus praegresso propositum. Apodosis incipit a verbis: et qui manducat me (*καὶ ὁ τρώγων*), et subintelligitur: ita (*ὅντως*), quod voci: sicut (*καθὼς*) respondet. — *Vivens* i. e. qui vitam in se habet eamque aliis dat. — *Misit*, nimirum in mundum ad salu-

<sup>1)</sup> A Lap., Calm.

tem hominum. — *Et ego vivo* i. e. et ego vitam in me habeo eamque aliis do. — *Propter Patrem*; graece est: διὰ πατέρα. Praepositio διὰ cum accusativo plerumque significat propter, sed nonnunquam etiam per<sup>1)</sup>). Hic loci non potest verti: propter Patrem i. e. ad gloriam Patris, quia huic obstat, uti Maldonatus recte observat, sequens membrum: et ipse vivet διὰ ἐμέ, quod non potest verti: propter me i. e. propter gloriam meam, quum hic non causa finalis, sed efficiens (causa, per quam aliquid fit) significatur. Quapropter cum plerisque Patribus et optimis interpretibus<sup>2)</sup> vertendum est: per Patrem, quatenus Pater me gignendo, communicat mihi suam divinitatem, quae per essentiam vita est (a Lap.). — Et (ζαὶ) i. e. ita etiam. — *Manducat me* i. e. carnem meam. — *Vivet propter me* i. e. vivet per me i. e. veram habebit vitam, utpote tecum, qui pariter ut Pater sum fons vitae (cf. 5, 21. 26.), intime conjunctus (cf. Ad. Maier).

V. 59. (58.). Nunc graviter colligit Christus cuncta, quae dixerat in orationis suae conclusione, in unum. Verbis versus 58. (57.): qui manducat me, iterum substituit nunc: qui manducat hunc panem. Reliqua vid. v.49. —

V. 60. (59.). *In synagoga* i. e. non seorsim, sed in loco publico.

## 5) Colloquium Christi cum discipulis (61—72.)

V. 61. (60.). *Ex discipulis*. Discipuli hic sunt illi, qui praeter 12 apostolos frequentius Christum sequebantur, ergo sectatores ejus, discipuli sensu latiori (cf. Matth. 5, 1.); versu 68. (67.) discernuntur ab eis duodecim apostoli. — *Audientes* i. e. qui alias lubenter eum audierunt. — *Durus hic sermo; non obscurus* est sermo (quis potest eum intelligere); sed: molestus, incredibilis, horribilis; nam v. 62. (61.) Christus eos arguit, non quod non intelligent dicta ejus, sed quod offendantur verbis ejus (Mald.). — *Quis potest eum audire* i. e. quis potest hanc ejus de carne et sanguine doctrinam (v. 52—58.) sine offensione et indignatione audire? — Hoc enim est intelligendum

<sup>1)</sup> Cf. Beelen gramm. 428.

<sup>2)</sup> Mald., a Lap., Calm. aliisque.

per sermonem (*λόγον*); non vero, quod se, praestantiorē manna illo dixerit, aut coelestem originem sibi adscriperit, aut quod verbis illis (v. 52—58.), quae de morte Christi intelligebant, offendarentur, quum id ipsorum de Messia opinionibus contrarium esset; nam omnibus hisce interpretationibus praeter alia ipsa materia substrata adversatur. — Sic homines illi verba Christi crasse sumebant (cf. v. 53.).

V. 62. (61.) *Apud semetipsum* i. e. a se ipso, sine alio nuntiante, nimirum causam murmurationis. — Ex hoc loco recte Patres (Chrys., Cyrill.) probant Christi divinitatem (Mald.). — *Murmurarent*, scil. cum indignatione. — *De hoc* i. e. propter illum sermonem (v. 61. indicatum.) — *Hoc* i. e. ille sermo (v. 61. indicatus) — *Scandalizat* i. e. offendit.

V. 63. (62). *Videritis* i. e. cognoveritis; nam ad quos Christus h. l. loquitur, non ipsi viderant Christum in coelum redeuntem (solum apostoli). — *Ascendentem* i. e. redeuntem in coelum. — Praedicit h. l. Christus suum visibilem ad Deum Patrem redditum, qui serius factus narratur (Luc. 24, 51. act. 1, 9. Maric. 16, 19.). — *Ubi erat prius*, nimirum ante suam incarnationem. — Est elliptice dictum et subintelligenda est apodosis: *quid dicetis* (*τι έρειτε*). — *Sensus* (servata interrogationis forma) est: Haec dicta ita vos offendunt: num itaque etiam vos offendent, dum cognoveritis, me quoad corpus meum quoque ex hac terra in coelum ascendisse; nonne tunc cognoscetis, corpus meum vere posse cibum esse, meque vera dixisse de carnis sanguinisque mei fruitione.

V. 64. (63.). Datur duplex loci hujus interpretatio ex parte catholicorum. Nonnulli juxta Cyrillum voces spiritus et caro sensu proprio de Christi spiritu, divinitati unito, ejusque carne intelligentes, primam hujus loci partem ita explicant: Caro mea sola (a spiritu et divinitate mea separata) non prodest ad dannam promissam vitam; sed spiritus meus, divinitati unitus, qui ista carnis fruitione suscipitur, est, qui vitam illam confert<sup>1)</sup>. Verba sequentia: *Verba, quae ego locutus sum, spiritus et vita sunt*, ita exponunt: verba mea non sunt intelligenda de sola carne, sed de spiritu vivificante. — Alii contra vocem caro (*σάρξ*),

<sup>1)</sup> Mald., Ad. Maier.

quia hic non adest pronomen me a (*μοῦ*), aut filii hominis, et opponitur spiritui (*πνεύματι*), explicant de conditione hominis carnali (sensuali), quatenus indole carnali crassoque de verborum Christi sensu judicandi modo se prodit, uti praesentes Iudei judicabant, qui verba Christi crasse de carne corporis scindenda et manducanda accipiebant. Vocem spiritus autem explicant de conditione hominis perfectiori, spirituali, quatenus perfectiori judicandi modo se manifestat. Simile est in altera ad Corinthios epistola (3, 6.): litera occidit, spiritus autem vivificat, i. e. nil prodest, imo nocet crasse judicare de scripturarum s. sensu; perfectior (spiritualis) intelligentia, quae interiorum penetrat sensum, salutaris est. Juxta hanc explicationem sensus est: Carnalis, crassa, intelligentia dicti mei, qua vos putatis, carnem meam instar carnis ovilis visibiliter scindendam et manducandam esse, non prodest quidquam ad conferendam vitam, sed spiritualis intelligentia, qua carnem meam divinitati unitam, sacramentali (mystico) modo tanquam cibum manducandam esse, credere vos oportet, haec dat vitam<sup>1</sup>). Etiam s. Augustinus consentit, si attente legatur, quod in ps. 98. dicit: „Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.“ — Et verba: verba, quae spiritus et vita sunt, exponunt: verba, quae locutus sum de carne manducanda, sunt spiritualia, sublimiora, et ideo (non sensuali, sed) spirituali sensu intelligenda; et si ita intelliguntur, vitam manducanti conseruent (a Lap.). — Utraque explicatio est vera, attamen altera praferenda est ob modo dicta. —

V. 65. (64.). Aperit nunc Christus ipse causam, cur ita crasse verba ipsius accipientes, eum repudient. — Sensus verborum: *Sed sunt quidam, qui non credunt:* Causa, cur quidam ex vobis dicta mea non intelligent et ut intolerabilia aversentur, non est, quod meus sermo sit incredibilis in se, sed quia increduli estis, et tot meis miraculis visis in me credere non vultis (a Lap.). — *Sciebat enim . . .;* sunt verba evangelistae, parenthe-

<sup>1</sup>) A Lap., Chrys., Beda, Theophyl., Euthym., Calm.

tice illustrationis causa addita. — *Ab initio*, nimirum conversationis cum suis discipulis (Chrys.). — *Non credentes* i. e. non credituri in eum. — *Et quis traditurus esset eum*. Hisce innuit Joannes, Judam traditorem fuisse unum e non credentibus (cf. a Lap.).

V. 66. (65.). *Propterea* i. e. quia talis est indoles vestra. — *Datum a Patre*. Dare h. l. idem est, quod v. 44. trahere; vid. ibi dicta.

V. 67. (66.). *Ex hoc* (*ἐκ τούτου* scil. *χρόνου*) scil. tempore (Euthym.). — *Abierunt retro* i. e. reliquerunt Jesum. — *Discipulorum* i. e. sectatorum. — *Jam non* i. e. non amplius. — *Ambulabant*, uti nimirum solebant.

V. 68. (67.) *Ad duodecim* scil. apostolos. — *Numquid et vos vultis abire* i. e. num etiam vos, utpote quibus graviora fidei motiva oblata erant, quam aliis, me deserere vultis? — In voce: vos est emphasis. — Interrogat vero eos ideo, ut ostenderet, se nolle habere discipulos, nisi volentes, nec se egere eorum ope (cf. a Lap.).

V. 69. (68.). *Petrus*, scil. omnium apostolorum nomine. — *Ibimus*, nimirum te relicto. — *Verba vitae aeternae habes*, i. e. verba tua, qui fons es vitae, si, uti oportet, intelligantur, et opere expleantur, vitam conferunt aeternam. (Calm.). Genitivus *ζωῆς αἰώνιος* est genitivus effectus. — Alludit ad ea, quae Jesus prius (v. 64.) dixerat: verba, quae ego locutus sum, spiritus et vita sunt.

V. 70. (69.). *Credidimus et cognovimus* i. e. credimus et scimus. Cf. 45. — *Christus Filius Dei vivi*. Videsis 1, 49. — *Sed loco* hujus lectionis plures codices habent: tu es sanctus Dei (*θεὸς τοῦ θεοῦ*) i. e. Messias. Nam voce: *Sanctus Dei* designabantur illi, qui Deo consecrati erant, quorum ministerio praeprimis utebatur Deus; hinc praecipue doctores et interpretes voluntatis divinae, inde *Messias*, interpres voluntatis divinae omnium excellentissimus ita dicebatur. (Cf. Marc. 1, 24.). — Alii iterum codices, qui priorem lectionem exhibent, omittunt vocem: *vivi* (*τοῦ ζῶντος*), sensu non diverso.

V. 71. (70.). In versu hoc alii interpretes interrogationis signum ponunt in fine; alii post verbum: *elegi* (*ἐξελεξάμην*). Si prius sit, tunc particula et (*καὶ*) denotat: et tamen (et vel); si

alterum: etiam; sensu eodem manente. — *Duodecim elegi*, scil. in apostolos. — *Diabolus est i. e. filius diaboli*, est, seu: qui in se refert indolem diaboli, seu similis est diabolo, ergo pessimus (Cf. Matth. 13, 38. act. 13, 10.). Notio nimirum filii apud Hebraeos similitudinem exprimit (cf. Matth. 5, 9.). — Diabolus a graeco διάβολος (a διαβάλλω defero) est delator in judicio, dein calumniator (2 Tim. 3, 3.), dein ita dicitur princeps spirituum malorum.

Sensus est: Tu o Petre, nomine omnium apostolorum respondes, quasi omnes in me credant, mihi quis sint fideles amici; sed scito te falli; nam unus ex eis indolem in se referens diaboli mihi incredulus et infidus est, qui me prodet<sup>1)</sup>. —

V. 72. (71.). *Dicebat* i. e. notabat seu innuebat his verbis. — Sunt verba evangelistae, verba Christi explicantis. — *Simonis* scil. filium. — *Iscariotem* (Ισχαριώτου). Vox Iscariotes (docente jam s. Chrysostomo) derivatur ab hebr. שִׁירֵי vir, et שִׁירְיָה Cariothensis, seu e civitate Carioth (Jos. 17, 28. Jer. 48, 41. Amos. 2, 2.) oriundus, quae in tribu Juda sita erat<sup>2)</sup>.

## Caput VII.

Post concionem superiori capite recitatam habitamque brevi ante paschatis festum (quod coll. 6, 4. et 5, 1. tertium erat) in synagoga Capharnaumi, Jesus Capharnaumo egressus, iterum Galilaeam peragrare instituit, quin perrexerit Hierosolymam ad paschatis festum celebrandum; imo profectus est in regiones Tyri et Sidonis (coll. Marc. 7, 24. 31.), atque in Galilaea commoratus ultra annum cum dimidio, vitans Hierosolymam. In hoc jam temporis spatium incident, quae referunt Marcus (7, 1—9, 49.) et Lucas (c. 9—10, 42.)<sup>3)</sup>. — Elapso hoc temporis spatio horabantur eum consanguinei, qui in eum tanquam Messiam non credebant, ut Hierosolymam proficiscatur ad festum tabernaculorum (v. 2 — 10.), sed desiderio eorum non vult satisfacere, quia innixum esset erroneis judaicis de Messia

<sup>1)</sup> Theophyl., a Lap.

<sup>2)</sup> Jos. Flav. 15, 25.

<sup>3)</sup> Cf. Calmet, Bucher.

opinionibus; postea circa medium festi ivit Hierosolymam. Sermones, quos Christus ibi habuit, probant veritatem ab evangelista in prologo prolatam; erat Verbum ( $\lambda\delta\gammaος$ ) lux hominum (1, 4.); et: „lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehendunt“ (1, 5.); „in propria venit, et sui eum non receperunt“ (1, 11.). — Et dum (v. 37.) Christus simul dicit: Si quis sitit, veniat ad me et bibat, — docet, se esse verum potum generis humani, seu largitorem vitae, ceu qualem evangelista eum proponit (Bucher).

### **1) Ratio, cur Jesus ad tertium paschatis festum celebrandum Hierosolymam non ascenderit (v. 1.).**

V. 1. *Post haec* i. e. post concionem superiori capite etc. ut supra. — *In Galilaeam* i. e. in Galilaea ( $\epsilon\nu Γαλ.$ ). *In Iudeam* i. e. in Iudea et Hierosolymae. — *Interfiscere*, nimurum eo quod juxta opinionem eorum sabbatum violaret, quum ea die paralyticum sanatum lectum tollere jussisset, et in concione anno praegresso Hierosolymae habita Patrem suum diceret esse Deum et consequenter se esse Deum (cf. 5, 16—18.<sup>1</sup>).

### **2) Christum hortantur consanguinei, ut ad festum tabernaculorum Hierosolymam perget (2—10.).**

V. 2. *Dies festus* i. e. festum; non enim erat unus dies, sed durabat per septem continuos dies; quorum primus et septimus erant solemnes<sup>2</sup>). — *Scenopegia* ( $\sigma\chiηνοπηγία$  a  $\sigma\chiηνοπηγέω$  tabernaculum figo) i. e. festum tabernaculorum. Agebatur hoc festum quotannis inde a 15. die usque ad 22. diem mensis Tisri (Octobris), partim in memoriam habitationis Israëlitarum sub tentoriis in itineribus per desertum Arabiae faciendis (Lev. 23, 40. Deut. 16, 13.), partim in grati animi documentum pro frugum collectione (Exod. 23, 16.). Hocce festo, uti festis paschatis et pentecostes omnes mares Hierosolymam proficisci jubebantur (Exod. 23, 16. Lev. 23, 34.).

V. 3. *Fratres* i. e. consanguinei (cf. 2, 12.). —

<sup>1</sup>) A Lap.

<sup>2</sup>) Cf. Jansen., Kirchenlex. von Welte und Wetzer.

Cognati hi Christi, qui in eum ut Messiam nondum crediderunt, etiam erant repleti falsa Judaeorum opinione de Messia tanquam rege terreno, ideoque vehementer desiderabant, ut Christus, si revera esset Messias, qualem ipse se profitebatur, tandem regnum suum terrenum condat, ut eo per miracula et famam inclarescente, ipsi quoque, micante ejus gloria, ut ejus proximi cognati inclarescerent et a populo honorarentur. Quapropter aegre ferebant, quod in Galilaea obscure delitesceret, ideoque admonuerunt eum, ut secum iret in Judaeam Hierosolymamque, et similibus miraculis nominis famam existimationemque omnium hominum sibi compararet<sup>1)</sup>. — *Hinc* i. e. ex Galilaea, ubi obscurus delitescis. — *In Judaeam*, et simul Hierosolymam. — *Discipuli tui* i. e. sectatores tui, quos nimirum tibi ibi (in Judaea et Hierosolymae) conciliasti. — *Opera* i. e. miracula similia. — *Quae facis*, scil. in Galilaea; et ita in fide tua confirmentur teque ut Messiam recipient.

V. 4. *Nemo in occulto quid facit, et quaerit palam esse.*  
 Verba haec sunt inverso ordine collocata, sensusque est: Nemo enim, qui publice innotescere vult, in occulto aliquid facit praeclarum; ergo (ei concludendum relinquunt) nec tibi, qui a populo judaico ut Messias agnisci vis, in occulto, in Galilaeae obscuris oppidis versandum est, sed Hierosolyma, caput totius provinciae (Palaestinae) adeunda est, ad quam instantis festi causa undique Judaei confluunt. — Graecum: ἐν πάρογησίᾳ, quum opponitur verbis: ἐν κρυπτῷ (in occulto), est: publice, in conspectu omnium; hinc: ἐν παρόγησίᾳ εἴναι notat: in conspectu omnium versari, ergo innotescere, inclarescere. — *Quid* i. e. aliquid praeclarum. — *Quaerit* i. e. vult, cupit. — *Si haec facis* i. e. quum tanta et talia signa et prodigia facias in Galilaea. Sciebant enim, eum miracula patrasse; hinc particula si (*εἰ*) h. l. id valet ac: quum (cf. Matth. 4, 3. *εἰ νίδις τ. θεοῦ*). — *Manifesta te mundo* i. e. Hierosolymam profectus universae genti judaicae in festo congregatae, miraculis promissum Messiam te declara (Ad. Maier). — *Mundus* h. l. universa gens judaica.

V. 5. *Neque fratres ejus credebant in eum* i. e. non satis firmam, perfectam fidem habebant in eum.

<sup>1)</sup> A Lap., Calm.

V. 6. *Tempus meum* i. e. tempus mihi opportunum, proficiendi nimirum Hierosolymam meque manifestandi (non vero tempus mortis meae, cui explicacioni obstant statim sequentia). A Lap. — *Tempus vestrum*, scil. proficiendi Hierosolymam. *Semper est paratum* i. e. semper est opportunum, utpote quum vobis nil ibi periculi immineat (Jans.).

V. 7. *Mundus* i. e. homines perversi, mundo dediti, rebus terrenis inhiantes et divina non sapientes (cf. 1, 10.). Hic praeprimis intelliguntur Judaei. — *Vos*, quia nimirum quoad cogitandi, sentiendi et agendi rationem eis similes estis, eis non contradicitis et resistitis (ut ego). — *Quia testimonium perhibeo de illo* i. e. quia aperte et publice dico. Veritas enim odium parit. —

V. 8. *Vos*, quibus scil. nil periculi imminet. — *Ascendite* i. e. ite Hierosolymam. — Cur dicit: *ascendite*, Videsis dicta 2, 13. — *Non ascendo* i. e. nondum eo (quo non dicit, se postea non iturum esse; nam graecum *οὐχ*, ut saepius, etiam h. l. possum est pro *οὐπω* (nondum).<sup>1)</sup> — *Meum tempus* i. e. tempus mihi opportunum. — *Nondum impletum est* i. e. nondum advenit (coll. v. 6.).

V. 9. *Mansit*, nimirum aliquamdiu.

V. 10. *Tunc*, scil. post tres dies. — *Ipse ascendit*, quam videlicet furor synedrorum initio festi eum exspectantium exardescens, jam sensim per tot dies deserbuisset, ut minore cum periculo venire posset.<sup>2)</sup> — *Non manifeste* i. e. sine populi comitatu. — *Quasi in occulto* i. e. seorsum, solummodo paucis cum comitibus, (inter quos, coll. Luc. 9, 54. erant Jacobus et Joannes.).

### 3) **Judeorum de Christo disceptantium iudicia (11—13.).**

V. 11. *Iudei* i. e. synedri. — *Quaerebant eum*, nimirum putantes, eum esse in advenarum multitudine, et quidem ideo, ut eum apprehenderent et interficerent (Calm.). — *Dicebant*, ubi est ille; putabant verosimiliter, eum iterum non esse venturum ad festum celebrandum, uti prius ad festum paschatis non vene-

<sup>1)</sup> Cf. a Lap., Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Jans., a Lap.

rat. — *Ille est vox contemptus, quasi ille impostor, populi seductor<sup>1)</sup>.*

V. 12. *Murmur multum* i. e. multa mūssitatio, variae nimis variorum sententiae erant. — *In turba* i. e. in populo, cui mirum videbatur, quod non venerat ad festa. — *Quidam*, qui nimirum proni erant ad fidem in eum velut Messiam habendam. — *Bonus esti.* e. eum loqui et agere ex interna persuasione, seu quod sit legatus Dei (Ad. Maier.); ergo id ac: doctor, propheta. — *Alii*, qui scil. cum adversariis ejus, sacerdotibus et pharisaeis, faciebant. — *Non* i. e. negabant illud. — *Sed seducit turbas* i. e. eum impostorem et populi seductorem nominabant (Calm.).

V. 13. *Nemo tamen* scil. eorum, qui pro Jesu stabant et bene de eo loquebantur. — *Palam* ( $\pi\alpha\delta\rho\gamma\sigma\tau\alpha$  i. e.  $\grave{\epsilon}\nu \pi\alpha\delta\rho\gamma\sigma\tau\alpha$  ut v. 4.) i. e. libere ac publice. — *De illo* i. e. pro illo, seu in ejus commodum ( $\pi\varepsilon\rho\grave{\iota}$  h. l. id ac:  $\acute{\nu}\pi\varepsilon\rho$ ).

#### **4) Sermones Christi in templo post initium festi 14—36.).**

V. 14. *Die festo mediante* i. e. cum festi esset medium, seu quarto festivitatis die. — *Ascendit Jesus in templum*, nimirum publice, quam nemo adventum ejus ibi exspectaret. In templum ( $\varepsilon\iota\zeta \tau\delta \acute{\iota}\rho\sigma\nu$ ), non in templum stricte tale ( $\tau\delta\nu \nu\alpha\delta\nu$ ), nam in id solum sacerdotibus aditus patebat, nec cuiquam alii ibi docere licebat, sed in synagogam quandam, quae prope atrium in monte templi aderat (cf. Luc. 2, 46.). Designabatur vero voce  $\tau\delta \acute{\iota}\rho\sigma\nu$  totum templum, i. e. tum  $\nu\alpha\delta\zeta$  (sanctum et sanctissimum), tum omnia reliqua aedificia templi extrinsecus exstructa. — *Docebatur*, nimirum populum ibi congregatum et cum gaudio ipsum audientem.

V. 15. *Judaei* i. e. synedri, ejus inimici, qui mox accesserant ad eum audiendum. — *Mirabantur*, nimirum indignantes, partim quod munus doctoris sibi arrogaret, partim quae et quomodo docebat. — *Quomodo hic literas scit* i. e. unde huic scripturae scientia et interpretatio? — Nam graeca vox  $\gamma\rho\acute{\alpha}\mu\acute{\alpha}\tau\alpha$  sine articulo est eruditio generatim, h. l. praecipue eruditio judaica, quae imprimis scripturae s. cognitione et inter-

1) Chrys., a Lap.

*pretatione nitebatur<sup>1)</sup>.* — *Cum non didicerit* i. e. cum scholas magistrorum nostrorum non frequentarit. — Volunt ergo adversarii Christum ut doctorem populo suspectum reddere, ne ei fidem haberet, quasi falsam doceret doctrinam.

V. 16. *Mea doctrina non est mea* i. e. mea doctrina non est a me, ut homine inventa, seu ejus fons (auctor) non sum ego, ut homo. — *Sed ejus, qui misit me* i. e. sed Dei Patris, seu a Patre profecta est, a quo, uti essentiam, ita et doctrinam accepi; seu fons (auctor) ejus est Deus Pater (Mald.). Cf. 5, 35. —

V. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere* i. e. si quis ad Dei Patris pracepta servanda promptus paratusque est. — *Cognoscit de doctrina* i. e. ille ex consensu doctrinae meae cum voluntate Dei statim cognoscet. — *Utrum ex Deo sit* i. e. num habeat Deum auctorem. — *An ego a me ipso loquor* i. e. an sit a me ut homine inventa, seu an ejus auctor sim ego, ut homo. — Hisce probat, doctrinam suam esse divinae originis, provocans ad (spiritualem) experientiam cujuscumque, qui Dei voluntati obsequi velit.

V. 18. Alteram affert rationem, qua probat, doctrinam ejus esse divinam. Argumentatio haec est: Qui suae doctrinae est auctor et inventor, gloriam suam quaerit (uti falsi prophetae); ego vero non quaero gloriam meam, sed Patris, ergo (immediate dicendum erat): non a me ipso loquor, seu doctrinae meae auctor non sum ego, ut homo; sed Christus dicit: hic verax est, nimirum, dum dicit, se esse Dei legatum ipsiusque doctrinae auctorem esse Deum. — *Et injustitia in illo non est* i. e. et non est impostor. — Et recte ita dicit. Nam qui non quaerit gloriam suam, sed gloriam Dei, qui eum misit, de hoc supponere licet, eum missum esse a Deo, doctrinaeque, quam profert, auctorem esse Deum, qui eum misit. — *Verax* i. e. fide dignus. — *Injustitia* (*ἀδικία*) ob vocem: verax h. l. idem valet ac mendacium (*ψεῦδος*) i. e. impostura, seu: non est impostor.<sup>2)</sup>

V. 19. Versus hic arcte cohaeret cum v. 17., docetque Christus, Judaeos divinam doctrinae suae originem non posse propria experientia cognoscere, quia non haberent animum promp-

<sup>1)</sup> Rosenmüller, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Jans., Mald., Ad. Maier.

tum, voluntati divinae obsequendi.<sup>1)</sup> — *Legem*, in qua nimirum Deus diserte vetat occidere. — *Facit legem* i. e. servat legem, quum nimirum me innocentem interficere conemini.<sup>2)</sup> — Argumentatio sequens est: Non mirum, si vos experientia vestra divinam doctrinae meae originem non cognoscitis, quum legem, quam Moses vobis dedit, non servetis; nam (coll. v. 20.) me innocentem occidere conamini, quamvis diserte id vetet lex (Exod. 23, 7.).<sup>3)</sup>

V. 20. *Quid me quaeritis interficere.* Verba haec in textu graeco adhuc ad v. 19. pertinent. — *Me*, scil. innocentem. — *Turba dixit*, nimirum mirabunda, quippe quae necem Jesu a synedris parari ignorabat. — *Daemonium habes* i. e. insanis.<sup>4)</sup> *Causa efficiens* nominata pro effectu. — *Quis*, scil. nostrum.

V. 21. Nunc docet Christus, causam istius Iudeorum odii fuisse sanationem paralytici sabbato tempore paschatis anni praegressi (cf. 5, 1.). — *Unum opus feci*, nimirum sanando paralyticum sabbato. — *Et omnes miramini* i. e. et omnes de eo indignamini. — Nam θαυμάζειν h. l. ob v. 23., ubi pro hac voce legitur χολόγνυ succensere, notat succensere, indignari (cf. Kuinoel, Ad. Maier.). — Vox propterea (*διὰ τοῦτο*), quam Vulgata initio versus sequentis habet, juxta Theophylactum, quem alii<sup>5)</sup> sequuntur, jungenda est cum verbo indignamini (*θαυμάζετε*), non vero ad v. 22. trahenda, quia, quum sit causalis, non apparet, cuius rei causam reddit. — Euthymius et Jansenius particulam putant esse illativam: itaque, ergo, hoc sensu: itaque, ut hanc jam indignationem vobis auferam, vosque sciatis, me paralytico sanando sabbatum non violasse, advertite, scil. id, quod vobis dicam. —

V. 22. *Dedit vobis circumcisionem* i. e. mandatum de circumcisione (Lev. 12, 3. die octavo circumcidetur infantulus). — *Non quia ex Mose est* i. e. non quod Moses sit circumcisionis auctor et institutor<sup>6)</sup>. — *Sed ex patribus* i. e. sed a patriarchis Abrahamo, Isaaco et Jacobo, qui eam posteris suis et Mosi tradi-

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Aug., Chrys., Theophyl., Euthym., Maier.

<sup>3)</sup> Cf. a Lap.

<sup>4)</sup> Calm., a Lap., Ad. Maier.

<sup>5)</sup> Ut Mald., Calmet, Ad. Maier, Kuinoel, Rosenmüller.

<sup>6)</sup> Cf. Beelen gramm. 398. 533.

derunt, originem dicit. — Verba: Non quia ex Mose . . sed ex patribus debent per parenthesim legi, locoque correctionis addita sunt, ne circumcisionem Mosi tanquam primo ejus auctori tribuere videretur (Mald.). — *Et in sabbato*, etiam a Mose vobis praecepto. — *Circumciditis hominem*, si videlicet dies octavus nativitatis ejus in sabbatum incideret (Jans.).

V. 23. *Si circumcisionem accipit homo in sabbato* i. e. si sabbato circumcisio, quae ex suo genere servile quoddam opus est (infligendo nimicum vulnus, sanguinem sistendo, circumligando, exuendo et induendo puerum), tanquam sanatio unius membra licita est. — Sententia est Hebraeorum: circumcisione pellit sabbatum,<sup>1)</sup> et: circumcisione est conjuncta cum sanatione; hinc circumcisione atque ejus sanatio pellit sabbatum;<sup>2)</sup> imo juxta eos circumcisione est sanatio a quodam vitio, nam praeputium est vitium in corpore.<sup>3)</sup> — *Ut non solvatur lex Mosis* i. e. ne violetur lex de circumcisione octavo die instituenda (Ad. Maier, Rosenmüller, qui *eva μὴ prohibitive sumunt*); alii: ita ut non, (seu quin) violetur lex de observando sabbato, *eva μὴ ebatice sumentes.*<sup>4)</sup> Utraque explicatio est vera. — *Totum hominem* i. e. toto corpore paralysi dissolutum (Jans.). — Argumentatur Christus a minori ad majus: Si circumcisione tanquam sanatio unius membra hominis, ergo parvum charitatis opus, sabbato licita est, — quanto magis licet, hominem toto corpore aegrum sanare, seu majus charitatis opus praestare. — Similis conclusio juxta Talmudem<sup>5)</sup>: Si circumcisione, quae fit in uno membrorum 248 hominis, pellit sabbatum, quanto magis verum est, conservationem vitae sabbatum pellere.<sup>6)</sup> —

V. 24. *Secundum faciem* i. e. secundum externam speciem, seu secundum ea, quae extrinsecus apparent<sup>7)</sup>. Cf. 8, 15. secundum carnem. — Antiqui interpres verba: secundum faciem exponunt per: secundum acceptiōnēm personarū, secundum earum dignitatēm, praecellentiam etc. (cf. Mald.); sed

<sup>1)</sup> Schabbath fol. 130.

<sup>2)</sup> Tanchuma fol. 9, 6.

<sup>3)</sup> Bammidbar R. XII. fol. 203.

<sup>4)</sup> Jans., Mald.

<sup>5)</sup> Schabbath fol. 130.

<sup>6)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>7)</sup> Kuin., Ad. Maier.

prior explicatio praferenda est. — *Sed justum judicium judecate i. e. sed judecate secundum rei operisque veritatem, accuratius in rem inquirendo legis et agentis mentem respiciendo.* — Conclusionem faciendam ipsis relinquunt, nimirum: et intelligetis, non esse, cur me quis odio prosequatur, aut vitae meae insidias struat.

V. 25. *Dicebant ergo*, convicti nimirum hoc Christi argumento (a Lap.) — *Quidam ex Hierosolymis* i. e. nonnulli e civibus Hierosolymitanis, qui modo advenerant, cum Christus praegressa doceret. — *Nonne hic est, quem quaerunt interficere?* Verba haec, uti sequentia: *et palam loquitur, et nihil ei dicunt etc . . .* sunt verba mirantium. Mirantur vero Hierosolymitani, quod, cum synedri paulo ante Christum ad caedem quaererent, et nunc coram atque inermem habeant libereque loquentem, eosque magis ac magis irritantem, nihil tamen illi faciant, contra illum moveant (Mald.).

V. 26. *Palam*; cf. v. 13. — *Ei dicunt* i. e. ei faciunt, seu contra eum movent<sup>1)</sup>). — *Numquid cognoverunt, quia hic est Christus*, Quum nimirum illa viderent, in eam incidebant cogitationem, synedros Jesum Messiam agnoscisse.

V. 27. *Sed* i. e. non est hoc verisimile, nimirum synedros Jesum Messiam agnoscere. — *Hunc scimus, unde sit* i. e. quia novimus, qua patria, quibus parentibus sit ortus. — *Scit* i. e. sciet (Mald.). — *Unde sit* i. e. qua patria et quibus parentibus sit ortus. — Erat nimirum opinio haec vulgi imperiti, in quam verosimiliter inciderant ex male intellectis scripturae verbis: generationem ejus quis enarrabit (Jes. 53, 8.); et: egressus ejus a diebus aeternitatis (Mich. 5, 2.), quae de divina Christi natura intelligenda sunt. — Huic non obstat, si infra (v. 42.) nonnulli dicunt: Nonne scriptura dicit, quia ex semine David . . ; nam, qui hoc dicunt, diversi esse poterant ab illis, qui nostro versu loquuntur<sup>2)</sup>). Ad. Maier primum: unde ( $\pi\acute{o}\theta\varepsilon\nu$ ) explicat de patria solum; ast nulla est causa, cur ita restrin-gatur.

V. 28. *Clamabat* i. e. alta voce dicebat (cf. 1, 15.). — *Et me scitis* i. e. concedo vobis, vos nosse meum nomen, faciem et

<sup>1)</sup> Mald., Menoch.

<sup>2)</sup> Cf. Mald.

conversationem. — *Unde sim* i. e. qua patria et quibus parentibus ortus. *Et a me ipso non reni* i. e. et tamen origo mea alia est, quam vos scire putatis, sublimior est; non enim mihi ipse legati munus arripui. — *Sed est verus* i. e. verax per eminentiam, seu Deus est. — *Nescitis* i. e. non perfecte nostis, dum me ejus Filium et ipsum meum Patrem esse negatis (a Lap.).

V. 29. *Ego scio eum* i. e. ego utpote Filius ejus naturalis, perfectissimam de Deo scientiam habeo (cf. 3, 11.). Hoc subjecit, ait s. Augustinus, ut ostenderet eis, unde possent scire, quod nesciebant. — *Ab ipso sum*, nimirum ut Filius Dei ex eo natus (cf. 6, 46.). Nonnulli (Ad. Maier) verba: ab ipso sum, explicant per: ab eo missus sum (coelitus), ita ut verba haec idem edicerent, ac statim sequentia: *ipse me misit*, nimirum tanquam legitum in mundum. — Sed explicatio prior praferenda est.

V. 30. *Quaerebant*, nimirum aliqui de civibus Hierosolymitanis, cum quibus Christus disputabat (Mald.). — *Hora illius* i. e. ejus passionis et mortis. — Addit id evangelista explicatio-  
nis causa.

V. 31. *De turba*. Per turbam hic intelligendi sunt advenae (Galilaeae), qui concurrerant ad festum<sup>1)</sup>. — *Christus cum ve-  
nerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit* i. e. Je-  
sus debere esse Messiam; nam majora miraculis, quae Jesus  
faciat, Messias facere non potest (a Lap.).

V. 32. *Pharisaei*. Pharisaei in prima sententia videntur esse alii, quam synedri (Judaei v. 15.) loquentes, nimirum Christo inimiciores. Quum ad eos turbae de Jesu opinio (v. 31.) de-  
lata esset, synedrium magnum permoverebat ad ablegandos publicos satellites, qui commoda occasione Jesum comprehendenderent. Ceterum verba: pharisaei et principes sacerdotum (*ἀρχιερεῖς*) continent periphrasin synedri magni imperfectam, uti legisperiti (*γραμματεῖς*) et principes sacerdotum (cf. Matth. 2, 5.); qui legisperiti dicuntur pharisaei, quia erant ex secta pharisaeorum (Ad. Maier).

V. 33. *Eis*, scil. synedris, iterum praesentibus (coll. v. 35.), non satellitibus (Mald.). — *Adhuc modicum tempus vobiscum sum* i. e. paululum adhuc temporis vobiscum versabor, velitis

<sup>1)</sup> Mald., Calm., Ad. Maier.

nolitis (frustra ad me capiendum festinatis). — *Et*, scil. tunc, tempore a Patre statuto, peracto. — *Vado* i. e. vadam, nimirum sua sponte per mortem. — *Ad eum, qui me misit* i. e. ad Patrem.

V. 34. *Quaeretis me et non invenietis* i. e. post abitum meum ad Patrem veniet tempus, quo intelligetis, me esse Messiam, vosque infidelitate vestra graviter in me peccasse, et tunc ducti poenitentia et dolore, quaeretis et desiderabitis me, ut gratiam et salutem a Deo per me consequeremini, sed sero<sup>1)</sup>. Explicationi huic favet locus 13, 33., obstatque illis, qui verba quaeretis me exponunt per: quaeretis me ad necem. — *Sum*, nimirum semper secundum divinitatem in coelo et brevi ero secundum humanitatem. Utraque notio latet in verbo: sum; quum dicit: sum, indicat suum perpetuum cum Patre nexum, et dum secundum humanam naturam brevi erat ascensurus in coelum, iterum in voce: sum latet futurum: ero<sup>2)</sup>. — *Potestis venire* i. e. poteritis ascendere in coelum ibique me invenire (cf. 13, 33.).

V. 35. *Ad semetipsos* i. e. inter se. — *Quo* i. e. in quem alium oculum orbis terrarum? — Non enim intelligebant Judaei, eum de coelo loqui. — *Numquid in dispersionem gentium* i. e. num ad Judaeos inter gentiles dispersos. — Nam vox graeca δισπορά (dispersio, abstractum positum pro concreto: δισπαρέντες dispersi) adhibetur de Judaeis extra Palaestinam viventibus (cf. Jac. 1, 1; 1 Pet. 1, 4.), et falsa est explicatio illorum qui per dispersionem gentium intelligunt dispersos gentiles<sup>3)</sup>. — *Gentes* (Ἐλληνες) i. e. gentiles. — *Et docturus gentes* i. e. et gentilium fiet doctor? — Indignos Judaei putabant gentiles, quos Messias edoceret.

## 5) Res ultima festi tabernaculorum die gestae (37—53.)

V. 37. *In novissimo die* i. e. octavo, qui septem prioribus adjiciebatur (cf. Lev. 23, 36.)<sup>4)</sup>. *Magno*; ita dicto, quia hoc die, uti primo, ab omni labore abstinebant Judaei. — *Stabat*, nimi-

<sup>1)</sup> Aug., Jans., Calm., Ad. Maier, Massl.

<sup>2)</sup> Cf. Jansen., Pierres.

<sup>3)</sup> Cf. Kuinoel, Ad. Maier, Wilke lex. Beelen gram. 190.

<sup>4)</sup> Cf. Kuinoel, Ad. Maier.

rum in templo. — *Clamabat*; cf. v. 28. — *Si quis sitit*. Orationi Christi sequenti occasionem dedit ritus aquae libationis, quae in festo tabernaculorum usitata erat, et cuius originem rabbini ab antiquis prophetis vel a traditione a monte Sinai repetebant. Solebat nimirum singulis hujus festi diebus post sacrificium matutinum a sacerdote aqua e fonte Siloah in vase aureo hausta et clangentibus tubis et buccinis in atrium allata, super altari effundi, aliis sacerdotibus et populo cantantibus verba Jesaiae (Messiana 12, 3.): *Laeti aquam haurietis e fontibus salutis* (i. e. salvatoris). Quod ad significationem hujus libationis aquae attinet, rabbinis quibusdam erat symbolum pluviae, aliis respectu ad Jesaiae locum, quem Messianum habebant, symbolum doctrinae Salvatoris, aut effusionis Spiritus sancti<sup>1</sup>). — *Sitit*, i. e. vehementer desiderat coelestem veritatem (doctrinam), justitiam et unionem cum Deo (beatitudinem). — De verbo *sitire*, cf. 4, 13. — *Veniat ad me*, tanquam ad fontem aquae vivae (cf. 4, 14; 6, 35. et Matth. 11, 28.). — *Bibat* i. e. a me hauriat coelestem veritatem (doctrinam), justitiam, Spiritum s. cum omnibus donis et gratiis, nimirum in me credendo (uti statim sequitur).

V. 38. *Qui credit in me*, nimirum sicut oportet. — Verba: sicut dicit scriptura pertinent ad sequentia; flumina de ventre ejus fluent, hoc modo: flumina de ventre ejus fluent, sicut dicit scriptura. Quum in nullo s. scripturae loco leguntur haec verba, cum interpretibus antiquis et recentioribus statuendum est, Christum hic omnia V. T. loca respexisse, in quibus sub imagine aquae sermo est de futura Spiritus s. effusione<sup>2</sup>). — *Flumina* sunt imago maxima abundantiae. — *Fluent*, nimirum foras per actus virtutum, sanctas actiones, doctrinas (Massl. a Lap.). — *Aquae*. Per aquam est intelligendus Spiritus s., ejusque gratiae variae (coll. v. 39.). Addit: *vivae*, ad indicandam vim Spiritus s. Cf. 4, 14. — *De ventre ejus*. Venter indicat interiora hominis (cor, mentem, voluntatem)<sup>3</sup>). — *Sensus*: Qui in me credit, abundantissime accipiet Spiritum s., qui non solum intus (in anima) eum reficiet et corroborabit, sed etiam in eo, ut pote in suo templo inhabitans, continuo operabitur omnis gene-

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Ut Jes. 44, 3; 58, 11; Joël 2, 28. Ezech. 36, 25. Cf. Calmet.

<sup>3)</sup> Chrys., Theophyl., Euthym.

ris sanctas actiones et virtutes, imo et ipse erit quasi fons perennis, alios nimirum irrigans ac inundans fluentis virtutum, sanctorum actionum et doctrinarum<sup>1)</sup>.

V. 39. *Hoc dixit de Spiritu s.* Verbis his exponit evangelista verba praegressa. — *Accepturi*, nimirum post Christi glorificationem. — *Spiritus*, scil. sanctus ( $\delta\gamma\tau\omega$  uti in quibusdam codicibus legitur.). — *Datus*, nimirum generi humano in tanta copia, et velut principium vivificans. (In graeco textu et multis Patribus vox: *datus* ( $\delta\epsilon\delta\omega\mu\epsilon\nu\omega$ ) non legitur, sed contextu postulante vox ista, aut participium missus suppleri debet.). — Quaeritur: An ante Christi glorificationem Spiritus s. non fuerit ut principium vivificans generi humano datus? — Quum per peccatum disrupta est originaria Spiritus s. cum genere humano conjunctio, non poterat Spiritus s. in genere humano tanquam principium vivificans esse, donec peccatum per Christi mortem a genere humano ablatum esset; peccato enim ablato homines in Christum credituri, capaces sunt redditii percipiendi Spiritus s. amissi; hinc Spiritus sanctus vitale principium in genere humano tum demum esse poterat, postquam Christus per mortem in coelestem gloriam ingressus fuerat. Nam Spiritus sancti donatio et effusio erat fructus victoriae et glorificationis Christi. Huic vero non obstat, si jam in A. T. in prophetis aliisque sanctis Spiritus s. erat; tunc enim non toti generi humano, sed solummodo singulis, et quidem juxta certam mensuram, et ad tempus, nec tanquam principium vivificans, datus erat.<sup>2)</sup> — *Quia nondum glorificatus fuerat* i. e. quia per suam ob passionem et mortem ipsi obventuram resurrectionem, in coelum ascensionem et ad dexteram Patris exaltationem nondum illam divinam accep-  
rat gloriam, quam ab aeterno apud Patrem habuit.<sup>3)</sup>

V. 40. *Ex turba*, speciatim Galilaei advenae. — *Propheta* i. e. Elias, aut Jeremias. Cf. 1, 21,

V. 41. *Christus* i. e. Messias. — *Quidam*, nimirum cives Hierosolymitani, qui sub influxu phariseorum et legisperitorum in Jesum non credebant. — *Numquid a Galilaea venit Christus;* videsis 1, 46.

<sup>1)</sup> Calmet, a Lap., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Ad. Maier, a Lap., Mald. in Matth. 11, 11.

<sup>3)</sup> Mald., Ad. Maier. Cf. Joan. 12, 23. 28; 13, 31. 32; act. 2, 33.

V. 42. *Scriptura*, nimirum loca Jesaiae (11, 1.), Jeremiae (23, 5.), Michae (5, 1.). — *Ex semine* i. e. ex progenie. — *Ubi erat David*, scil. natus et educatus. — Hisce ergo, uti Philippo (1, 46.) ab initio ignota erat nativitas Jesu Bethlehemi, putantes, Galilaeam, ubi hucusque Dominus degerat, esse locum ejus originis (Mald.). —

V. 44. *Quidam*, nimirum Hierosolymitani, synedris et pharisaeis addicti. — *Sed nemo misit super eum manus*, quia videlicet ob dissidium in populo de eo, neutra pars passura fuisset, ut Jesus captivus abduceretur.

V. 45. *Ministri* i. e. satellites, missi a pharisaeis et sacerdotibus (coll. v. 32.). — *Venerunt* i. e. redibant, nimirum re infecta. — *Ad pontifices et pharisaeos* i. e. ad synedros. — *Illum*, cum contemptu, quasi: illum novatorem, seductorem (a Lap.). — Pharisei h. l. et v. 47. sunt pharisaei synedri.

V. 46. *Sic* i. e. tanta eloquentia, suavitate, efficacia, vi et authoritate. — *Ergo reverentia in Christum causa erat*, ut, licet eum vellent capere, tamen id non facerent.

V. 47. *Responderunt*, nimirum exacerbati. — *Pharisei*, ceteris magis implacabiles Christi hostes. — *Et vos*, qui nimirum nostri estis ministri (Cyrill.). — *Seducti estis*, scil. verborum ejus pulchritudine, ut in eum credatis.

V. 48. *Ex principibus* i. e. synedris. Sensus est: Nos synedri et pharisaei, qui sumus prudentes et erudit*i* in lege, non credimus in Jesum; ergo nec ille est Christus. — Est argumentatio ab authoritate.<sup>1)</sup> — *Pharisei* hic sunt asseclae pharisaeorum (Ad. Maier.).

V. 49. *Quae non novit legem* i. e. quae legis imperita est (in libris rabbinorum per contemtum יְהוָה עַם populus terrae, plebs illiterata vocatur). — *Maledicti sunt* i. e. maledicta est nimirum aDeo, stultiae, ignorantiae et perversitatis causa. — Dicunt in plurali: *maledicti*, quia vox turba ( $\delta\chi\lambda\sigma\varsigma$ ) est nomen collectivum. — Ad vocem: *haec* ( $\omega\delta\tau\varsigma$ ) supplendum est: credit in eum.

V. 50. *Nicodemus*, qui venit ad eum nocte, et (coll. 3, 2.) in Jesum ut Dei legatum credebat. — *Ex ipsis* i. e. e synedris.

<sup>1)</sup> A Lap., Beelen gramm. p. 467.

V. 51. *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit, quid faciat* i. e. numquid lex nostra quemquam condemnari sinit inauditum (cf. Exod. 23, 1. Deut. 1, 16; 16, 18; 19, 15.). — Sic condemnat agendi rationem synedrorum respectu Christi. — Subjectum verbi: audierit est lex, quae per prosopopoeiam repraesentatur ut executor postulatorum suorum.<sup>1)</sup>

V. 52. *Dixerunt ei, nimirum indigne ferentes interpellationem et intercessionem Nicodemi, sui collegae.* — *Numquid tu Galilaeus* i. e. num tu popularis es stultorum Galilaeorum, qui soli Christo adhaerent, prout ex tua intercessione putare possemus.<sup>2)</sup> — *Scrutare scripturas* i. e. si scrutatus fueris scripturas, quarum nimirum doctorem te profiteris. — *Et vide* i. e. cognoscet.<sup>3)</sup> — *Quia a Galilaea propheta non surgit* i. e. nullum hactenus prophetam ex Galilaea prodiisse, et proinde nec hunc esse prophetam vel Messiam (Jans.). Lectio ἐγένεται (surrexit) praferenda est illi: ἐγένεται (surget). — Ast etiamsi hucusque nullus e Galilaea prodiisset propheta, falsa est collectio, postea nullum posse prodire. Sed etiam quod dicunt, falsum est; nam Jonas, Elias, Nahum et Hoseas erant Galilaei (a Lap.).

V. 53. *Quisque, scil. synedrorum.* — *In domum suam, re* nimirum infecta, et nihil decernendo adversus Jesum (Jans.).

## (Caput VIII.)

### 1) Mulier adultera (v. 1—11.).

V. 1. *Perrexit, nimirum sub vesperum ultimae festi tabernaculorum diei* (Calmet). — *In montem oliveti, ut nimirum ibi cum discipulis sub dio pernoctaret in oratione.* — Dum Christus in monte orationi operam dabat, populus sese laetitiae dissolutae in urbe, in templo dedidit.<sup>4)</sup> — *Mons oliveti seu olivarum ha-*

<sup>1)</sup> Cf. Beelen gramm. p. 390.

<sup>2)</sup> Cf. Massl.

<sup>3)</sup> Cf. Beelen gramm. 345.

<sup>4)</sup> Cf. ) Bucher.

buit nomen ab olivis, quibus consitus erat; imminebat urbi Hierosolymae ab oriente, ceteris montibus altior erat et (coll. act. 1, 12.) ab urbe itinere sabbatico seu spatio bis mille cubitorum (= quadrans horae) distabat.

V. 2. *Diluculo* i. e. mane, nimirum post illam noctem. — *In templum*, ubi nimirum pridie docuerat.

V. 3. *Adducunt*, videlicet consilio maligno, ut (coll. v. 6.) occasionem captarent aliquam Christum criminandi (Mald.) — *Deprehensam*, non ab ipsis, sed ab aliis. — *In adulterio* i. e. in ipso facto seu facinore adulterii.

V. 4. *In adulterio*. Graeca vox  $\varepsilon\pi\alpha\tau\omega\varphi\omega\rho\varphi$  ( $\varepsilon\pi\iota$ ,  $\alpha\dot{\nu}\tau\sigma\varsigma$  et  $\varphi\omega\rho$  fur,  $\varphi\omega\rho\acute{u}$  furtum) proprio de iis usurpatum, qui in ipso furto deprehenduntur; dein ponitur de omnibus, qui in quovis facinore deprehenduntur (Kuinoel, Wilke lex.).

V. 5. *In lege* scil. Levit. 20, 10. — *Hujus modi*, scil. mulieres. — *Lapidare*. In loco citato tantum jubentur occidi adulterae, mortis vero genus non exprimitur, et (coll. Deut. 22, 24.) femina viro sponsa, si adulterasset, lapidari jubetur. Ast in loco citato Levitici, poenam mortis intentatam adulteris fuisse lapidationem, patet ex contextu locorum Deuteronomii (22, 21—24.), ubi versus antecedens (v. 21.) et subsequens (v. 24.) docet, etiam in versu intermedio (v. 22.) sub poena mortis esse intelligendam lapidationem. Idem patet ex Ezechiele 16, 38. collato cum v. 40.<sup>1)</sup>

V. 6. *Ut possent accusare eum*. Quum nimirum tunc temporis adempta esset Judaeis facultas, poenam capitalem de aliquo sumendi, nisi impetrata a praeside romano venia,<sup>2)</sup> laqueum Christo statuere putabant. Si enim adulteram lapidandam esse pronuntiaret, eum, quum adulterium romanis legibus morte non damnaretur, ut jurium romanorum adversarium et concitatorem accusare putabant; si vero diceret, adulteram non esse lapidandam, eum ut legis Mos. contemtorem apud populum traducere existimabant; unde tanto facilius dignitatem Messianam ei abjudicare putabant, quum Judaei a Messia plenam sperarent libertatem, quam jugum Romanorum suppresserat.<sup>3)</sup> — *Inclinans*, scil.

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier, Kuinoel, a Lap.

<sup>2)</sup> Conf. dicta 18, 31.

<sup>3)</sup> Calm., Ad. Maier, Friedlieb Leben Jesu.

postquam quaestionem proposuerant. — *Digito scribebat in terra* i. e. in pavimento templi; qua re significare volebat, se non advertere ad quaestionem eorum, nec velle respondere.

V. 7. *Cum perseverarent interrogantes* i. e. cum eum urgenter, ut ad quaestionem propositam explicite responderet, putantes sine dubio, Christum non posse hanc eorum quaestionem cornutam evadere, quin aut in legem, aut in Romanos offenderet (a Lap.). — *Dixit*, scil. serio et cum gravitate. — *Qui sine peccato est* i. e. qui caret peccato. Graeca vox ἀνάρτητος (ex a priv. ἀράτω) est vel qui non peccavit seu qui purus est peccati; vel qui peccare nequit. Hic Ioci prior significatio tenenda est.<sup>1)</sup> — *Vestrum* i. e. ex vobis. — *Mittat* i. e. conjiciat. Respicit Jesus locum Deuteronomii (17, 7.). — Mirare Christi prudentiam! ex una parte concedit, adulteram dignam esse lapidatione, et ita legi Mosaicae patrocinatur; ex altera vero parte admonet, ut caveant, ne, dum alios damnant, sententiam in se ipsi pronuntient (coll. Rom. 2, 1.).<sup>2)</sup> Hisce vero non vult Christus, opus esse, ut, qui adversus alium testatur, ipse penitus expers sit culpa; sed hoc postulat, ut eodem illo crimine non teneatur.<sup>3)</sup> Nec etiam evertit Christus hisce usum et rigorem judicii et tribunalium; non enim torquet hanc sententiam in judices, sed contra legisperitos, qui quasi privati ex privato zelo contendebant, ut Christus judicium adulterae sibi usurparet, et juxta legem eam damnaret, quod ipse merito abnuit, quia venerat peccatores salvatum, non condemnatum (a Lap.).

V. 8. *Iterum, uti nimirum antea* (v. 6.).

V. 9. *Exibant, nimirum propria conscientia redarguti* (καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, quae verba, quum in perpaucis leguntur codicibus, sunt glossema, sed rectum), et similium scelerum concii metuentes, ne sua ipsorum scelera a Christo aperiantur. — *Unus post alterum* (έις καθ' έις est hebraismus pro εἷς καθ' ἕνα singuli). — *A senioribus*. Per seniores (πρεσβυτέρους, quae vox respondet voci πρεσβυτέριον act. 22, 4.) h. l. sunt intelligendi omnes synedri, ad quos legisperiti (γραμματεῖς) pertinebant. — Verba: ἔως τῶν ἐσχάτων (usque adulti-

<sup>1)</sup> Cf. Wilke lex., a Lap.

<sup>2)</sup> Cf. s. Augustinus tractat. 33, 5.

<sup>3)</sup> Calmet, Mald.

mos) in multis codicibus (etiam in Vulgata) desunt. Si leguntur, per ultimos ( $\varepsilon\sigmaχάτους$ ) intelligendi sunt homines inferioris dignitatis seu conditionis (coll. 1 Cor. 4, 9.), aut opposite ad synedros sunt homines privati (Ad. Maier). — *Solus*, nimirum cum apostolis et multitudine. Vox *solus* excludit tantummodo synedros. — *In medio*, nimirum coram Jesu, apostolis et multitudine.

V. 10. *Erigens se*, scil. postquam omnes synedri abierant. *Mulier* ( $\eta \gammaννή$  nominativus pro vocativo, ut saepe). *Nemo te condemnavit?* Christus sciebat id, sed interrogabat, ut omnes adstantes audirent, se, si mulierem dimittat, ab adversariis non posse accusari legis violatae, quum ipsa mulier aperte diceret, se a nemine, ne a synedris quidem esse damnatam.

V. 11. *Nec ego te condemnabo*. Futurum h. l. habet vim praesentis, et verba haec ex parte Jesu Messiae, qui venerat, non ut judicium humanum, sed Messianum, redemptoris, exerceret, idem valent ac: *ego tibi peccatum dimitto*, utpote contritae et poenitenti. Peccata enim homini non remittuntur, nisi ad sit dolor de peccatis et actus contritionis, quam gratiam Christus mulieri contulit. Quod etiam verba sequentia innuuut; *vade jam noli amplius peccare*. Dolor de peccatis et contrito, ubi adest, manifestat se in vita sequenti sancta<sup>1)</sup>. Videsis prolegomena §. 8. ad 2.

## 2) Jesus se lucem mundi profitetur(12—20.)

V. 12. *Iterum*. Quum sermo sequens ad alios auditores, nimirum ad pharisaeos et synedros (*Ιούδαιοι*) directus sit, videatur sententia eorum vera esse, qui putant, sermonem hunc die sequenti (post festum tabernaculorum) a Christo habitum fuisse<sup>2)</sup>. *Illi* i. e. discipulis et pharisaeis ac synedris, qui accesserant. — *Lux*; vid. 1, 4. — *Mundi* i. e. omnium omnino hominum; vid. 1, 9; 3, 19. — Videtur Christus occasionem hujus tropici dicti sumpsisse a duobus insignis altitudinis candelabris aureis, stantibus in atrio mulierum, quae temporibus vespertinis festi tabernaculorum a sacerdotibus accendebantur, et quae symbolice

<sup>1)</sup> A Lap., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Ad. Maier, Bucher.

C. VIII v. 13 - 15.

repraesentabant illuminationem mundi a monte Domini (coll. Jesaia 60, 1—3: *Surge Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est; quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos, super te autem orietur Dominus et gloria ejus in te videbitur...*). Cf. 9, 2. cum Matth. 4, 16. — *Qui sequitur me, scil. in me Messiam credendo meque amando, nimirum jussis meis obediendo<sup>1</sup>.* — *Ambulat i. e. vivet (seu erit).* Vita hominis saepe comparatur itineri (cf. Luc. 1, 6.) — *In tenebris i. e. in ignorantia rerum divinarum et peccatis (cf. 1, 4.)* — *Sed habebit lumen vitae i. e. sed credendo in me meque amando mihi conjunctus et Spiritu s. repletus perpetuo in se habebit lumen, ex quo habebit vitam (tum justificationis, gratiae, tum gloriae).*

*more. V. 13. Ei i. e. Christo. — Testimonium tuum non verum i. e. et ideo testimonium etc. . . . Vid. 5, 31.*

V. 14. *Verum est testimonium meum. „Lumen, ait s. Augustinus, et alia demonstrat et se ipsum . . . Ergo testimonium sibi perhibet lux, aperit sanos oculos et sibi ipsa testis est.* — *Verum est testimonium luminis, sive se ostendat, sive alia, quia sine lumine non potes videre lumen, et sine lumine non potes videre quodlibet aliud, quod non est lumen<sup>2</sup>.* Ita et Christi, lucis, testimonium, qui se ipsum clare mundo ostendit per opera et miracula divina. — *Quia scio, unde veni et quo vado i. e. quia accuratissime scio, me esse Filium Dei, coelitus a Deo missum in hunc mundum hominum salutis causa, et me peracta humana redemptione ad Patrem redditum esse;* hinc, quod dico est veritas irrefragabilis (Aug., Chrys., Theophyl.). Verba haec continent circumlocutionem unitatis substantiae divinae cum Patre et legationis Christi. — *Locutus est autem obscure, ne Judaeorum sibi offenditorum magis in se iras accendat (a Lap.).* — *Vos autem nescitis, unde venio, aut quo vado i. e. vos vero ignoratis, me esse Filium Dei, Dei legatum, quamvis id jam diu scire poteratis. De phrasi unde veni, vid. 5, 36; 7, 28. 29.; et de verbis: quo vado, vid. 6, 63; 16, 28.*

V. 15. *Secundum carnem i. e. secundum speciem externam, seu: secundum id, quod oculis corporeis videtis; seu*

<sup>1)</sup> Mald., Patrit. III, 555.

<sup>2)</sup> Tractat. 35, 4. 6.

C. VIII. v. 16 - 18.

respectu ad Christum: secundum humilem meum ortum et conditionem, ideoque (quod sponte consequitur) vestrum de me judicium est condemnatorium, quatenus me legatum divinum et Messiam habere non vultis, sed impostorem putatis. — Ego non judico quemquam i. e. ego in neminem sententiam fero condemnatoriam, seu neminem condemno, quia nimurum non veni in mundum, ut condemnem mundum, sed ut salvem (cf. 3, 17.<sup>1</sup>). Alii ex praecedenti sententia supplentes: secundum carnem, hunc statuunt sensum: ego neminem secundum speciem externalam judico. Sed prior explicatio praferenda est ob 3, 17.<sup>2</sup>).

V. 16. Et si judico ego i. e. et si judicem unquam. — Verum est i. e. verum esset, utpote congruum veritati rei et divinae voluntati; hinc et justum (cf. 5, 30.). — Quia solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater. Redit h. l. Christus a cogitatu judicandi ad cogitatum testandi, docetque testimonium ipsius (coll. v. 13.) esse verum, quia non solus est testificans, sed etiam Pater, qui eum misit (cf. 5, 32.); ergo quia sunt duo, qui testimonium perhibent (a Lap.).

V. 17. In lege vestra i. e. in lege, quae a vobis, ut gloria mini, summi habetur. — Scriptum est, nimurum in libro Deuteronomii (19, 15.). — Duorum hominum testimonium verum est. Locus est allatus solum quoad sensum; locus ipse audit: in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum (uti apud Matth. 18, 16. legitur), i. e. ex testimonio duorum vel trium testium stabilietur seu judicetur quaevis causa. — Verum est i. e. in jure seu juridice pro vero et legitimo habendum est.

V. 18. Verbis his explicat etiam respectu sui esse duos testes, scil. seipsum et Patrem suum. Argumentatio Christi haec est: Juxta legem vestram duorum testimonium in jure pro vero habendum est; atqui de me etiam duo testimonium perhibent; ego et Pater meus; ergo testimonium hoc pro vero habendum est<sup>3</sup>). Haec Christi argumentatio pharisaeis tum solummodo necessitatem imponebat agnoscendi veritatem ejus, quod Jesus dicebat, si eum habuissent legatum divinum, qui ut talis tantummodo veritatem dicere possit; tum revera aderant duo te-

<sup>1)</sup> S. Chrysost.

<sup>2)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Mald., a Lap.

stes, Jesus et Pater ejus; ast pharisaei non credebant in Jesum velut legatum divinum, ideo per ludibrium interrogant:

V. 19. *Ubi est Pater tuus?* nimirum alter ille testis, ut ejus testimonium audiamus<sup>1</sup>). — *Neque me scitis, neque Patrem meum.* — Directa et clara Christi responsio ad quaestionem esset: Pater meus in coelo est; sed Christus respondet in directe, sensusque est: ex quaestione vestra consequitur, vos nec me, nec Patrem meum nosse. — *Si me sciretis* i. e. si me cognosceretis ut legatum divinum, Filium Dei. — *Et Patrem meum sciretis* i. e. etiam Patrem meum, cum utrique est una essentia divina, novissetis, nimirum ipsum esse Deum in coelo, qui ab homine mortali oculis corporeis videri non potest. (Cf. 14, 9. „qui videt me, videt et Patrem meum“). — *Forsitan;* in graeco est ἀν, quae vox reddenda est per: utique, uti postea (14, 7.) ipsa Vulgata eam vertit.

V. 20. Verba haec sunt annotatio evangelistae. — *Haec verba* i. e. sermonem praegressum (v. 12—19.) — *In gazophylacio* ( $\epsilon\nu \gamma\alpha\zeta\omega\varphi\upsilon\lambda\alpha\chi\omega$ ) i. e. ad aerarium sacrum, seu thesauri reconditorium (Schatzkasten); quod teste Marco (12, 41. 42.) erat in atrio mulierum. Juxta rabbinos constabat istud ex tredecim cistis, in quibus nummi in templi usum et pauperum sustentationem vesponte oblati, vel a Judaeis quotannis pendendi condi consueverant, et quia tubarum speciem referebant, dicebantur tubae ( $\tau\delta\pi\varphi\omega\tau\alpha$ ) — Etiam locus, in quo istae cistae et vasa templi aurea et argentea asservabantur, dicebatur  $\gamma\alpha\zeta\omega\varphi\upsilon\lambda\alpha\chi\omega$  (cf. Wilke lex.). Dum evangelista dicit, Jesum sermonem praegressum habuisse ad gazophylacium, significat, eum palam et in loco publico locutum fuisse. — *Et nemo* i. e. at-tamen nemo<sup>2</sup>) — *Hora ejus*; cf. 7, 30.

### 3) **Alii Christi sermones de suo ortu et abitu (21—59.)**

V. 21. *Ergo*; vox haec respicit ad praecedentia ac indicat, sequentia eodem loco, in atrio mulierum, paucō temporis intervallo elapo, a Christo esse dicta, quo praecedentia (Orig.) —

<sup>1)</sup> Cf. Mald.

<sup>2)</sup> Beelen gramm. 460.

*Iterum, nimirum uti prius (7, 34). — Vado; vid 7, 33. — Quae-retis me; vid. 7, 34. — In peccato vestro i. e. in peccatis vestris, seu peccatis onerati. Vox peccatum (*ἀμαρτία*) h. l. collective sumenda est, non de solo infidelitatis peccato, uti patet e v. 24. — Non potestis, nimirum propter peccata vestra.*

V. 22. *Quum Christus dixisset: quo vado, vos non potestis venire — malevole concludebant adversarii Christi, eum sibi violentas manus illaturum esse, respicientes ad sequelas animae illius, qui seipsum interfecisset, quum nimirum juxta rabbinorum doctrinam crederent, animas eorum, qui sibi mortem conciverint, in inferiorem Scheolpartem, in gehennam detrusumiri, ut ibi usque ad judicium torquerentur. Illuc, volunt adversarii Christi dicere, utique eum non sequentur<sup>1)</sup>*

V. 23. *Verbis hujus versus dat causam, cur talia de eo suspicentur. — Vos de deorsum estis i. e. vos originem habetis ex terra. — Ego de supernis sum i. e. ego de coelo descendি. — Graeca praepositio ἐξ utraque vice indicat originem; et τὰ κάτω id ac γῆ (terra), et τὰ ἀνω id quod οὐρανός (coelum). Cf. 3, 31. coll. v. 13. — De mundo i. e. vos praediti estis cogitandi, sentien-di et agendi ratione hominum perversorum, rebus solum terrenis inhiantium, nec divina sapientium (cf. 7, 7.) — Ego non sum de hoc mundo i. e. ego nullam cum talibus hominibus perversis communionem habeo, proinde solum divina sentio, annuntio et volo. — Praepositio ἐξ h. l. utraque vice indicat communionem.*

V. 24. *Dixi ergo vobis i. e. quia nimirum tales (de mundo) estis, ideo dixi vobis, quia moriemini etc. — Quia ego sum i. e. me esse Messiam, quem (coll. 4, 26.) me esse profiteor (Maldonat.). — Moriemini in peccato vestro, quia nimirum tum non partici-patis beneficia redēptionis, quum sine fide in me Messiam remissio peccatorum non sit.<sup>2)</sup>*

V. 25. *Tu quis es? Quia nimirum dixerat: Si non credide-ritis, quia ego sum etc. . , malitiose eum interrogant: tu quis es?, quae verba respectu ad priora: ego sum desursum, id valent ac: unde tuam ducis originem? sperantes, eum aperte se dicturum esse Dei Filium, quo auditō possent eum ut blasphemum accu-*

<sup>1)</sup> Jos. Flav. bell. jud. III, 8, 5. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. 3, 19., a Lap.

sare. — *Principium, qui et loquor vobis* ( $\tauὴν ἀρχήν$ , δ, τι καὶ λαλῶ). Loci hujus diversae dantur interpretationes. Omnis difficultas pendet ex duobus verbis  $\tauὴν ἀρχήν$  et δ, τι. De priori verbo dantur duae opiniones; alii vocem  $\dot{\alpha}\rho\chi\eta\nu$  ut substantivum, alii ut adverbialiter positum sumunt. Porro qui ut substantivum istam vocem sumunt, alii eam accipiunt ut nominativi casum, alii ut accusativi. Qui nominativum (uti Ambros., August. aliique cum nostra Vulgata) esse putant, hunc sensum esse dicunt: Ego sum principium i. e. primus et novissimus (coll. apoc. 1, 17; 2, 8.), vel: ego sum principium omnium rerum, per quod omnia facta sunt. — Interpretatio haec est prorsus orthodoxa, sed obstat ei textus graecus, qui testantibus omnibus codicibus et veteribus graecis interpretibus accusativi casum ( $\tauὴν ἀρχήν$ ) habet, et qui docentibus interpretibus antiquis et recentioribus loco adverbii positus est, quorum alii vocem hanc vertunt per: primum, alii: a principio ( $\tauὴν ἀρχήν = ἀπὸ$  seu  $\varepsilon\xi$   $\dot{\alpha}\rho\chi\eta\nu$ ); alii: omnino, prorsus. — Qui primam statuunt significationem, versum hunc cum prioribus versus 26. verbis conjungentes, hunc sensum eliciunt: Primum, quod etiam vobis palam dico, multa habeo, quae in vobis reprehendere et condemnare possim<sup>1)</sup>. — Sed explicatione hac admissa, nihil continerent verba Christi, quod interrogationi pharisaeorum: tu quis es? aptum et accommodatum esset; dein insertio vocis: palam est prorsus arbitraria. — Alii hunc statuunt sensum: Primum quidem sum, quod vobis dico. Sed huic explicationi obstat, quod deest aliquod aliud membrum, quod se postea dicturum significaret. — Ex iis, qui alteram significationem tenent: a principio, nonnulli hunc sensum proponunt: a principio dixi, quod etiam nunc dico i. e. ab initio muneric mei nil aliud de me dixi, quod etiam nunc vobis dico; — alii vero: ego sum id, quod vobis a principio i. e. statim ab initio muneric mei dixi, quod etiam nunc dico, scil. me esse Messiam, Dei Filium<sup>2)</sup>. — Ast explicationi utrius obstat, quod additamentum verbi dixi ( $\lambdaελάληται$ ) et: nunc ( $\nuύν$ ) post vocem etiam sit prorsus arbitrarium, quin et addamus, ipsam explicationem verbi  $\tauὴν ἀρχήν$  per: a principio, dubiam esse, quum alias s. Joannes semper adhibet: ε\xi ἀρχῆς (6, 64; 16, 4;) aut  $\dot{\alpha}\pi'$   $\dot{\alpha}\rho\chi\eta\nu$

1) De Wette.

2) Mald.

(15. 27. 1 Joan. 2, 7. 24.). — Alii pariter τὴν ἀρχὴν vertentes per: a principio, intelligunt per principium ejus originem ex Deo Patre, qui est principium aeternae generationis Filii<sup>1)</sup>, cui explicationi favere videtur ipse v. 26., ubi sermo de Deo Patre occurrit, ita ut sensus sit: De origine mea (ex Patre), quid adhuc dicam vobis. — Tandem, qui tertiam tenent significationem: omnino, prorsus, hunc sensum proponunt: Omnino id sum, quod etiam vobis loquor i. e. quem me etiam coram vobis in sermonibus meis profiteor (Kuinoel, Klee, Ad. Maier, Beelen gram. 234.); quae explicatio simplicitate et facilitate sua se commendat. — Ceterum Vulgata, quae habet: qui et loquor, legisse videtur ὅστις loco ὁ, τε λαλῶ, quae lectio posterior tenenda est<sup>2)</sup>.

V. 26. *Multa habeo de vobis loqui et judicare* i. e. multa contra possem loqui de vobis et de multis vos accusare ac condemnare (agitur enim de fide vestra). — *Sed qui me misit, verax est* i. e. sed, ut tandem cognoscatis et credatis, qui misit me, est Deus Pater (cf. 7, 28.). Quibus verbis declarat, originem suam esse ex Patre coelesti (uti supra v. 16.). — *Et quae audivi ab eo, haec loquor;* unde colligendum relinquunt, omnia, quae dicat, vera esse. Videsis de verbo audire 5, 30. —

V. 27. *Quia Patrem ejus (i. e. suum) dicebat Deum.* Textus graecus habet: ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἐλεγεν (quia de Patre illis loquebatur). In substantia sensus non est diversus, nam juxta utramque lectionem sensus est: et non intellexerunt, quod de Patre suo coelesti loquatur. Istud: non intellexerunt, solummodo valet de quibusdam, qui tunc non aderant, quum Patrem suum esse Deum affirmaret (5, 18. et 8, 16.), vel qui non attenterant ad sermonem praegressum.

V. 28. *Ergo.* Particula haec sermonem sequentem non connectit cum immediate praegressis hoc modo: quum non cognoscerent, dixit ergo; — sed solummodo continuat sermonem, dum scil. Christus respectu ad eorum infidelitatem significat eventus futuros, nimirum miracula, quae statim eo mortuo facta sunt (coll. Luc. 23, 48.), resurrectionem, ascensionem suam ac effectus varios Spiritus s. post ipsius in coelum ascensionem (act. 2, 41.)<sup>3)</sup>. —

<sup>1)</sup> A Lap. hec uB, r.

<sup>2)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Cf. Maier.

C. VIII. v. 29 - 33.

*Exaltaveritis, nimirum in cruce* (cf. 3, 14.) — *Cognosctis, nimirum ex miraculis me mortuo visis, ex resurrectione et ascensione mea atque ex effectibus Spiritus s. mirabilibus, me esse Messiam, Dei Filium, quem me esse praedico.* — *Et a meipso facio nihil.* Vid. 5, 19. — *Verbum facere* (*ποιεῖν*) h. l. accipiendum est sensu latissimo de tota Christi activitate, ita ut tum facere, tum docere significet.

V. 29. *Mecum est*, non solum ut Deus cum Deo, communem mecum habens naturam, sed etiam ut Deus cum homine, mihi suam potentiam communicando, qua facio miracula<sup>1</sup>). — *Non reliquit me solum* i. e. quum misit me, non dimisit, non deseruit me, sed suam potentiam mihi (ut homini) communicavit. — *Quia, quae placita sunt ei, facio semper* i. e. hujus argumentum et signum est, quia ea semper et solum facio, quae Patri sunt grata. — Christus enim etiam ut homo nihil volebat aut faciebat a Patris voluntate dissentaneum. Quia nimirum Deus praescivit, Jesum ut hominem quoad voluntatem nunquam dissensurum esse ab ejus voluntate, facta est illa Dei Filii unio cum homine (Ad. Maier).

V. 30. *Haec. Vox haec debet referri ad omnem superiorem sermonem* (Mald.). — *Crediderunt in eum* i. e. crediderunt, ipsum esse Messiam, Dei Filium. — *Verosimiliter ista comminatio* (v. 21. et 24.) *praeprimis effecit*, ut crederent (Ad. Maier).

V. 31. *Dicebat ergo*, ut nimirum eos in fide confirmaret. — *Manseritis* i. e. perseveraveritis, seu constanter adhaeseritis. — *In sermone meo* i. e. in doctrina mea (obediendo nimirum fide et opere verbis meis). — *Vere discipuli mei eritis* i. e. veri discipuli mei eritis dignique, quos pro talibus agnoscam.

V. 32. *Cognosctis veritatem* i. e. proficietis in cognitione veritatis, seu doctrinam meam magis magisque intelligetis.<sup>2</sup>) — Per veritatem h. l. non est cum nonnullis Christus intelligendus, sed doctrina ejus tota (a Lap.). — *Liberabit vos*, nimirum a pravarum cupiditatum vitiorumque imperio et servitute, quae animum (mentem) in studio veritatis cognoscendae et sanctitatis exercendae impediunt.<sup>3</sup>)

<sup>1)</sup> Mald., Calm.

<sup>2)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Cf. Ad. Maier, Bucher.

V. 33. *Responderunt*, scil. Judaei alii increduli (uti sequentia v. 37. 40—44. docent), qui adjunixerant se Judaeis credentibus (a Lap., Ad. Maier.). — *Semen Abrahae sumus* i. e. nos sumus posteri magni patriarchae Abrahami, ideoque liberi. — *Etenim i. e. nec ulli.* — Judaei illi increduli Dominum de libertate obtinenda loquentem non intellexerunt, quidnam sub ista intelligat, putantes, eum loqui de libertate politica (civilis), qua destituti erant et se a Christo pungi; in fervore et jactantia sua negant se esse aut fuisse servos ac proinde libertate egere, cum tamen servierint Aegyptiis, Chaldaeis, Persis, Macedonibus et Romanis.<sup>1)</sup> — Nonnulli putant, eos verba Christi de libertate spirituali intellexisse, et quum Deo uni semper servierint, dixisse, se semper liberos fuisse.<sup>2)</sup> — *Semen (σπέρμα) ex hebraismo metonymice: soboles, posteri.*

V. 34. Nunc aperte Christus declarat, de quanam loquatur servitute, nimirum non de civili, sed de spirituali (moralis). — *Qui facit peccatum* i. e. qui peccat. — *Peccatum (άμαρτία)* h. l. positum est generice, ita ut valeat id ac: mala, prava ( $\tauὰ πονηρά$ ,  $\tauὰ κακά$ ). — *Servus est peccati* i. e. servitutem exhibit peccato et subditus est pravae concupiscentiae, quae instar tyranni dominium exercet in eum, per pravos affectus et cupiditates semper in peccata sollicitans et pertrahens (cf. Rom. 6, 12. 17; 7, 14. 2 Pet. 2, 19.<sup>3)</sup>) Peccatum altera vice per prosopopoeiam consideratur ut dominus et tyrannus, qui dominium exercet in hominem peccantem.

V. 35. *Servus autem non manet in domo in aeternum* i. e. haec est conditio servorum, ut non perpetuo maneant in familia sui heri, uti filius haeres; nam dominus, quandocumque ei placuerit, ejicere potest servum aut vendere. — Alteram similitudinis partem relinquit eis tacite supplendam, nimirum: Sic, qui servus est peccati, non habet jus perpetuo manendi in domo Dei, sed expelletur.<sup>4)</sup> — Sententiae hujus ad Judaeos applicatae sensus est: Sic etiam vos Iudei, quamvis sitis (carnales) posteri Abrahami, parentis populi theocratici, quum sitis servi peccati, quasi

<sup>1)</sup> Chrys., Aug., Beda, Theophyl., Mald., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Calmet.

<sup>3)</sup> Cf. s. Ambros. in ps. 118. serm. 12. tract. 41. s. August.

<sup>4)</sup> Cf. Jans.

servi estis in domo Dei, et, nisi ab ista servitute liberemini, expellemini e domo Dei (e regno Dei), uti solent expelli servi exosi. — *Filius manet in aeternum* i. e. filius vero, cui jus in paternas opes et domum nunquam non est, perpetuo manet in domo, in familia; hinc (quod supplendum est) is, ut herus domus servis etiam libertatem conferre potest. Et in applicatione ad Iudeos: ego, qui sum Filius Dei, Patris mei, perpetuo maneo in domo Patris mei, quare etiam solummodo per me potestis liberari ab illa servitute peccati membraque fieri regni Dei.<sup>1)</sup>

V. 36. *Si ergo vos filius* i. e. si ergo ego, qui sum Filius Dei, et dominus domus (Mald.). — *Liberaverit*, scil. ab illa servitute peccati, cui obstricti estis. — *Vere liberi eritis*, utpote liberati a servitute peccati, simulque qua tales participabitis bona regni Dei in hac et altera vita (a Lap., Ad. Maier.).

V. 37. *Scio, quia filii* (graece σπέρμα semen) *Abrahae estis* i. e. scio, vos esse posteros Abrahami quoad carnalem originem. Respicit ad. v. 33. — *Sed quaeritis me interficere* i. e. sed, hoc non obstante, non estis *veri* (genuini) filii Abrahami, nam quaeritis me interficere. — *Quia sermo meus non capit in vobis* i. e. quia doctrina mea, quam vobis praedico, in animos vestros non penetrat, seu in vobis locum non invenit (Menoch.). Graecum verbum χωρέω (a χώρᾳ locus) est: locum do, capio, dein progredior, proficio; tandem penetro ut h. l. (cf. Kuinoel.). — εν ὑμῖν pro εἰς ὑμᾶς.

V. 38. *Ego loquor* i. e. ego nimirum doceo. — *Quod* (ā) i. e. veritatem, res divinas et coelestes. — *Vidi apud Patrem meum*. Vid. 3, 32. — *Vos, quae vidistis apud patrem vestrum, facitis* i. e. vos vero, dum quaeritis me interficere, operamini, quemadmodum a patre vestro (coll. v. 44. diabolo) didicistis. — Hisce, quum apud Abrahamum non viderint mala opera, sed bona, tacite eis subsumendum relinquunt, non Abrahamum esse patrem eorum, sed alium aliquem, nimirum diabolum, uti v. 44. aperte dicit. — Ceterum sive in graeco legatur δέωράχατε, sive ἀγκούσατε, sensus idem manet, quia tum δραγι, tum ἀχούσιν saepe notat discere.

<sup>1)</sup> Cf. a Lap., Ad. Maier.

V. 39. *Responderunt*, quia nimirum inteligerent, Christum originem ab Abrahamo (quamvis spiritualem tantummodo) eis adjudicare, repetunt: *Pater noster Abraham est*, (nec alium agnoscimus patrem). — *Si filii Abrahae estis* (graece ἐγενέσθε εσστις) nimirum legitimi, genuini, veri. — *Opera Abrahae facite* (graece ἔποιεῖτε faceretis) i. e. imitaremini fidem et opera Abrahami.<sup>1)</sup> „*Caro eorum ex illo* (Abrahamo) erat, ait s. Augustinus, sed vita non erat.<sup>2)</sup>

V. 40. Hisce clare explicat probatque, Judaeos non facere opera Abrahae.

V. 41. *Opera patris vestri* i. e. opera consentanea operibus patris vestri, nempe alterius quam Abrahae, qui homicida non fuit (Jans.). — Nunc demum intellexerunt Judaei, Christum non de carnali, sed de spirituali generatione loqui, et quum putarent, Christum, quia negaret, eos esse spirituales filios Abrahami, simul etiam negare, ipsos esse cultores Jehovah, ideoque cultores alias Dei, idoli i. e. idololatras, dixerunt ei: *Nos ex fornicatione non sumus nati* i. e. nos non colimus penes Jehovah idola, non sumus idololatrac. — Haec loquendi ratio explicatur ex loquendi modo s. scripturae, quae saepe idolatriam vocat fornicationem (Hos. 1, 2. Jes. 1, 21.), Judaeos autem fornicatores, adulteros, quotiescumque populus Israël, cuius necessitudo cum Jehovah repraesentari solebat per imaginem conjugii (conjunctionis mariti cum uxore), relicto legitimo marito, Deo, idolorum cultui se prostituit; quare etiam sub hoc respectu idololatrae sunt spirituales filii fornicatorum.<sup>2)</sup> — *Et unum patrem habemus Deum* i. e. sed unum verum Deum colimus.

V. 42. Refellit nunc Christus, quod Judaei modo dixerant, se patrem habere Deum, probatque eos ex Deo natos non esse, quia, si filii Dei essent, se diligenter, qui et ipse Filius Dei esset (Mald.). — *Ex Deo processi et veni* i. e. ego, qui ut Filius Dei naturalis apud Patrem ab aeterno eram, incarnatus ab eo exivi et ut legatus ejus veni in mundum (cf. 16, 27. 28.). — Utrumque verbum referendum est ad incarnationem et adventum in mundum (non vero cum nonnullis primum ad aeternam Christi ex

<sup>1)</sup> Cf. Rom. c. 4.; 9, 7. 8.

<sup>2)</sup> Cf. Mald., s. August.

Deo Patre generationem). Attamen verbis his, uti Maldonatus recte observat, simul innuitur divinitas, ejus aeterna ex Patre generatio. Nec enim ex Deo processisse venisseque per incarnationem diceretur, si ante non fuisset; nec ante fuisset, si Deus non esset. — *Nec enim a me ipso veni, sed ille me misit.* Vid. 7, 28. (5, 43.). —

V. 43. *Quare loquelas meam non cognoscitis* i. e. cur linguam meam non agnoscitis pro lingua venientis e coelo, seu legati divini? — Graeca vox λαλία est proprie dialectus, pronuntiatio (mos verba pronuntiandi) uti Matth. 26, 73., ergo exterrum linguae, unde origo, patria et gradus culturae dignoscitur; sed in lingua Christi praeter notionem linguae, simul h. l. cogitandum est de ejus argumento, doctrina.<sup>1)</sup> — *Quia non potestis audire sermonem meum* i. e. quia prae animi vestri averione et odii magnitudine sermonem meum (seu doctrinam meam) aures vestrae ferre non possunt.<sup>2)</sup> Cf. 5, 44. *Non me poteris mirare*

V. 44. *Vos ex patre diabolo estis* i. e. vos estis filii diaboli, nimirum imitando ejus sentiendi et agendi rationem (Aug.). — Phrasis ἐξ τοῦ διαβόλου εἰναι est id quod τέκνον τοῦ διαβόλου; opposita formula: εἰναι ἐξ τοῦ Θεοῦ (v. 47.). — *Desideria patris vestri vultis facere* i. e. parati promptique estis cupiditates ejus ad effectum deducere (Jans.). Verba haec quasi rationem continent, cur sint filii diaboli. Verbum θέλειν (velle) h. l. ut 7, 17. notat: paratus, promptus esse (toto animo velle). — *Ille homicida erat ab initio*, nimirum hominis creati (seu generis humani), quia primis parentibus peccatum persuadendo causa fuit, ut protoparentes omnesque homines etiam corpore morerentur, juxta illud Sapientiae (2, 24): „invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum“ (cf. Jans., Mald.). — Ita et non de Caini fraticidio locum hunc esse intelligendum, docet contextus. — Imperfectum: *erat* (ἦν) indicat aut continuam operationem peccati originalis, per quod diabolus ab initio homines occidere incipit et semper occidit; vel vero indicat, eum inde a prima caede semper homines incitare ad caedes (Ad. Maier.). — Nunc supplendum est: ideo etiam vos me occidere vultis. — *Et in veri-*

<sup>1)</sup> Ad. Maier, Massl.

<sup>2)</sup> Jans., Mald.

*tate non stetit.* Per multi cum s. Augustino per veritatem intelligunt integritatem, rectitudinem i. e. justitiam et sanctitatem, in qua conditus erat et in qua superbiens contra Deum non permansit. — Alii ob statim sequentia per veritatem intelligunt veritatem in loquendo, provocantes ad Geneseos locum (3, 4.), ubi diabolus Hevam mendacio decepisse legitur. — Quum tamen graecum verbum ἐστηκεν non habet vim praeteriti, ut illi interpretes cum Vulgata statuunt, sed vim praesentis<sup>1)</sup>: stat, tenet (scil. veritatem), paeferenda videtur interpretatio illorum, qui per veritatem intelligunt veritatem objectivam, realem in Deo, et veritatem in verbo et vita (oris et operis). Hacce explicatione indicatur partim, diabolum non permansisse in sua integritate et rectitudine originaria (in veritate objectiva et veritate operis, quum noluit ut creatura Deo subesse, sed superbiens contra eum surrexit voluitque esse ei par), partim eum excidisse a veritate verbi (oris), quum suis mendaciis deciperet Hevam.<sup>2)</sup> — *Quia non est veritas in eo* i. e. quia, quum tanquam ens a Deo aversum veritatem odit, totus quantus mendax est, ita ut in eo nullum sit studium veritatis nec dicendae, nec faciendae. — *Cum mendacium loquitur* i. e. cum mentitur. — *Ex propriis loquitur* i. e. id facit, quod est ipsi proprium, quasi domesticum et familiare (Menoch.). Ut enim mendacio homines deciperet, in id tendunt omnes ejus cogitatus. Si quando veritatem dicit, aut coactus, aut fallendi alicujus causa facit (Calmet). — *Quia mendax est*, utpote habitu praeditus continuo fallendi et mentiendi, ita ut totus ex fraudibus et mendaciis consutus et conflatus videatur (a Lap.). — *Pater ejus* i. e. mendacii auctor et inventor.<sup>3)</sup>

V. 45. Sensus: Quum sitis filii diaboli, qui amat mendacium et veritatem odio prosequitur, ideo mihi, quia veritatem (veram doctrinam) dico, non creditis.

V. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato* i. e. quis vestrum potest me arguere (convincere) de peccato? — Hoc dicit, ut probet, sibi, in quo nec umbra peccati est, plenam fidem esse habendum. „Unusquisque enim, observat Maldonatus, dignus est

<sup>1)</sup> Cf. Beelen gramm. 478.

<sup>2)</sup> Cf. a Lap., Ad. Maier, Massl.

<sup>3)</sup> Cf. Beelen gramm. 142.

fide, donec aliquod in eo sive mendacium, sive aliud peccatum deprehendatur, quod fidem elevet. — Qui vocem ἀμαρτία h. l. explicant de mendacio, contra se habent usum loquendi. — *Quare non creditis mihi*, cum nimirum nullam causam non credendi mihi, nec ex doctrina, nec ex moribus meis praetexere possitis (Jans.).

V. 47. *Qui ex Deo est* i. e. qui Dei filius est (cf. v. 44.), seu qui indolem refert Dei. Nam in s. literis filii alicujus nominari solent, si cum eo similitudinem habeant, si indolem ejus referant. — *Verba Dei audit* i. e. doctrinam, quam illius nomine profero, lubenti animo audit, credit eique obedit. Ita enim est το audire (ἀκούειν) h. l. explicandum (cf. v. 43.). — Verba haec respectu ad Judaeos valent id ac: Si vos Dei filii essetis, doctrinam, quam illius nomine profero, lubenti animo audiretis, crederetis eique obediretis.

V. 48. *Judei*, quasi verbis his laesi. — *Bene* i. e. recte, vere (cf. 4, 17.). — *Quia Samaritanus es tu* i. e. te esse Samaritanum. Dicunt Christum Samaritanum, quia eum simili odio in Judaeos affectum putabant, quo Samaritani Judaeos oderant (cf. 4, 4. 9.). Aliquem vero dicere Samaritanum, erat gravissimum apud Judaeos convictum. — *Et daemonium habes* i. e. et a daemone obsessum, qui nimirum tibi inspirat istum inimicum in nos Judaeos affectum et verba illa insanientis, nos filios diaboli nominando.<sup>1)</sup>

V. 49. *Ego daemonium non habeo* i. e. nihil mihi commercii est cum daemone, nec illo auctore quidquam facio aut dico. — *Sed honorifico Patrem meum* i. e. sed in omnibus et semper Dei voluntati obedio (coll. 4, 34.), ab eo in faciendo aut dicendo regor et impellor. — Verbum τηράω h. l. honorare obediendo (voluntati scil. Dei). — *Et inhonorasti me*, nimirum me afficiendo acerbissimis conviciis, Samaritanum et daemoniacum me appellantes.

V. 50. *Ego autem non quaero gloriam meam* i. e. sed quamquam me conviciis petitis, non vindicabo honorem meum. — *Est*, scil. Pater. — *Qui quaerat*, nimirum gloriam meam, i. e. qui honoris mei curam geret (cf. 5, 23.). — *Et judicet* i. e. et acerrime

<sup>1)</sup> Jans., Menoch., Ad. Maier.

eos puniet, sententiam condemnatoriam in eos ferendo, qui me inhonorant.

V. 51. Amolitus paucis verbis convicia et vindicta Deo reflecta, vertit se ad Judaeos fideles (coll. v. 31. 32.), docetque quomodo Deus praemiis ornaturus sit eos, qui doctrinae ejus obsequium praestiterint. — *Sermonem meum i. e. doctrinam meam.* — *Servaverit*, scil. fide et opere (seu credens eique obediens).  $\tau\eta\rho\varepsilon\nu\tau\delta\eta\lambda\gamma\sigma\eta$  id ac supra (v. 31.)  $\mu\varepsilon\nu\varepsilon\nu\dot{\epsilon}\nu\tau\tilde{\omega}\lambda\gamma\varphi$  (manere in sermone). — *Mortem non videbit* i. e. mortem spiritualem (animae) non experietur (hinc nec mortem aeternam).<sup>1)</sup> — Ceterum phrasis: *mortem videre* ( $\vartheta\alpha\eta\alpha\tau\delta\eta\vartheta\omega\rho\varepsilon\nu$ ) est id quod: *mortem gustare* ( $\gamma\varepsilon\acute{\nu}\varepsilon\sigma\vartheta\alpha\tau\delta\eta\vartheta\alpha\eta\alpha\tau\delta\eta$ ).<sup>2)</sup>

V. 52. *Judei*, scil. increduli et Christo adversantes. — *Nunc cognovimus*, nimirum etiam certius, quam antea. — *Quia daemonium habes* i. e. te a daemone esse obsessum, qui tibi inspirat, ut tam insana et absurdula loquaris.<sup>3)</sup> — Ad. Maier et Kuijnoel phrasin: *daemonium habere*, etiam h. l. ut 7, 20. proverbialiter sumentes, explicant per: insanire; sed non est, cur non prior teneatur explicatio (coll. v. 48. et 49.). — Intelligebant ergo Judei verba Christi de corporis morte, ideo absurde eum loqui putabant (Mald.). — *Abraham mortuus est et prophetae* i. e. nam Abraham et prophetae, qui praecepta Dei servaverunt, eique ob suam insignem sanctitatem imprimis dilecti fuerunt, mortui tamen sunt.

V. 53. *Major* i. e. praestantior. — *Et prophetae mortui sunt* i. e. et praestantior prophetis, qui mortui sunt (Mald.). — *Quem te ipsum facis* i. e. quem per tuam jactantiam te venditas?

V. 54. *Respondit*, scil. ad illa verba: *quem te ipsum facis?* — *Si ego glorifico me ipsum* i. e. si ego ipse meum honorem curarem et captarem. — *Gloria mea nihil est* i. e. honor meus vanus erit, non verus (nimirum juxta humanum censendi modum). Cf. 5, 31. — *Qui glorificat me*, nimirum oraculis prophetarum, miraculis et testimoniis de coelo (cf. 5, 37.) — *Quem vos dicitis, quia Deus vester est* i. e. et si vultis scire, quis sit ille Pater meus, is ipse est, quem vos jactatis esse Deum nostrum.

<sup>1)</sup> Cf. 5, 24. et 6, 50.)

<sup>2)</sup> Cf. Matth. 16, 28.

<sup>3)</sup> Mald., a Lap.

Lectio θεδς ἡμῶν paeferenda lectioni θεδς ὡμῶν, qua exprimitur, quomodo Judaei dicere solerent.<sup>1)</sup> — Verbis his simul significat Christus, se esse Filium Dei naturalem.

V. 55. *Et (καὶ) i. e. et tamen* (particula καὶ h. l. adversativa).

*Non cognovistis eum*; vid. 7, 28. — *Ego novi eum*; vid. 7, 29. — *Mendax*, quia nimirum contra mentem meam et conscientiam loquerer. — *Similis vobis*, nimirum mentientibus, dum dicitis, vos nosse Deum, quem tamen non cognoscitis<sup>2)</sup>. — *Et sermonem ejus servo* i. e. quia omnia pracepta Dei plane pleneque observo (voluntatem ejus in omnibus adimpleo), id argumento est, me Deum cognoscere. Sententia hac Christus probat, se nosse Deum (Theophyl.); sed ea simul tacite pungit Judaeos, eos Deum non nosse, quia non servent pracepta ejus.

V. 56. *Exultavit* i. e. gaudio perfusus optavit seu desideravit. Est praegnanter dictum<sup>3)</sup>. — *Diem meum* i. e. tempus mei in terras adventus<sup>4)</sup>. Qui per diem intelligunt tempus passionis et mortis Christi, contra se habent contextum et usum loquendi s. Joannis. — *S. Augustinus* intelligit per diem aeternam Filii a Patre generationem (ob v. 58.); sed prior explicatio paeferenda est. — *Videret* i. e. ut experiretur, seu vivendo attingeret<sup>5)</sup> cf. Luc. 17, 22. Respicitur hic ad promissiones Messianas, Abrahamo datas (Gen. 18, 18; 22, 18.). — *Vidit*, non mera fide, aut fide et typis (Jsaaco et ariete, quem loco filii immolavit), aut prophetica revelatione, sed revera expertus est adventum meum in terra, dum esset in limbo, videns oculis mentis a Deo elevatis, Christum incarnari et nasci<sup>6)</sup> — *Et garitus est*, quod nimirum in mundum venisset redemptor, in quo benedicendi sunt omnes populi. Quo indicat, se Abrahamo longe majorem esse (Ad. Maier).

V. 57. *Judaei*, existimantes nimirum, Christum id dicere de corporali visione per oculos carnis coaevumque sese facere Abrahamo. — *Quinquaginta annos nondum habes*, et *Abraham vidisti* i. e. tu nondum aetatem virilem excessisti, quomodo

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Chrys., Theophyl., Euthym., Calm.

<sup>3)</sup> Kuinoel., Ad. Maier.

<sup>4)</sup> Mald., a Lap., Calm.

<sup>5)</sup> Kuin., Ad. Maier, Wilke lex.

<sup>6)</sup> A Lap., Mald. et recentiores.

ergo Abrahamum videre poteras, cum hic ante bis mille annos mortuus sit? Quum Christus tunc annum aetatis tricesimum excessisset (coll. Luc. 3, 1. 23.), quaeritur, qua ratione Judaei ei dicere poterant, ipsum nondum attigisse aetatis annum quinquagesimum? — Dixerant hoc, quia apud Judaeos annus aetatis quinquagesimus erat fixus aetati virili terminus<sup>1)</sup>.

V. 58. *Fieret i. e.* existeret, seu factus, aut natus est. — *Ego sum i. e.* fui et sum, quippe ab aeterno Deus. Praesens simul vim habet perfecti aut imperfecti<sup>2)</sup>. De voce εἰμί (sum) et γενέσθαι vid. 1, 6. —

V. 59. *Tulerunt ergo*, quia Christum, quum se Deo aequaliter faceret, blasphemum habebant. — *Lapides*, qui verosimiliter ibi ad aedificium aliquod reparandum ad manus erant. — *Ut jaccerent in eum i. e.* ut illum occiderent tanquam blasphemum (coll. Lev. 24, 16.). — *Abscondit se*, scil. invisibilem se reddendo (Mald.). — *Et exivit*, nimirum illaesus. — Sic hic idem patravit miraculum, quod Nazareti, quum eum Nazarethani de monte praecipitare vellent (cf. Luc. 4, 30.).

## **C a p u t   I X .**

Miraculosa coecigeni sanatione iterum Christus docet, se esse lucem mundi. —

### **1) Homo a nativitate coecus visum adeptus (v. 1—7.)**

V. 1. *Et praeteriens i. e.* et cum exiret de templo, aut: in suo e templo egressu (praeteriens locum, ubi coecus sedebat). — Particula: et (καὶ) indicat, miraculum hoc paulo post egressum e templo, (nimirum sabbato, quod festum tabernaculorum excipiebat) editum fuisse (cf. Mald.). — *Vidit*, scil. ad portam templi (uti act. 3, 2.), vel in via, quae ad templum ducebat. — *Coecum a nativitate*, qui scil. ibi stipem a transeuntibus postulabat.

<sup>1)</sup> Cf. Lighfoot., Kuin., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Beelen gramm. 283., a Lap.

Addit; a nativitate, ut appareat miraculi magnitudo in isto curando (Mald.).

V. 2. *Interrogaverunt discipuli, innixi nimirum falsae Judaeorum opinioni, qua putabant, quodvis malum physicum esse poenam peccati cuiusdam personalis.* — *Quis peccavit i. e. cuius culpa, peccato, factum est, ut hic coecus nasceretur.* — *Hic, quatenus jam in utero matris peccavit* (uti Judaeorum erat opinio, infantes jam in utero matris peccare posse, quam opinionem rabbini (cf. Kuinoel, Ad. Maier) defendebant, docentes malum affectum praevalere in homine jam a tempore formationis ejus), aut *quatenus peccata futura, a Deo praewisa, coecitate puniebantur* (uti Gen. 25, 23.). — *Aut parentes ejus, quia nimis Deus saepe peccata parentum in filiis punit.* Exod. 20, 5. „Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem“ (Cf. Exod. 34, 7; Deut. 5, 9.)<sup>1)</sup>.

V. 3. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut nimis coecus nasceretur* (quod ex praecedentibus supplendum est). — *Quibus non negat, parentes aut coecum hunc unquam peccasse, sed solum negat, coeci aut parentum peccata causam fuisse, ut ille coecus nasceretur* (a Lap.). — *Sed, coecitas scil. haec nunc juxta Dei voluntatem ad id inservit, seu ideo adest.* — *Ut manifestentur opera Dei in illo i. e. ut in eo per me curando Dei misericordia, documentaque ejus potentiae ac amoris elucerent.*

V. 4. *Oportet, scil. ex Patris decreto, tanquam ejus legatus.* — *Operari opera ejus i. e. facere, quae Pater per me fieri voluit in salutem hominum.* — *Per opera enim non solum sunt intelligenda miracula, sed omnia, quae Christus ex Patris voluntate facere debebat, ergo etiam omnia opera, quae ad hominum redemptionem edidit, v. c. restitutio et renovatio spiritualis et corporalis hominum vitae, ut per ea eluceret Dei misericordia, potentia et amor.* — *Donec dies est i. e. dum in hoc mundo inter homines vivo.* Per diem enim intelligi debet tempus vitae Christi, quo in hoc mundo cum hominibus versaturus erat (Mald.). — *Venit nox i. e. instat mihi mors.* Etiam apud scriptores exteriores nox est saepe imago mortis<sup>2)</sup>. — *Quando nemo potest operari*

<sup>1)</sup> Cf. a Lap.

<sup>2)</sup> Cf. Mald., a Lap.

i. e. post quam, sicut homines noctu ob tenebras operari non possunt, nil operabor eorum, quae ad salutem et redemptionem hominum pertinent (non homines publice docturus, nec miracula editurus, nec passurus).<sup>1)</sup>. —

V. 5. *Quamdiu sum in mundo* i. e. quamdiu in mundo inter homines versor. — *Lux sum mundi*, et ideo, quia lucis est illuminare, lucem ubivis inferre, hinc et hunc coecum illuminare debo. — Ergo futura coeci illuminatio occasionem dedit Christo, ut se diceret lucem mundi. — Ceterum, quomodo sit Christus lux mundi, videsis 1, 4. —

V. 7. *In natatoria* (εἰς χολυμβήθραν) i. e. in piscinam seu stagno (εἰς pro ἐν ut saepe). Cf. 5, 2. — *Siloë*. Graece Σιλωάμ, hebraice (Jes. 8, 6). לְוָה (participium passivum formae Kal juxta formam אִיּוֹב ab בְּאַיִל qui odio habitus est), quod evangelista h. l. recte vertit per ἀπεσταλμένος (missus), indicans, ipsum nomen stagni applicationem admittere respectu coeci (non Christi, qui erat κατ' ἔξοχὴν missus a Patre), qui eo fuerat missus. Septuaginta versores semper scribunt: Σιλωάμ, Josephus Flavius vero Σιλοᾶ vel Σιλωά. Fons Siloah, uti recentissimi eruditi docent, situs erat ad partem Hierosolymae orientalem versus austrum, atque ex eo emanabant duo rivi in duo stagna se effundentes, quorum alterum appellabatur stagnum Salomonis, alterum (inferius situ) vulgo stagnum Siloam dicebatur<sup>2)</sup>. — Quaeri posset: Cur Christus non statim sanaverit coecum, sed saliva luto mixta oculos ejus liniverit, et dein ad stagnum Siloah misserit? Jam antiqui interpretes bene respondent, Christum fecisse hoc, tum ut fidem et obedientiam coeci probaret<sup>3)</sup>; tum ut ista res esset symbolum coecitatis et sanationis hominis istius, quem ex una parte lutum oculis illitum, quod excaecat videntem, symbolum est coecitatis; ex altera vero parte, quem ablutione lutum, impedimentum visus, removetur, symbolice significabatur, divina Christi potentia coecitatem ab oculis coeci remotum iri<sup>4)</sup>. — *Abiit*, nimirum uti Christus praeceperat ad piscinam.

<sup>1)</sup> Cf. Mald., a Lap.

<sup>2)</sup> Cf. Calm., Ad Maier, Bucher.

<sup>3)</sup> Chrysost., Theophyl., Mald., Euthym.

<sup>4)</sup> Cf. Bucher.

## 2) Stupor hominum hac de re (8—11.)

V. 8. *Mendicus* ( $\pi\rhoοσαίτης$ , ita legendum et non  $\tau\omega\varphi\lambda\delta\zeta$ , uti nonnulli codices habent). — *Dicebant*, scil. postridie, elapso sabbati die.

V. 9. *Ille*, nimirum sanatus. — *Ego sum* i. e. ille idem coecus, qui sedebam et mendicabam.

V. 11. *Ille homo*; ita dicit, quia Jesum nonnisi ut pium hominem et prophetam agnoscebat. — *Jesus*. Nomen hoc didicerat vel ex communi fama, vel interrogando a circumstantibus (a Lap.).

## 3) Examen Pharisaorum (12—34.)

V. 12. *Ubi est ille?* Interrogant id, ut eum comprehendenderent atque apud synedrium ceu sabbati violatorem accusarent (Mald., Calm.). — *Ait*, scil. sanatus.

V. 13. *Ad pharisaeos* i. e. ad synedros, ut nimirum eo diligenter examinato et re accuratius perpensa, ipsi judicarent, num Christus violati sabbati reus esset. — Docent enim rabbini, uti farinam subigere die sabbati nefas erat, ita et illicitum erat ea die saliva linire oculos.<sup>1)</sup> Per pharisaeos sunt intelligendi h. l. synedri, nam infra (v. 18.) dicuntur Judaei, qui (coll. 5, 9.) sunt synedri. Memorantur vero pharisaei pro reliquis synedrii assessoribus, quia major pars synedrii constaret ex pharisaeis<sup>2)</sup>.

V. 14. *Erat autem sabbatum*. Hoc addit evangelista, ait s. Chrysostomus, demonstrans illorum malam mentem; quaerebant enim occasionem contra Jesum, ut eum ceu sabbati violatorem accusarent (a Lap.). —

V. 16. *Hic homo*, cum contemptu. — *A Deo* i. e. a Deo missus, seu legatus divinus. — *Non custodit* i. e. violat. — *Signa* i. e. miracula. — *Schisma erat inter eos* i. e. opinionum de Christo discrepantia.

V. 17. *Coeco* i. e. illi, qui antea coecus fuerat. — *Iterum*. Iterum iterumque interrogabant coecum synedri, Christo inimici, ex acerbo odio et invidia in eum, ut ex ore ejus aliquid eliciant, quo possent negare veritatem miraculi; illi vero, qui Christo fa-

<sup>1)</sup> Cf. Calm., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Kuin., Ad. Maier.

verent, iterum eum interrogabant, ut adhuc plura alia diceret, quo in sua de Jesu opinione confirmarentur.<sup>1)</sup> — *Dixit*, nimirum intrepide. — *Quia propheta est* i. e. eum esse a Deo missum, seu legatum divinum. Vox propheta debet h. l. sensu latiori sumi, quo denotet omnem a Deo missum seu legatum divinum; ergo id ac supra: ex Deo est (*παρὰ θεοῦ ἐστιν*).<sup>2)</sup>

V. 18. *Non crediderunt*; putabant scil., totam sanationem esse fraudem, hunc in finem compositam, ut hujus sanationis di-vulgatione Christi auctoritas cresceret. — *Ejus, qui viderat* i. e. qui visum receperat.

V. 19. *Eos*, scil. parentes, primo. — *Hic est filius vester*, ut nimirum primò constaret, utrum idonei essent ad ferendum testimonium. — *Quem vos dicitis, quia coecus natus est*. Est haec quaestio altera: an coecus natus sit. — *Quomodo videt* i. e. qua ratione curatus fuerit. — Tertiam hanc quaestionem pro-prouerunt synedri ideo, quia sperabant, parentes, si ad duo priora responderent affirmative, aliquid prolatus esse, quod divergeret a coeci narratione, quo tanto magis narrationem coeci suspectam reddere possent.

V. 21. *Nescimus*. Ob excommunicationis metum se tertium nescire simulabant (coll. v. 22.). — *Aetatem habet* i. e. adultus est et ideo legitimum de rebus suis testimonium exhibere potest.

V. 22. *Haec dixerunt . . .*, addit nimirum evangelista. — *Judeos* i. e. synedros, Christi inimicos. — *Conspiraverant* i. e. inter se constituerant seu decreverant.<sup>3)</sup> — *Eum* i. e. Jesum. — *Confiteretur esse Christum* i. e. pro Messia haberet. — *Ut extra synagogam fieret* i. e. e synagoga excluderetur seu excommuni-caretur. — Exclusio haec a synagoga (seu conventibus sacris) erat vel temporalis, vel perpetua. Quum adversarii Christi internecino odio eum prosequerentur, utique h. l. (uti 16, 2. et Luc. 6, 22.) de perpetua e synagoga exclusione cogitandum est. Postiores Judaei loquuntur de tribus excommunicationis generibus, nimirum de levissimo (לְקַטָּן dicto), quod per 30 dies durabat et a synagoga, ab uxoris et domesticorum consuetudine excludebat; dein de graviori (לְקַטָּן dicto), quod erat perpetua

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Mald.

<sup>3)</sup> Cf. Beelen gramm. 266.

exclusio a synagoga cum diris et maledictionibus conjuncta; et de gravissimo (**נַרְאָפֵךְ** vocato), quod erat exclusio a synagoga et populo judaico perpetua. Si jam illo tempore haec tria excommunicationis genera statuta erant, h. l. cogitandum est de altero.<sup>1)</sup>

V. 24. *Vocaverunt*, nimirum synedri, Christo inimici, quum e parentibus coeci nil elicere potuissent, quod ejus narrationem suspectam reddere posset. — *Da gloriam Deo*, nimirum simpliciter confitendo veritatem, eum tanquam omniscium et judicem agnoscens. Verba: da gloriam Deo, erant formula adjurandi aliquem ad veritatem confitendam, Hebraeis usitata (Jos. 7, 19.). — *Scimus*, nimirum certo. — *Peccator* i. e. sceleratus et impius,<sup>2)</sup> qui ideo tale miraculum patrare non potuit. Volebant hisce ex coeco elicere responsum, quo vel negaret, se a Christo curatum fuisse, vel diceret, se ficte et per praestigias curatum fuisse (a Lap.).

V. 25. *Si peccator est, nescio* i. e. utrum peccator sit, nec ne, nunc ea de re disputare vobiscum nolo.<sup>3)</sup> — *Essem*. Bene vertit Vulgata graecum *ων*, quia habet vim imperfecti. — *modo video*, nimirum ipsius beneficio.

V. 26. *Iterum*. Postulant iterum narrationem totius eventus, sperantes, hominem illum rem aliter, quam ante narraturum esse, ut adeo eum mendacem declarare possent, imitantes judices, qui solent eundem reum saepe de eadem re interrogare, ut videant, num sibi omnibus in rebus constet, ecquid evariet, et num vera, an falsa dicat (Mald.).

V. 27. *Et audistis*. In graeco; *καὶ οὐκ ἤκουόσατε* et non audistis i. e. et non credidistis, probastis. Id enim denotat h. l. verbum *ἀκούειν*.<sup>4)</sup> — *Audire* (*ἀκούειν*); h. l. sensu proprio. — *Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri*, scil. sicut alii et ego sum. — *Sunt verba irridentis*.

V. 28. *Maledixerunt ei*. Graece *ἐλοιδόρησαν αὐτὸν*, convitiati sunt ei, nimirum irritati tanta mendici libertate (Jans.). — *Et dixerunt* (*καὶ εἰπον*), nimirum sequentibus verbis ei convi-

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Matth. 5, 46; 9, 13.

<sup>3)</sup> Chrys., a Lap.

<sup>4)</sup> Cf. Kuinoel, Ad. Maier.

tiantes. — *Tu discipulus illius sis* i. e. esto tu discipulus illius peccatoris et impostoris, qui nullam a Deo habet missionem. In voce illius est emphasis. — *Mosis*, scil. melioris et sanctioris praceptoris (Mald.). — Versu sequenti causam addunt, cur Mo-sen paeferant.

V. 29. *Nos scimus*, scil. e s. literis. — *Quia Moysi locutus est Deus*, nimirum facie ad faciem (cf. 1, 18.), ut proinde dubitari nequeat, eum a Deo missum seu prophetam fuisse. — *Unde sit* i. e. a quo missus sit, quod idem est ac: non est a Deo missus. Ita explicanda esse verba: *unde sit*, poscit antithesis cum Mose (Mald.).

V. 30. *Respondit*, nimirum intrepide, nihil turbatus synedrorum effato. — *In hoc enim mirabile* i. e. hoc profecto mirabile est; ἐν τούτῳ ex hebraismo pro τοῦτῳ; vel ἐν τούτῳ scil. μερεῖ (ex hac parte, coll. 2 Cor. 3, 10.).<sup>1)</sup> — Particula γὰρ h. l. habet vim asseverationis: *profecto*. — *Quia vos nescitis, unde sit* i. e. vos doctores et legisperitos ignorare, eum esse a Deo missum, et dicere, eum esse peccatorem. — *Et aperuit oculos meos* i. e. cum tanta patret miracula et me coecum natum illuminarit.

V. 31. Versu hoc ex communi hominum opinione probat, eum non posse peccatorem esse. — *Scimus*, nimirum nos inferioris ordinis homines ex communi et publica hominum opinione. — *Quia peccatores Deus non audit* i. e. quia peccatores auxilio suo non adjuvat.<sup>2)</sup> — *Sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit . . . , hunc exaudit* i. e. sed solummodo piis auxilio suo succurrit (cf. a Lap.).

V. 32. *A saeculo* i. e. a mundo condito, seu ab hominum inde memoria (seu nunquam).

V. 33. *A Deo*, scil. missus, et Dei auxilium ei adesset. — *Non poterat facere quidquam* i. e. nil ejusmodi efficere posset. — Unde sponte consequitur conclusio, Jesum non esse peccatorem, sed cultorem Dei.

V. 34. *Dixerunt*, nimirum synedri per hanc coeci liberam de Jesu professionem in rabiem acti. — *In peccatis natus es* i. e. jam ante nativitatem infectus eras peccatis vel propriis, vel parentum in sequelis eorum. — *Totus* i. e. quantus es (cf. v. 2). —

<sup>1)</sup> Cf. Kuinoel.

<sup>2)</sup> Coll. Jes. 1, 15; 59, 1. Prov. 15, 29; 28, 9. Job. 27, 9.

C. 1x. v. 30 - 39.

*Tu, qui scil. totus quantus es, scates peccatis. — Nos, scil. doctores populi. — Ejecerunt, nimirum indignatione vel ipsi, vel apparitorum ope. — Foras i. e. e conclavi, in quo tunc erant (Mald.). Quum hic simul discipulus Christi esset, non est improbabile, eum postea etiam ex synagoga ejjectum fuisse.*

#### 4) Sermones Christi cum sanato (35—41.).

V. 35. Christus coecum a Judaeis ob sui confessionem ejectum benigne suscipit, ejusque constantiam remunerat, ideoque eum, qui ipsum credebat esse prophetam, nunc ad fidem in se Messiam perducere volebat (a Lap.). — *Tu credis* i. e. credisne? — *In Filium Dei* i. e. in Messiam. Nam id denotant verba: Filius Dei. Alii verba sumunt sensu proprio, quum id ob miraculum in ipso patratum conjicere poterat. Loco: *Filium Dei* (*νίδοντοῦ θεοῦ*) in nonnullis codicibus et versionibus legitur: *filium hominis* (*νίδοντοῦ ἀνθρώπου*), quae lectio inde orta est, quia Christus vulgo se ita insignire solebat.

V. 36. *Quis est*, scil. Filius Dei seu Messias? Rogat hoc, quia Jesum prophetam quidem habebat (coll. v. 17.), sed nondum Messiam. — *Ut credam in eum*. Verbis his indicat, se paratum ad credendum esse (Mald.).

V. 37. *Et vidisti eum*, nimirum nunc, quum se tibi, quando te invenerat (coll. v. 35.), videndum obtulit (nam antea eum, ut pote coecus non viderat).<sup>1)</sup> — Christus non dicit, ut mulieri Samaritanae (4, 27.): *ego sum*. Verosimiliter hic ideo ita loquitur, ut oratio vehementior esset et efficacior (Mald.).

V. 38. *Ille*, scil. sanatus. — *Credo*, nimirum te esse Messiam, Dei Filium. — *Adoravit*, nimirum cultu latriae, qualis unum Deum decet, non mera civili veneratione (August.).

V. 39. *Dixit Jesus*, nimirum permotus fidei promptitudine coeci et pertinacia synedrorum. — *In judicium ego in hunc mundum veni* i. e. veni in mundum, ut faciam discretionem hominum, seu ut discernam (sejungam) homines, nimirum credentes et incredulos (cf. 3, 17. a Lap., Jans.). — *Ut* i. e. ita videlicet, ut. *Vel particula εἰς* (in εἰς χρήμα) est uti *ἴγα* (ut) in altera parte de

<sup>1)</sup> Mald., Maier.

eventu explicanda juxta Hebraeorum loquendi modum, qui auctorem dicere solent rei alicujus, aut eventus, quem vel solummodo permisit, vel cuius tantum occasionem praebuit, ut h. l.; nam finis adventus Christi in hunc mundum non erat, ut homines excaecentur et ita salute excidant aeterna, sed eorum vitio, quia eum lucem mundi spreverunt, factum est, ut animo excaecarentur (cf. Luc. 2, 34). — *Qui non vident* i. e. humiles, miseriae suae spiritualis, ignorantiae rerum divinarum et perversitatis suae concii suamque miseriam et ignorantiam agnoscentes. Nam non videntes sunt iidem ac pauperes spiritu (Matth. 5, 3). — *Videant* i. e. fidei lumine illustrentur. — *Qui vident* i. e. superbi, suo judicio omnibus sapientiae thesauris se abundare opinantes, et propterea me lucem mundi respuentes (cf. Matth. 11, 25). — *Caeci fiant* i. e. ignorantia rerum divinarum animo excaecentur.<sup>1)</sup>

V. 40. *Pharisaeis*, qui verosimiliter interea accesserant et Jesum de animi coecitate loquentem audierant. — *Dixerunt ei*, nimirum indignabundi, cum probe intelligerent, se verbis Jesu tangi et notari. — *Numquid et nos coeci sumus* i. e. numne et nos, qui legis peritia excellimus, in numero animo coecorum ponas (Mald.).

V. 41. *Si coeci essetis* i. e. si vos rerum divinarum ignaros et miseria spirituali laborantes, peccatores esse humiliter agnoscetis. — *Peccatum non haberetis* i. e. peccatis onerati non essetis, quia nimirum ad me spirituale medicum venientes et in me credentes, per me a peccatis liberaremini<sup>2)</sup>. — *Peccatum* h. l. (ut 8, 21.) est collective sumendum. Ad verbum: *haberetis* respectu ad 8, 21. et 24. supplendum est: manens scil. peccatum (*μένοντας*). Cf. Ad. Maier — *Dicitis*, scil. apud vos i. e. putatis. — *Videmus* i. e. quod vos omnibus sapientiae thesauris abundare opinamini et ideo me medicum spirituale spernitis. *Peccatum vestrum manet* i. e. in peccatis vestris permanebitis, seu (coll. 8, 24.) peccatis onerati moriemini. — Minus recte nonnulli versum hunc ita explicant; Si revera ignorantes essetis, neque legissetis scripturas, non haberetis tam grave peccatum,

<sup>1)</sup> Cf. Jans., a Lap., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> August., Beda, Mald., Ad. Maier.

si me Messiam non agnosceretis; ast quum vos ipsi jactatis scientiam scripturarum et signorum temporis, ut de Messiae adventu et persona optime judicare possitis, ideo peccatum vestrum incredulitatis semper manet in vobis sine ulla venia, aut excusatione<sup>1</sup>). *Dobroje apposal er. Florjan den 1881 Nov 20  
al rekkers R poesey songen haer —  
nur nicht so oberflächlich, und nun also denksamkeit ausserordentliche  
nicht so dumm mi*

## Caput X.

### 1) Bonus pastor et mercenarius (v. 1—21.)

V. 1. Parabola haec de bono pastore intime cohaeret cum fine capitis praecedentis. Quum nimirum pharisaei superbia sua et incredulitate se ipsos excluderent a salute, consequenter nunc in hac parabola docet, eos non posse amplius doctores et rectores populi esse, indirecte simul significans, eos hucusque nunquam veros doctores (pastores) fuisse. — Ipsa parabola constat duabus partibus; in prima parte (v. 1—9) docet, quis sit verus doctor in regno Dei; in altera (10—21.) facit comparationem bonum inter et malum pastorem. Parabola ipsa deprompta est a modo, quo greges huc illuc migrantes solent in oriente custodiri. Ne nimirum damnum patiantur per latrones aut bestias, saepe plures pastores greges suas agebant in locum seu spatium muro cinctum, ovile dictum. Ad januam servus (janitor) excubias agebat, qui solummodo notis januam aperuit; surigitur aut latro aliunde scandere debebat. Sub mane veniebant ad ovile pastores, qui cum familiis suis in tabernaculis habitabant; quisque eorum vocabat nominatim arietem, gregem ducentem, qui agnoscebat vocem pastoris sui; pastor antecedebat et aries sequebatur eum cum universo grege<sup>2</sup>). — *Ostium*. Per ostium non est intelligenda s. scriptura<sup>3</sup>), nec legitimus ordo, verus modus perveniendi ad munus doctoris coetus<sup>4</sup>), sed ex

<sup>1)</sup> Jans., Menoch., Bucher.

<sup>2)</sup> Cf. Ad. Maier, Bucher.

<sup>3)</sup> Chrysost., Euthym., Theophyl.

<sup>4)</sup> Mald.

plicante ipso Christo (v. 7. 9.) intelligendus est ipse Christus<sup>1</sup>). *Ovile.* Per ovile, quod erat locus subdialis, muro cinctus, intelligendus est populus Israël (coll. v. 16.), et praeprimis illa populi hujus pars, quae melioris institutionis cupida, apta erat, ingredi in novum regnum Dei spirituale. — *Aliunde* i. e. non per ostium. Sensus est: Qui in me non credit et a me missus non est, non est legitimus doctor et rector coetus divini. — Tales jam fures et latrones erant pharisaei, quibuscum nunc Christus loquebatur, et generatim tota eorum secta, respectu tum Christi, tum ipsius coetus Dei. Respectu Christi, quia eum spernentes, non per eum ingressi, non ab eo missi fuerant; respectu coetus Dei, quia perniciose eum regebant, docentes non doctrinas divinas, sed humanas, eum a fide in Christum detinentes atque in eo commodum suum unice quaerentes<sup>2</sup>).

V. 2. Sensus: Qui vero in me credit et a me missus est, est verus (legitimus) doctor et rector coetus Dei.

V. 3. *Ostiarius*, in applicatione non est Moses (Chrys.), nec angelus custos, qui universo coetui praeest (Cyrill.), nec Christus, sed vel Spiritus s., vel Deus Pater (Mald.). — *Aperit.* In applicatione: quatenus Pater homines gratia sua apertos reddit ad doctrinas doctoris a Christo missi fide tenendas (cf. 6, 37. 39. 44.); vel quatenus Spiritus s. tam ipsum doctorem interne illustrat et corroborat, quam eos, quos instituit (act. 20, 28. 1 Cor. 12, 4. seq.). — *Et oves vocem ejus audiunt* i. e. sicut oves ex consuetudine et pastorali cura ac benevolentia pascendi agnoscunt suum pastorem ejusque vocem sentiunt et quid ille velit, intelligunt, illudque ei obediendo faciunt, ita et illi ex populo Dei, qui veritatis divinae et probitatis cupidi et studiosi sunt libenter Christum et doctores ab ipso missos tanquam legitimos doctores agnoscunt eorumque vocem audiunt illique per omnia obediunt. — *Verbis:* Et oves vocat nominatim et educit eas (scil. ad pascua), sicut iis, quae v. 4. leguntur, indicatur familiaris necessitudo pastorem inter et oves; qualis etiam inter doctorem et eos, quos instituit, esse debeat<sup>3</sup>.

<sup>1)</sup> August., Cyril., Greg. M., Calm., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> A Lap., Calm.

<sup>3)</sup> Cf. a Lap.

V. 5. *Alienum* dicit loco: furem aut latronem, ut pharisaeorum, quos hoc nomine innuebat, relationem ad coetum Dei mitius designaret.

V. 6. *Proverbium* i. e. parabolam. Vox graeca παροψία (quam nonnulli derivant a voce οἴμος via, alii ab οἴμη cantus) primo est omne figurate dictum, etiam sententiose, aenigmatisce dictum (absque imagine Sir. 6, 35. Prov. 1, 1.); dein quodvis obscurius dictum, quo aliud ad docendum aptum adumbratur (uti 16, 25. 29.); tandem proverbium (2 Pet. 2, 22.); h. l. vero id ac vox παραβολή parabola stricto sensu<sup>1</sup>). — *Eis* i. e. pharisaeis (legisperitis) adstantibus. — *Illi non cognoverunt, quid loqueretur eis* i. e. non intellexerunt, quid sibi vellent illa Christi verba.

V. 7. *Ostium ovium* i. e. (coll. v. 1.) ostium, quod dicit ad oves, seu ad ovile, in quo oves habitant (Ad. Maier).

V. 8. *Omnes, quotquot venerunt*. In codicibus graecis optimis adhuc legitur: πρὸ ἐμοῦ (ante me), sensusque est: omnes, qui, antequam ego Messias et doctor prodii, et qui temporibus meis doctores populi fuerant (plerique pharisaei et legisperiti). Ita, non vero de hominibus, qui sibi Messiae dignitatem arrogassent (quum tales ante Christum extitisse, probari non possit), sunt verba haec intelligenda. — *De Mose et prophetis V. T. ea explicari non posse, inde patet, quod hi omnes ab ipso missi erant*<sup>2</sup>). — *Fures sunt et latrones* i. e. sunt perditores populi, qui ab eo non missi eumque Messiam spernentes, populū ut fures ipsi surripiunt et perdere conantur (a Lap.)<sup>3</sup>). — *Sed non audierunt eos oves*. Per oves sunt intelligendi Judaei veri amantes, pietatis studiosi, qui quamvis pharisaei summpere eos a Christo avertere niterentur, in eum credebant, non obtemperantes verbis eorum.

V. 9. *Ego sum ostium*. Repetit eandem sententiam confirmandi et explicandi causa. — *Introierit*, scil. in ovile i. e. qui in me crediderit et a me missus fuerit. — *Salvabitur*; in imagine respectu ovium: tutus erit a latronibus et bestiis; in applicatione: servabitur a judicio (condemnationis) et morte aeterna, habebit-

<sup>1)</sup> Cyril. Alex., Euthym.

<sup>2)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Cf. Matth. 23, 13. seq.

que vitam aeternam (coll. v. 10.). — Considerantur hic pastores ut oves. — *Et ingredietur etegredietur et pascua inveniet i. e. (in applicatione): tanquam fidelis Christi sub ejus ductu secure versabitur et cibum inveniet spiritualem (doctrinae sanae et sacramentorum) vitae aeternae (cf. ps. 22.)<sup>1)</sup>.* — Ingredi et egredi est formula hebraica, quae significat vel totam hominis conversationem, omnem vivendi et agendi rationem hominis (Num. 27, 17. act. 1, 21.)<sup>2)</sup>. —

V. 10. Nunc transit Christus a parabola ovilis ad parabolam *pastoris*. — *Nisi ut suretur, mactet et perdat i. e. sui commodi causa; in applicatione: pharisaeorum agendi ratio est similis agendi rationi furum et latronum, qui suum commodum quaerentes, hominibus viam ad salutem occludere et ita eos aeternum perdere volunt. — Ut vitam habeant, tum gratiae (justificationis), tum gloriae (Mald.). — Et abundantius (graece περισσὸν abunde) habeant, i. e. abundantem, scil. gratiis, donis spiritualibus, benedictionibus, solatiis etc.<sup>3)</sup>.*

V. 11. *Bonus* i. e. optimus et praestantissimus, unice hoc nomine dignus. In graeco enim utrique voci ποιὴν et χαλός additus est articolus, et χαλός h. l. est idem ac ἀληθινός (cf. 1, 9.). — Christus est simul exemplum omnium pastorum spiritualium; quare cuilibet pastori inspiciendus est pastor Christus, ut eum imitatus oves (fideles) pascat, eas agnoscendo, ducendo ad pascua meliora, eis virtutis exemplo praeceundo, fugando ab eis omnes homines eis noxios (lupos, serpentes); eas infirmas consolidando, aegrotas sanando, confractas alligando et errantes reducendo, eis continuo invigilando, imo pro eis tuendis vitam suam periculo exponendo<sup>4)</sup>. — *Animam dat* i. e. vitam depone, seu mortem obire paratus est (et quidem sponte). Formula φυχὴν τιθέναι, latinorum: animam deponere, quae solum apud Joannem occurrit (13, 37.38; 15, 13.1 Joan. 3, 16.), significat: vitam ponere seu mortem subire paratum esse, et quidem voluntarie<sup>5)</sup>. — *Pro ovibus suis* i. e. ovium salutis causa. Prae-

<sup>1)</sup> Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Massl.

<sup>3)</sup> Massl., a Lap., Ad. Maier.

<sup>4)</sup> Cf. a Lap.

<sup>5)</sup> Mald., a Lap., Ad. Maier.

positio ὑπερ (pro) h. l. in commodum (zum Besten). Cf. 6, 51. (52.).

V. 12. *Mercenarius* est pastor ovium a domino gregis mercede conductus. Per mercenarium h. l. Christus intelligit quemvis doctorem, qui officio suo mercedis sui*que* commodi causa fungitur (Greg. M.); speciatim autem intelligendi sunt pharisaei. — *Qui*. Graece οὐαὶ; quod vero h. l. id ac δέ (qui). *Pastor*, cuius non sunt oves propriae i. e. qui non est talis pastor, ut simul esset gregis dominus, cuius quaerat salutem. — *Lupum*. Per lupum significatur quodvis grave periculum, fidelibus imminens, sive a diabolo (Euthym. coll. Matth. 13, 25. 39). sive ab haereticis, sive ab aliis hominibus sceleratis, qui fideles verbo vel exemplo rapere et pervertere student (a Lap.). „*Diabolus*, ait s. *Gregor.*, rapit oves, cum hunc ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accedit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit; hunc invidia stimulat, illum in fallacia supplantat“. — *Fugit*, quia nimis non oves diligit, sed suum lucrum quaerit, et ideo non vult vitae ingruere periculum (Greg. M.). — Tali mercenario similis est pastor fidelium, qui ob metum temporalis damni, seductores fidelium in coetu suo non increpat et arguit, sed negligenter dama*na* gregi inferri patitur. — Quando pastori fidelium fugere liceat, docet s. *Augustinus* (in epist. ad Honoratum), cuius sententiae summam *Maldonatus* hisce proponit: Primum, quando ipse (sacerdos) privatim ab adversariis quaeritur, et sunt alii, qui possint pro illo sacramenta populo ministrare. Secundo, quando omnes ejus oves fuga dissipatae sunt. Tertio, quandocumque plus fugiendo, quam manendo juvare potest (in Matth. 10, 23.).

V. 13. *Quia mercenarius* est i. e. quia solam mercedem spectat. — *Et non pertinet ad eum de ovibus* i. e. et non admodum curat ovium alienarum salutem; (quare, quum vitam suam magis curat, quam oves alienas, veniente lupo fugit, ut vitae suae consulat).

V. 14. Idem repetit Christus, ut ostendat, conditiones boni pastoris sibi convenire (Mald.). — *Cognosco oves meas* i. e. cognosco fideles meos, qui et quales sint, eosque pro meis agnoscō et amo. — *Etiam notio amoris tenenda est in verbo cognoscō*

seo (*γνώσκω*), sed non exclusive (cf. 2 Tim. 2, 19.)<sup>1)</sup>. — *Et cognoscunt me meae* i. e. et ita vicissim fideles me cognoscunt, agnoscunt et amant ut verum, optimum suum pastorem, qui eorum tantum curat salutem.<sup>2)</sup> Loco verborum: et cognoscunt me meae (*καὶ γνώσκουσι με τὰ ἔμπα*) codices graeci quidam habent: *καὶ γνώσκομαι ὑπὸ τῶν ἔμπων* (et cognoscor a meis). In sensus substantia nulla datur diversitas; videtur prior lectio a librariis facta ob statim sequentia verba.<sup>3)</sup>

V. 15. *Sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem* i. e. ita ego cognosco oves meas (fideles) et oves meae cognoscunt me, sicut Pater me cognoscit et ego Patrem. — Ceterum per se patet, particulam *sicut* (*καθὼς*) significare similitudinem tantum, non aequalitatem; nam Pater modo infinito, absoluto cognoscit Filium aequa ac Filius Patrem, qui eadem natura divina praeditus est (a Lap.). — *Et animam meam pono pro ovibus meis* i. e. brevi mortem pro eis subibo. Est praedictio mortis ipsius, non coactae, sed voluntariae ex summo erga oves amore (dicit: pono, *τιθημι*). Cf. v. 18.

V. 16. *Alias oves*, scil. gentiles, et quidem illos, qui prompti et dispositi sunt ad ingrediendum in ejus ecclesiam, quos vero, quamvis nondum essent fideles, per anticipationem dicit oves suas, uti postea eos nominat filios Dei (11, 52.), quia aliquando credituri erant et ut fideles in ecclesiam ejus aggregandi (Mald.), et quia *ut λόγος* etiam gentilium doctorem et rectorem se praestitit, variis modis eos ad se cognoscendum ducens et quosdam eorum modo singulari collustrans (cf. 1, 9—12. et act. 14, 15. 16.). — *Ex hoc ovili*, scil. populi judaici, seu ecclesiae V. T. (Aug.). — *Oportet*, nimirum juxta aeternum Patris decretum (cf. 3, 15. Eph. 3, 6.). — *Adducere*, nimirum ad ovile meum seu ecclesiam meam, nempe per discipulos meos. — *Vocem meam audiunt* i. e. voci meae per ora apostolorum loquenti obedient et in me credent. — Hoc dicto tacite pungit Judaeos, qui Christo praedicanti credere nolebant (a Lap.). Praedicit porro hisce Christus vocationem et conversionem gentilium. — *Et fiet unum ovile et unus pastor*. Sensus non est: et omnes homines,

<sup>1)</sup> Cf. a Lap. Beelen gramm. 277.

<sup>2)</sup> Cf. Jans.

<sup>3)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

C. X. v. 18 - 19.

omnes Judaei et gentiles ad Christum convertentur, et ita omnes sub uno erunt pastore (coll. Rom. 11, 25. 26.); sed, quia in immediate praegressis locutus est Christus de illis ex judaismo et ethnicismo, qui veri amantes pietatisque studiosi, prompti sint ad ingrediendum in ejus ecclesiam, sensus est: Judaei et gentiles, veri amantes pietatisque studiosi, destructo, per me medio pariete (Eph. 2, 14.), quo nunc in duos sibi inimicos populos divisi erant, unusque populus reddit, in me credentes, erunt unum ovile, una ecclesia, sub uno pastore (me, meoque vicario).<sup>1)</sup>

V. 17. *Propterea* i. e. propter hanc causam. Loquitur ut homo, cuius diligendi plures fuerunt causae Deo Patri (Mald.). — *Quia*, nimirum juxta mandatum ejus (coll. v. 18.). — *Pono animam meam* i. e. mortem subiturus sum. — Ergo causa amoris Patris est Christi obedientia Patri, qui decrevit, ut mortem per passionem et crucem subeat, praestita. — Attamen dum dicit: *pono animam meam, innuit, se mortem non invite, sed voluntarie subiturum esse*, quod versu sequenti claris verbis docet (cf. Matth. 26, 24.). — *Ut iterum sumam eam* i. e. ita tamen, seu sub hac conditione, ut ex morte ad vitam redditurus sim.<sup>2)</sup> Ita debet particula *ut (iva)* explicari, non autem ecbatice (de eventu) sumi (Euthym.).

V. 18. *Eam* i. e. vitam. — *A me*, scil. invito ac nolente. — *Sed ego pono eam a meipso* i. e. sed ego sponte eam trado, quando et quomodo volo. — Sic explicat et confirmat, quod supra dixit: *ego pono animam meam*. — *Potestatem habeo*, scil. plenam et liberam. — *Ponendi eam* i. e. vitam tradendi (seu moriendi). — *Et sumendi eam*, nimirum per gloriosam resurrectionem (seu resurgendi). Vid. 2, 19. — *Hoc mandatum*, scil. ponendi animam meam; quod tamen non fuit invito, sed volenti et consentienti datum (Jans.). — *Accepi*, nimirum ut homo; nam ut Deo Pater illi non imperat (Calmet). Unde apostolus (Phil. 2, 8.) scribit: „factus obediens (scil. Patri mandanti) usque ad mortem, mortem autem crucis.”

V. 19. *Dissensio* i. e. dissidium. — *Iterum*. Respicitur ad ea, quae 9, 16. leguntur.

<sup>1)</sup> Cf. Mald., a Lap.

<sup>2)</sup> Rosenmüller, Ad. Maier.

V. 20. *Daemonium habet* i. e. a daemone obscessus est. — *Et insanit* i. e. et ideo ejus instinctu verba insanientis loquitur (cf. 8, 48; 7, 20.). —

V. 21. *Alii, nimirum judicantes ex Christi sermonibus, sed etiam ex facto ejus praegresso* (c. 9.). — *Coeorum oculos aperire* i. e. extinctum lumen oculorum restituere? Quasi dicant, non potest, quod ergo superest, divina virtute hoc factum est in coeco nato (Menoch.). —

## 2) Disserit Jesus de sua ad Patrem relatione (22—42.).

V. 22. *Facta sunt* i. e. celebrata sunt. — *Encaenia* ( $\varepsilon\gamma\chiai-$   
 $\nu\alpha$ ) i. e. festum dedicationis templi. Festum hoc celebrari consuevit die 25. mensis Casleu (Decembri) per octo dies in memoriam dedicationis ( $\tauοῦ \varepsilon\gamma\chiαινισμοῦ$ ) et repurgationis ( $\tauοῦ$   
 $\chiαθαρισμοῦ$ ) templi et altaris a rege Antiocho Epiphane profanati, eratque a Juda Maccabaeo institutum (1 Macc. 4, 56, 59; 2 Macc. 10, 6—8.). Quamvis Judaei non tenerentur Hierosolymam ire ad festum hoc celebrandum, Dominus tamen cum discipulis suis petiit urbem atque templum adiit. — *Hiems erat* i. e. tempus pluviae. Hoc addit, ut constet, cur Jesus non sub dio, sed in tecta porticu Salomonis egerit.

V. 23. *Et, scil. ideo.* — *In templo* ( $\varepsilon\nu \tauῷ \iota\sigma\tauῷ$ ). Cf. 7, 14. *In porticu Salomonis.* Erat haec porticus locus tectus et columnis instructus in parte templi orientali, in atrio gentilium. Quum haec porticus, quae in devastatione templi illaesa mansit, esset opus Salomonis, ideo etiam porticus Salomonis dicebatur<sup>1)</sup>.

V. 24. *Circumdederunt* i. e. cinxerunt, nimirum quamprimum resciverant, eum esse in templo. — *Judaei* i. e. synedri. *Quousque animam nostram tollis* i. e. quousque nos tenes animo suspensos? Nam  $\tauὴν \psiυχὴν αἴρειν$  est tropice: suspensum animo tenere aliquem<sup>2)</sup>. Philo verbum  $\alphaἴρειν$  habet synonymum verbi  $\muετεωρίζειν$ , quod praeter: in altum tollere, etiam notat suspensum, dubium tenere<sup>3)</sup>). — *Christus* i. e. Messias. — *Palam*

1) Jos. Flav. antiq. XX, 9, 7. Rosenmüller, lex. Wilke.

2) Kuinoel, lex. Wilke.

3) Cf. Kuinoel, Ad. Maier.

(παρόγησίq, adverbialiter positum) i. e. aperte, sine orationis involucris. Simulant hisce verbis bonam mentem; sed volunt iis Christum inducere, ut, aperte se Messiam profitendo, eum perderent<sup>1)</sup>.

V. 25. *Respondit eis*, non directe, quum mala eorum consilia cognovit, sed indirecte, provocando nimirum ad ea, quae jam repetiti s vicibus de se dixerat, et ad opera sua. — *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me*; cf. 5, 36. — *In nomine Patris mei* i. e. jussu et voluntate, vi ac potentia Dei Patris (quae dedit mihi Pater 5, 36.).

V. 26. *Non creditis*, nec verbis, nec factis. — *Quia non estis ex oribus meis* i. e. quia non habetis animum docilem, non estis veri amantes pietatisque studiosi, et ideo non vultis mihi quasi pastori subjici et me pro Messia et Salvatore agnoscere (coll. v. 29. et 8, 23. 27.). — Pro δτι οὐχ quidam codices habent οὐ γὰρ sensu eodem manente. — Verba χαθώς εἰπον δὺν, quae in nonnullis codicibus leguntur, a grammaticis adjecta esse videntur, ut docerent, Jesum v. 27. respexisse parabolas, quae in prima hujus capitinis parte leguntur (Kuinoel).

V. 27. *Oves meae* i. e. qui animum docilem habent, veri amantes pietatisque studiosi sunt (v. 3.). — *Vocem meam audiunt*; cf. v. 3. — *Cognosco* (γινώσκω αὐτὰ); cf. v. 14. — *Sequuntur me*, nimirum me pastorem, me Messiam agnoscendo et exemplum vitae meae imitando.

V. 28. *Vitam aeternam*; cf. v. 10. — *Do*, scil. in praemium. — *Non peribunt in aeternum* i. e. vitabunt damnationem aeternam, in quam adversarii filios Dei (fideles meos) ruere student (Ad. Maier). — *Et non rapiet eas quisquam de manu mea* i. e. nulla vis hostilis eos perdere poterit, nimirum me illos custodiente et protegente. De manu mea dictum pro mihi ( $\epsilon\muο\iota$ ); cf. 3, 35. Nunc v. 29. probat, neminem posse oves rapere de manu ejus.

V. 29. *Pater, quod dedit mihi, majus omnibus est* i. e. quod Pater mihi gignendo dedit, scilicet natura divina et potestas, omnibus rebus creatis est major (a Lap.) — *Et nemo potest rapere de manu Patris mei* i. e. ideo nemo potest eas violenter eripere ei, ac proinde nec mihi, qui (coll. v. 30.) eandem cum

<sup>1)</sup> Aug., Chrys.

Patre habeo naturam divinam, hinc et eandem potestatem (a Lap.). Loco: ὁ δέδωκεν μοι, μετόν (quam lectionem praeter Vulgatam aliae versiones et Patres plures sequuntur) codices praestantissimi habent ὁς δέδωκε (scil. coll. v. 28. αὐτα (oves), μετόν (major i. e. potentior) πάντων (omnibus scil. adversariis, qui oves mihi eripere, oves meas perdere student). — Stante altera lectione respectu phrasis: dedit mihi, vid. 6, 37. —

V. 30. *Unum sumus*, scilicet in natura (essentia, coll. v. 38.), et consequenter in potestate et voluntate (cf. 5, 19.). Notant s. Patres, unum (έν) designare identitatem naturae seu essentiae; sumus (ἐσμεν) vero distinctionem personarum (cf. a Lap.). — Ita et Judaei (coll. v. 31.) verba Christi acceperunt, quum visus est eis blasphemasse, quod nullo modo judicassent, si tantum significatam existimassent concordiam voluntatis (uti Ariani et moderni rationalistae).

V. 31. *Sustulerunt iterum*; vid. 8, 59. — *Ut lapidarent*, quasi blasphemum, eo quod Deo Patri se aequaret.

V. 32. *Respondit* i. e. eos allocutus est (nulla enim quaestio praecesserat.) — *Opera bona* i. e. opera praeclara, per quae sunt varia ejus miracula intelligenda. — *Ostendi* i. e. conspicienda exhibui seu praebui (cf. 2, 18. Math. 16, 1.). — *Ex Patre meo* i. e. quae fiunt ex voluntate et potentia Patris (coll. v. 25.), quae autem operatur per Filium. — De phrasi ἐξ τοῦ πατρός et διὰ τοῦ νίδου vid. 1, 3. — *Lapidatis* i. e. vultis me lapidare<sup>1)</sup>.

V. 33. *De bono opere* i. e. propter bonum opus (περὶ id ac διὰ). — *Lapidamus* i. e. volumus te lapidare. — *Et; καὶ* h. l. est exegeticum: nimirum. — *Facis te Deum* i. e. praedicas te Deum.

V. 34. Ut Judaeorum criminacionem (scil. se esse blasphemum) repelleret, provocabat Christus primum ad locum scripturae s., ostendens, se vi suae a Patre acceptae destinatio-  
nis nomine illo, quo Judaei offenduntur, jure compellari posse, argumentans a minori ad majus. In psalmo 81. (82, 6., in quo Deus judices injustos severe adhortatur, ut recte judicent, ii tanquam vicarii Dei compellantur dii (ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes)<sup>2)</sup>). — Locum jam hunc adhibet Christus ad re-

<sup>1)</sup> Cf. Beelen gram. 280.

<sup>2)</sup> Cf. Exod. 21, 6; 22, 8. 28. ps. 88, 28.

pellendam a se blasphemiam. — *In lege vestra* i. e. in scriptura V. T., quae a vobis, ut gloriarnini, summi habetur. Lex (*νόμος*) hic (ut saepe alias 12, 34; 15, 25.) totam scripturam V. T. denotat.

V. 35. *Dixit*, nimirum scriptura. — *Illos*, nimirum judices, qui nihil aliud erant, quam homines et quidem peccatores. — *Factus est*, scil. in illo psalmi loco. — *Solvi* i. e. everti, irrita reddi (cf. Matth. 5, 17.)

Hoc V. 36. *Sanctificarit* i. e. ad Messiae munus destinavit, seu Messiae munus demandavit (Mald., Ad. Maier). Nam *ἀγιάζειν*, quod proprie notat: ab usu communi segregare et usui sacro destinare, saepe notat etiam: *deligere, destinare aliquem ad munus sacrum obeundum*. Ita dicitur in V. T. de prophetis (cf. Jerem. 1, 5. Sir. 45, 4.), h. l. sensu eminenti de destinatione ad munus Messiae. Ceterum Messias *χατ' ἐξοχήν* dicebatur sanctus Dei, *ἄγιος τοῦ θεοῦ* (cf. 6, 70.). — Sensus versuum 35. et 36. est: Si judices, qui meri sunt homines et peccatores, quia sunt vicarii Dei, in s. scriptura vocantur *dii*, quomodo me, cui Pater Messiae munus demandavit, et ideo in mundum misit, blasphemiae accusatis, si me Dei Filium dixerim?

V. 37. Me autem Dei Filium esse sensu proprio i. e. unum cum Patre (coll. v. 30.), probant ipsa opera. — *Opera Patris*; vid. 5, 19. — *Mihi*, scil. asserenti, seu meis verbis.

V. 38. *Facio*, scil. opera Patris mei. — *Si mihi* i. e. verbis meis. — *Operibus credite* i. e. ea agnoscite tanquam manifestations divinae potentiae et majestatis (cf. 5, 31. 32; 8, 18.). — *Ut cognoscatis*, scil. ex operibus. — *Et credatis* (*χατίσκητε*); cf. 6, 69. — *Pater in me et ego in Patre*, nimirum per naturam (essentiam). Pater est in Filio cum sua essentia, ac consequenter etiam cum sua voluntate et potestate; et Filius est in Patre, quia ejus essentia, voluntas et potestas est essentia, voluntas et potestas Patris (Ad. Maier). A theologis ista intima inhabitatio dicitur *circumsession* (*περιχώρησις*).<sup>1)</sup>

V. 39. *Apprehendere*, ut scil. captum synedrio traderent (7, 30. 32.). — *Exivit*, sicut supra 8, 59.

V. 40. *Trans Jordanem in locum*, scil. Bethaniam (cf. 1, 28.).<sup>2)</sup> — *Primum*; nam postea Joannes baptizavit Aenone

<sup>1)</sup> Cf. a Lap. ad 14, 10.

<sup>2)</sup> Cf. Ad. Maier.

juxta Salim (3, 23.), et crebro mutans locum alias Jordanis regiones baptizando obivit (a Lap.). — *Illic*, nimirum per longius tempus.

V. 41. *Quia Joannes signum fecit nullum* i. e. quamvis Joannes nullum patrarit miraculum, tamen ei credidimus.

V. 42. *De hoc*, scil. de Jesu. — *Vera erant* i. e. et quia omnia, quae de Jesu audierant et viderant, perfecte convenire cum verbis Joannis videbant, multi credebant in Jesum, nimirum eum esse Messiam<sup>1)</sup>.

## Caput XI.

### 1) Lazari morbus (v. 1—16).

V. 1. *Erat*, scil. eo tempore, quo Jesus trans Jordanem agebat. *Lazarus* (Hebr. Λάζαρος) per compendium pro Λάζαρος Deus juvamen (Gotthelf) alias ab illo mendico apud Lucam (c. 16.). — *A Bethania* i. e. Bethania oriundus, seu Bethaniensis; nam ἀπὸ, uti εἰς, indicat patriam et domicilium. Bethania haec erat vicus ad orientem montis olivarum situs, 15 stadiis ab Hierosolyma distans. Bethania dicitur vicus (χώμη) Mariae et Marthae, quia ibi habitabant, ut ita distinguatur ab altera Bethania trans Jordanem (coll. 10, 40.) sita.

V. 2. *Maria, quae unxit*. Maria haec est eadem cum Magdalena et peccatrice apud Lucam. Vid. dicta 12, 3. — Ipsam unctionem hic jam lectoribus ex Luca notam supponit.

V. 3. *Miserunt*, nimirum nuntium, utpote quem scirent, ubi tunc temporis Christus agebat. — *Ad eum* i. e. ad Jesum. — *Domine, quem amas infirmatur*. Non aperte postulabant auxilium pro aegroto, sed sufficiebat, Christo morbum indicare, quia confidebant, Christum solo nuntio morbi accepto, illi remedium allaturum esse (Aug., a Lap.). *Amas*; φιλέω dicitur de amore, quo juncti secum amici, familiares, cognati esse solent; ἀγαπᾷ vero est bene cupere et facere. Amor imperari non potest, sed dilectio.

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

V. 4. *Dicit eis*, scil. sororibus per eundem illum nuntium ut hoc responsi loco referret simulque ad discipulos suos praesentes corroborandos in fide. — *Non est ad mortem, nimirum talem*, ut in ea permaneat, nec amplius ad hanc vitam redeat (a Lap.). Verosimiliter contigit mors Lazari eodem die, quo nuntius Christum convenerat. — *Sed pro gloria Dei i. e. sed ad gloriam Dei promovendam morbus hic inflictus est.* — *Ut glorificetur Filius Dei* i. e. nimirum glorificatione Filii Dei, in eum ob Lazari suscitationem ut Messiam et Filium Dei credendo (cf. 13, 31.). — Sic verbis his explicatur, quomodo glorificatio Dei Patris fieri debeat, simulque significatur suscitatio Lazari futura (Ad. Maier).

V. 5. Quae hoc versu leguntur, addit evangelista ob v. 6., ut ostenderet, Jesum gravissimis ex causis in Peraea adhuc per biduum commoratum esse; volebat videlicet miraculum eo patrare modo, quo factum fuerat, volebat Lazarum mortuum, imo sepultum quatriduanum et foetentem suscitare, ut tanto majus et evidenter esset miraculum. Fors volebat et his verbis rationem reddere versus 3.<sup>1)</sup>.

V. 7. *Eamus*, nimirum ex Bethania trans Jordanem Bethaniam in Iudea sitam.

V. 8. *Rabbi* i. e. magister (cf. 1, 38.). — *Nunc* i. e. nuper, seu paulo ante. Dicunt hoc discipuli, quia Christum, qui paulo ante (coll. 10, 31.) in vitae periculo versatus est, ab itinere in Iudeam dehortari volebant, a Judaeis metuentes Christo et sibi ipsis.

V. 9. et 10. Sensus hujus allegorici dicti est: *Sicut iste, qui die ambulat, secure, sine periculo ambulat, quia lucem habet, qua videt viam et res, ne in illis impingat;* ita etiam illi, cui certum vitae tempus, quo muneric sui officiis fungatur, a Deo Patre constitutum est, ante constitutum ipsi tempus a Patre, nihil periculi, in quo perire posset, timendum est. (cf. Luc. 13, 32.) — Applicationem hujus sententiae generalis ipsis apostolis faciendam relinquit<sup>2)</sup>). — *Duodecim horae diei*; cf. 1, 39. — Dies h. l. est *imago vitae temporis* a Deo constituti. — *Non offendit,*

<sup>1)</sup> Jans., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Mald., a Lap.

scil. pedibus (coll. Matth. 4, 6.). — *Lucem hujus mundi*; verba haec sunt periphrasis solis. — Nox est imago finiti vitae temporis a Deo constituti. — *In eo i. e. ei* (deest ei solis lumen).

V. 11. *Dormit* i. e. mortuus est. Verbum χουμασθαι, quod proprio dormire, obdormire significat, per euphemismum in omnibus fere linguis adhibetur pro: mori (cf. Matth. 27, 52. act. 7, 60. 1 Cor. 15, 20.), quia mors non tam mors est, quam potius quidam veluti somnus, e quo evigilandum est ad immortallitatem.

V. 12. *Si dormit, salvus erit*. Discipuli verba Christi non de morte, sed desomno proprio ita dicto intelligentes, cum somnus multis in morbis est indicium sanitatis mox secuturae, tacite significant, non esse opus, Lazari causa periculorum iter in Iudeam suspicere. — Sensus est: Si dormit Lazarus, convalescet; hinc non est opus, ejus causa periculorum iter in Iudeam suspicere.

V. 13. Verba haec sunt explicatio evangelistae.

V. 14. *Tunc ergo*, quum nimirum videret, eos prae ruditate non intelligere, quod tamen facile poterant, quum nullus suscipit longum iter, ut amicum a somno suscitet, quia per se somno solvit homo naturaliter (Menoch.). — *Manifeste* i. e. clare, sine metaphora.

V. 15. Sensus est: Gaudeo vestra causa, me, antequam Lazarus mortem subiret, non fuisse ibi, ut vos firmius et robustius credatis; quodsi enim adfuissem, precibus sororum permotus aegrum sanare debuissem; hisce vero abstulissem vobis luculentissimam vestrae fidei confirmandae opportunitatem, quae nunc, quum mortuus est, adest. — Verba: *quoniam non eram ibi*, sunt nectenda cum voce: gaudeo. — τὸ credere est explicandum per: *firmius credere* (cf. 2, 11.).

V. 16. *Didymus* (*Διδύμος*) est versio graeca hebraicae vocis δέδη (unde Thomas), et notat: gemellus, geminus; hinc ad verbum: dicitur supplendum est: Graecis. — *Eamus et nos, et moriamur cum eo* i. e. quandoquidem magistro nostro, non obstante periculo, quod illi ab invidia pharisaeorum imminet, statutum est proficiisci in Iudeam, illum et nos comitemur, et si res ita ferat, cum illo moriamur (Menoch.). — Non enim satis intellexerat, quod Christus v. 9. dixerat, nihil sibi imminere periculi (Mald.).

## 2) Lazarus vitae redditus (17 — 44).

V. 17. *Venit*, scil. prope Bethaniam, et quidem uno die ex Peraea. — *Quatuor dies jam in monumento habentem* i. e. quatuor diebus sepultum. (*Habentem ἐχοντα*, i. e. agentem). Iter e Peraea Bethaniam peregit Christus uno die; post nuntium acceptum mansit in Peraea duos dies; hinc Lazarus, si jam quatuor diebus erat in sepulchro (quia mos erat Judaeis tunc temporis eadem die, qua exspiraverat, mortuum sepelire), eodem die, quo nuntius ad Christum venerat, defunctus est<sup>1)</sup>.

V. 18. Versus hic causam reddit, cur multi Hierosolymitani ad Lazari sorores venerint, quia proxima esset Hierosolymae Bethania. Ceterum 15 stadia (coll. dictis 6, 1.) sunt  $\frac{3}{8}$  milliaris germanici (circiter una hora).<sup>2)</sup>

V. 19. *Judaeis*, scil. Hierosolymitanis (coll. v. 18.). — *Ad Martham* ( $\pi\rho\delta\varsigma \tau\alpha\varsigma \pi\varepsilon\rho\iota M\acute{a}\rho\vartheta\alpha\upsilon = \pi\rho\delta\varsigma M\acute{a}\rho\vartheta\alpha\upsilon$ ). — *Ut consolarentur eas*. Mos nimirum erat Judaeis, ut per septem dies consolarentur lugentes<sup>3)</sup>.

V. 20. *Occurrit illi*. Christus nimirum nondum venerat Bethaniam, sed prope vicum istum erat; fors manserat ibi, ut requiesceret ex itinere; ast agnitus a praetereuntibus, Marthae, quae fors in via ad sepulchrum, vel jam ad sepulchrum erat, nuntium de ejus adventu allatum est, quo accepto sine mora obviam procedebat Christo. — Ita potest intelligi, quare etiam sororem suam de adventu Christi certiore non reddiderit. (Ad. Maier).

V. 21. Verbis his, quae postea (v. 32.) et Maria repetit, dolet et luget Martha Christi absentiam, quod scil. non fuerit praesens, ut Lazaro aegrotanti sanitatem restitueret. Non videtur Martha adhuc habuisse fidem de Christi deitate, omniscientia et omnipotentia. Si enim hanc habuisset, credidisset Christum etiam absentem scivisse mortem Lazari eumque potuisse curare. Eum ergo credebat esse prophetam, merum hominem, cui a Deo potestas miraculorum data sit, non tamen Deum, quod et versus sequens docet, quum non dicit: poposceris a Patre, sed a Deo.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Chrysost., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Rüthenlegicon von Wetzer und Welte unter: Maase.

<sup>3)</sup> Cf. Grotius, Lightfootus.

<sup>4)</sup> Mald., a Lap., Ad. Maier.

V. 22. *Etiam nunc* i. e. fratre mortuo.

V. 23. *Resurget frater tuus.* Solatur Christus hisce moestam Martham spe resurrectionis.

V. 24. Christus dixerat, Lazarum resurrecturum, sed ambiguie, non exprimendo, an nunc, an in die judicii; ideo factum est, ut Martha ea verba Christi de resurrectione generali in die judicii intellexerit.

V. 25. Ut jam animum Marthae erigeret spemque ejus confirmaret, docet eam, se esse vita et largitorem et auctorem. — *Ego*, emphatice ita: ego et nemo aliud. — *Sum resurrectio* i. e. sum auctor resurrectionis, ita ut omnes per me resurgent, et nemo nisi per me resurgere valeat. — *Vita* i. e. auctor, fons vitae. Per resurrectionem vero et vitam non tantum intelligenda est resurrectio futura in fine mundi et vita istam excipiens, sed propter v. 26. etiam resurrectio praesens, spiritualis (cf. 5, 24.) et vita nova, spiritualis, gratiae (coll. 5, 21.).<sup>1)</sup> — *Mortuus fuerit*, scil. corpore. — *Vivet* i. e. resurget et ita vitam spiritualem et corporis in statu glorificato iterum continuabit.

V. 26. *Vivit*, scil. adhuc corpore in hoc saeculo. — *Non morietur in aeternum* i. e. etiamsi moriatur ad tempus corpore, non ita morietur, ut in perpetuum in morte maneat (cf. 6, 50). — *Credis hoc*, scilicet dicta v. 25. et 26. — Interrogando provocat ad expresse credendum.

V. 27. *Credidi* i. e. credo. Praeteritum vim habet praesentis (cf. 5, 45; 6, 70. (69.)). — *Quia* i. e. quod. — *Christus Filius Dei vivi*; vid. 1, 49.

V. 28. *Vocavit*, nimirum jussa a Domino. — *Silentio* i. e. secreto, ne nimirum Judaeorum, Christi adversariorum, tumultum excitet, si dicat palam, Jesum adesse (a Lap.).

V. 29. *Surgit cito*, et abiit extra vicum. — *Ad eum* i. e. ad Christum, qui ibi substitit, ubi Martha ei occurrerat (coll. v. 30.).

V. 30. *In castellum* i. e. in vicum Bethaniam.

V. 31. Judaei subitum et velocem Mariae abitum videntes, putabant, eam ire ad sepulchrum fratris planctus et ploratus causa; mos enim erat Judaeis, apud monumenta deflere mortuos.

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

— *Dicentes*, scil. in corde suo i. e. putantes (=δόξαντες, uti in nonnullis libris ex interpretamento legitur).<sup>1)</sup>

V. 32. *Venisset*, scil. illuc (*ἐκεῖσθε*).<sup>2)</sup> — *Cecidit ad pedes*, nimirum reverentiae causa. — *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Lacrymis scil. et dolore impedita erat, quominus et verbis ipsam exprimeret petitionem. Sed ipsae haec lacrymae erant efficacissima oratio et potentissima; nulla enim efficacior, nulla potentior oratio, quam lacrymae (Mald.).

V. 33. *Infremuit spiritu* i. e. dolore commotus est. Verbum enim ἐμβρυμάομαι, quod alias de indignatione (Math. 9, 30. Marc. 14, 5.) adhibetur, h. l. postulante contextu solum denotare potest: commoveor dolore. Respondet hebraeorum γψι, quod proprius est: indignatus est, dein vero ad animi perturbationes ex dolore transfertur (Ad. Maier). Ita et Rosenmüllerus (schol. in N. T.), qui scribit: verbum ἐμβρυμᾶσθαι gravem animi commotionem h. l. indicare, ut intelligendum sit, fuisse tunc in Jesu admodum vehementes affectus.<sup>3)</sup> — *In spiritu*, coll. v. 38. est id ac ἐν ἑαυτῷ (in semetipso) i. e. intus. — *Et turbavit se ipsum* i. e. et istum dolorem internum externa commotione (concussu) manifestavit (Ad. Maier). — Alii verba haec ut explicationem praecedentis verbi (*ἐνεβρυμήσατο*) sumunt.<sup>4)</sup> Dolore autem affectus est Christus propter ploratum Mariae et Judaeorum. Ita natura comparatum est, ut ex conspectu eorum, qui plorant, ad dolendum et plorandum incitemur (Mald.).

V. 34. *Ubi posuistis eum.* Sciebat Christus locum sepulturae, sed tamen interrogat, quia humano modo cum hominibus agebat, et interrogando viam sternebat ad Lazarus suscitationem ac simul Mariam, Martham et Judaeos excitabat ad tanti miraculi attentionem, ut attente considerarent omnia dicta et facta Christi, qui eum erat suscitaturus (a Lap.). — *Veni*, scil. ad sepulchrum.

V. 35. *Lacrymatus est*, nimirum propter Lazarum, et quidem, quum pergeret ad sepulchrum (coll. v. 38.), ut se verum hominem esse demonstret.

<sup>1)</sup> Cf. Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Beelen gram. 157.

<sup>3)</sup> Cf. Wilke lex.

<sup>4)</sup> Mald., Rosenmüller

V. 36. *Dixerunt ergo, nimirum visis lacrymis.* — *Quomodo i. e. quam sincere, quam ardenter.*

V. 37. *Sensus est: Mirum est, quomodo, cum aperuerit oculos coeci nati, non potuerit facere, ne hic moreretur? — Sunt verba mirantium.*<sup>1)</sup>

V. 38. *Rursus fremens in semetipso;* cf. v. 33. — *Spelunca. Sepulchra nimirum speluncae formam referebant.* — *Lapis superpositus ei, scil. speluncae; nam lapidibus muniri solebant, ne corpora a bestiis aut hominibus laederentur* (cf. Matth. 27, 60.).

V. 39. *Tollite lapidem.* Id nimirum, quia per homines fieri poterat, non facit ipse miraculo (Mald.). — *Jam foetet.* Hoc (coll. v. 41.) dixerat, experientia edocta, antequam lapis tolleretur (Mald.). — *Quatriduanus est* i. e. jam quartus est dies, e quo sepultus est (Kuinoel, Rosenmüller, Wilke lex.) Dixerat hoc ideo, quia diffidebat, quatriduanum, etiam foetentem, mortuum suscitatari posse (Mald.).

V. 40. *Nonne dixi tibi.* Verbis his castigat Martham ob defectum fidei et fiduciae, relegans eam ad suum dictum prius (v. 23.), quo idem, non quidem verbotenus, quod h. l. dixerat, sed quoad rem et sensum (a Lap.). — *Gloriam Dei* i. e. Lazari resuscitationem, per quam glorificetur Deus auctor tanti miraculi.<sup>2)</sup>

V. 41. *Tulerunt lapidem, scil. ab ostio monumenti.* — *Sursum* i. e. ad Deum Patrem. — *Audisti me* i. e. exaudisti me, nimirum mihi, qui Lazarum suscitare volo, dando potentiam illius suscitandi (Chrys., Jans., Ad. Maier). Etiam qua Dei Filius poterat ita loqui Christus, quatenus omnis potestas, quae ei ut Dei Filio inest, a Patre (utpote aeterno principio Filii) derivanda est (cf. 5, 19.). — Dicit in praeterito: *audisti me*, quia de miraculo a se faciendo tam securus est, ut istud velut rem jam gestam consideret.<sup>3)</sup>

V. 42. *Quia* i. e. *quod.* — *Semper me audis,* nimirum volendo et faciendo, quae ego volo. — Sequitur id ex unitate voluntatis Patris et Filii, quibus, quia utriusque eadem essentia, etiam eadem est voluntas et potentia (cf. 8, 29.). — *Sed propter populum . . dixi,* scil. verba illa: *quod semper me audis.* Sensus

<sup>1)</sup> Menoch., Ad, Maier.

<sup>2)</sup> Euthym., Mald., a Lap.

<sup>3)</sup> Cf. Calm.

totius versus: Quum exaudiri a te nil novi sit, quia semper fit,  
superfluum esset, speciatim id hic memorare; attamen id hic  
edico, ut populus astans credat, me tua virtute, non vero Sata-  
nae auxilio miracula facere, et per hoc intelligat, me missum  
esse a te.<sup>1)</sup>

V. 43. *Voce magna*, ut scil. ostenderet, vocem hanc habere  
 vim magni et potentis imperii, quo a morte suscitabat Lazarum,  
 quasi Deus imperans naturae et morti (a Lap.). — *Lazare veni*  
*foras* i. e. Lazare, jubeo te redire in vitam. — Sunt verba poten-  
 tiae, quibus mortuum ad vitam suscitabat (cf. Math. 8, 3. 13. 16;  
 9, 6. 29. Luc: 7, 14. Joan. 5, 8.).

V. 44. *Statim*, nulla videlicet interposita mora post vocem  
 clamantis, quasi in momento. — *Prodiit*, scil. de sepulchro. —  
*Institis* i. e. fasciis sepulchralibus (19, 40. *δθόντα* dicuntur).  
 Vox enim graeca *χειρία* est fascia, qua vel infantes vinciuntur,  
 vel lecti subtenduntur, vel cadavera hominum linteo involuta  
 ligantur. Verosimiliter pedes juxta Aegyptiorum morem seorsim  
 involuti erant. — *Sudario*. Vox *σουδάριον* (quae est latina a  
 sudore dicta) est linteum, quo sudor faciei abstergitur et nares  
 purgantur, et quo defunctorum capita solebant involvere<sup>2)</sup>. —  
*Solvite eum*, nimirum omnibus fasciis sepulchralibus. — *Abire*,  
 scil. domum suam. — Mandavit id Judaeis, ut ipsi Lazarum  
 contrectantes, miraculum a se factum suis quasi manibus tan-  
 gerent<sup>3)</sup>.

### 3) Sequelae hujus eventus (45—57).

V. 45. *Crediderunt in eum*, quod scil. esset Messias, evidentia  
 miraculi convicti.

V. 46. *Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisaeos*,  
 et dixerunt *eis*, quae fecit *Jesus*. Hi non tam malo animo ad  
 pharisaeos abierunt iisque eventum narrarunt, quam potius ad  
 pharisaeorum gratiam captandam; unde etiam factum est, ut  
 miraculum non talem in animos eorum habuerit vim, quam in  
 aliorum (Cyrill., Ad. Maier).

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Wilke lex.

<sup>3)</sup> Chrys., Mald., a Lap.

V. 47. *Collegerunt* i. e. convocarunt. — *Pontifices et phariaei* i. e. synedri, acerrimi Christi hostes. — *Quid facimus* i. e. quid facere nos oportet, seu quid faciemus<sup>1)</sup>. — *Quia signa multa facit*; ergo et ipsi adversarii debebant miracula a Christo patrata confiteri — *Hic contemptim.*

V. 48. *Sidimittimus* sici. e. sie non resistimus. — *Omnes*, scil. Judaei. — *In eum*, nimis tanquam Messiam eumque pro suis opinionibus de Messia ut regem pronuntiabunt. — *Et venient Romani*, scil. irritati contra nos, qui nobis novum regem creavimus. — *Tollent* i. e. perdent, vastabunt. — *Locum nostrum* i. e. templum (coll. Matth. 24, 15. act. 6, 13.). Cf. Mald. Sic ergo odio suo in Jesum praetexuerunt periculum reipublicae, cum satis inteligerent, nunquam terrenum regnum Jesum affec-  
tasse, sed deferendum sibi fugisse et declinasse (coll. 6, 15.).

V. 49. *Caiphas*. Nomen proprium viri hujus erat Josephus, et Caiphas cognomen (Jos. Flav. ant. 18, 2. 2.); attamen videtur cognomen ita vulgo in usu fuisse, ut nomen proprium haberetur. Hunc Caipham ad pontificatum provexit Valerius Gratus, procurator Judeaeae, sed eodem privavit Vitellius proconsul post annos 18<sup>2)</sup>). — *Pontifex anni illius*. Hoc non ita intelligendum, munus pontificale ea aetate annum fuisse, atque Annam et Caipham per vices pontificati praeftuisse; sed verba illa id valent ac: eum anno illo memoratu dignissimo pontificatu functum fuisse. — Patritius (III, 361.) explicat per: qui fuerat pontifex eo tempore (ita et Kuinoel). — *Illis*, scil. consultantibus, utrum Jesus reus sit criminis alicujus, et num non potius periculum adsit, insontem occidendi. — *Nescitis quidquam* i. e. nil in hac re intelligitis.

V. 50. *Cogitatis* i. e. perpenditis. — *Expedit* i. e. melius est. — *Ut unus*, scil. Jesus, quamvis insonis. — *Moriatur pro populo* i. e. occidatur a nobis pro salute populi. *Et non tota gens pereat* i. e. quam, ut illo superstite tota natio Judaica pereat (Mald.).

V. 51. *Hoc* i. e. quatenus verba illa Caiphæ vaticinium erant effectuum mortis Christi. — *A semetipso* i. e. proprio,

<sup>1)</sup> Beelen gramm. 306.

<sup>2)</sup> Jos. ant. 18, 4, 3.

humano instinctu. — *Prophetavit* i. e. Deo dirigente factum est, ut Caiphas, summus sacerdos, hoc in casu gravissimo ejusmodi adhiberet verba, quae certo sensu intellecta vaticinium de effectibus mortis Christi continerent. — *Cum esset pontifex anni illius.* Verbis his rationem dat, cur Caiphas futura praedicere posset. Nam juxta Judaeorum opinionem Deus interdum sumum sacerdotem instruxerat facultate futura praedicandi, quae opinio innitebatur A. T., quod sumnum sacerdotem ope Urim et Thummim futura praedicentem perhibet (Exod. 28, 30. Num. 27, 19. 1 reg. 28, 6.)<sup>1)</sup>. — *Pro gente* i. e. in commodum populi judaici, seu pro salute populi judaici (cf. Matth. 26, 28.). Per ἐθνος est intelligendus populus judaicus. —

V. 52. *Pro gente*, scil. judaica moriturus erat. — *Sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, i. e. sed ut gentiles per totum mundum dispersos in unum regnum, unam ecclesiam (cum Judaeis) congregaret (coll. Eph. 2, 14.). — Nominantur gentiles h. l. filii Dei ( $\tauέκνα \varthetaεοῦ$ ) per anticipationem (cf. dicta 10, 16.). —

V. 53. *Ab illo die, quo nimirum synedrium Jesu mortem decernebat.* — *Cogitaverunt* i. e. inter se consultabant. *Ut* i. e. quomodo.

V. 54. *Jesus, nimirum sciens decretum et consilium eorum. Palam* i. e. publice. — *Juxta desertum, scil. Juda.* — *Ephrem.* Ephraim erat oppidum prope Bethel situm, ab urbe Hierosolyma septemtrionem versus 8 milliaribus distans (Bucher). — *Morabatur, nimirum usque ad proxime instans pascha* (quod erat quartum simulque ultimum)<sup>2)</sup>.

V. 55. *De regione*, scil. omni Iudeae. Per vocem χώραι (regio) est intelligenda terra seu regio Iudaica extra metropolim (cf. 3, 22.). — *Ut sanctificarent seipso*s i. e. ut se purgarent sacrificiis et lotionibus secundum Iudaica instituta ad pascha rite celebrandum. — Nam quocumque modo quis se inquinaverat, et culpae cuiusdam sibi conscientius erat, debebat se ante festum purgare<sup>3)</sup>. —

<sup>1)</sup> Cf. Mald.

<sup>2)</sup> Cf. Bucher Leben Jesu S. 845 — 847. Wieseler chronol. Synopse S. 444. —

<sup>3)</sup> Cf. Bucher.

V. 56. *Quid putatis, quia non venit ad diem festum* i. e. quid videtur vobis? num veniet ad festum?<sup>1)</sup>. Graecum ἐλθῃ̄ possum pro ἐλεύσεται. Vulgatae explicatio, quae ἐλθῃ̄ per praeteritum exprimit, non potest teneri, quia talis quaestio, quum festum nondum inchoasset, haud poterat fieri. — *Apprehendant.* Unde putabant, eum ad festum non venturum esse. — *Lazari resuscitatio docet, Jesum esse Deum-hominem.* Lacrymae scil., eum esse hominem; verbum ipsius Lazarum ad vitam revocans, eum esse Deum, auctorem et largitorem vitae.

## C a p u t XII.

### 1) Convivium Bethaniae (v. 1—11.).

(Matth. 26, 6—13. Marc. 14, 3—9.).

V. 1. *Ante sex dies paschae* ( $\piρὸ\ \acute{\epsilon}\xi\ \eta\mu\acute{e}ρων\ \tauοῦ\ \piάσχα$ ) est trajectio dictum pro  $\acute{\epsilon}\xi\ \eta\mu\acute{e}ρας\ \piρὸ\ \tauοῦ\ \piάσχα$  sex diebus ante pascha<sup>2)</sup> i. e. feria sexta. Alii contra, qui Christum non in ipso festo (15. Nizanis), sed 14. obiisse affirmant, explicant verba haec per: die sabbati, cui vero explicationi obstat, quia ita Christus aperte sabbatum, in quo longiora itinera interdicta erant, violasset, quod vix fecisse censendus est, quia tunc semper captabant adversarii, ut aliquid invenirent, ob quod eum ut legis violatorem perdere possent<sup>3)</sup>.

V. 2. *Coenam.* Coena h. l. descripta una eademque est cum illa, quam Matthaeus (26, 6—13.) et Marcus (14, 3—9.) referunt, nam differentiae non sunt essentiales; e contra diversa est ab illa, quam Lucas (7, 37. seq.) narrat. Coena haec quidem etiam juxta Lucam facta perhibetur apud Simonem, sed ponitur apud Lucam in tempus a diebus passionis Domini remotius, dum coena, de qua reliqui tres evangelistae loquuntur, celebrata

<sup>1)</sup> Syri interp., Chrys., Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Beelen gramm. 526.

<sup>3)</sup> Wieseler Chronolog. 378., Bucher Leben Jesu 847.

est proximo ante Christi passionem tempore. Ceterum Matthaeus et Marcus, qui dicere videntur, coenam biduo ante pascha celebratam esse, non vere pugnant cum Joanne, aperte dicente, coenam factam esse ante sex dies paschae. Priores duo enim nequaquam dicunt, coenam biduo ante pascha celebratam fuisse, sed quod biduo ante pascha acciderit, prius commemorant, postea coenam describunt, non tamen ita, ac si intra illud biduum facta fuisse. Hic loci autem ideo coenae meminisse videntur, quia, quum proxime narrassent, biduo ante pascha Iudeorum primores consilium iniisse, Jesum dolo captum interficiendi (Matth. 26, 3. 4. Marc. 14, 1.), atque mox referre vellent, quod Judas his consilientibus operam in dolo hoc perficiendo se navaturum pactus fuerit, causam simul memorare voluerunt, qua Judas ad nefandum facinus impulsus fuit, et quae inter coenandum ei oblata fuit.<sup>1)</sup> — *Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discubentibus cum eo.* Jam haec evangelistae annotatio, Martham ministrasse et Lazarum e convivarum numero fuisse, docet, coenam non fuisse celebratam in domo Marthae, sed alibi, et quidem, uti Matthaeus et Marcus referunt, in domo Simonis leprosi, i. e. Simonis illius, qui, quia aliquando leprosus laboraverat, quamvis a Christo ab ea curatus fuerit, leprosus cognominatus est. Sic s. Matthaeus se ipsum appellat portitorem (*τελώνη* 10, 3.), quamvis jam pridem a Christo apostolus factus esset.

V. 3. *Maria.* Utrum Maria haec, soror Marthae et Lazarri (coll. c. 11. et 12.) sit eadem cum Maria Magdalena (Luc. 8, 2.), et peccatrice (Luc. 7, 37. seq.), an diversa, diversae dantur hac de re sententiae.

1) Sunt, qui putant, locis supra adductis de tribus mulieribus diversis esse sermonem (inter hos et Origenes, Theophylactus, Euthymius, saec. 16. Faber Stapulensis, Estius, Tillemont), qui pro sua sententia proferunt haec argumenta:

a) Dum s. Lucas, qui 7, 37. seq. loquitur de peccatrice illa poenitente, serius (8, 2.) Mariam Magdalenam prima vice commemorat, nullo verbo identitatem istius cum priore significat,

<sup>1)</sup> Patrit. de evang. II, 418.

et dum postea (10, 39.) inducit Mariam, sororem Marthae aequo nullo modo prodit identitatem ejus cum peccatrice (7, 37.) aut cum Maria Magdalena (8, 2.) aut cum utraque. — Similiter apud Joannem (20, 1.), quum de Maria Magdalena loquitur, nihil inventur, e quo eluceret, evangelistam noluisse eam discernere a Maria, sorore Lazari et Marthae, de qua agebat c. 11. et c. 12.

b) Peccatrix illa poenitens (coll. Luc. 7, 37.) habitabat in oppido Nain; Maria Magdalena vero habitabat in oppido Magdala, ad lacum Gennesareth sito, a quo et nomen habebat; Maria tandem, soror Marthae, habitabat Bethaniae (Joan. 11, 1; 12, 1.).

c) Magdalena comitabatur Christum in itinere e Galilaea suscepto (coll. Luc. 8, 1. Matth. 27, 55. Marc. 15, 40, 41.), et etiam, dum in Galilaea erat; Maria autem soror Marthae et Lazari in vico Bethania, in Iudea, morabatur (coll. Luc. 10, 39. Joan. 11, 1; 12, 1.).

d) Si peccatrix (Luc. 7, 37.) non diversa fuisset a Maria, sorore Marthae et Lazari, Christus haud repetitis vicibus accessisset domum familiae hujus in vico Bethania, nec etiam Judei advenissent ad Martham et Mariam, ut eas propter mortem fratris consolarentur, uti fecerunt (coll. Joann. 11, 31.), qua re suam familiae hujus aestimationem sat clare manifestarunt.

2) Alii iterum peccatricem (Luc. 7, 37.) illam a Maria Magdalena non diversam esse censem, sed Mariam, sororem Marthae et Lazari, ab ea discernunt, ut sic ex eorum sententia, locis N. T. supra allatis, de duabus tantum feminis diversis sit sermo. (Huic sententiae videntur favere s. Chrysostomus, Hieronymus.) — Sententiae huic rationes supra sub c. et d. propositae, etiam videntur favere; rationes autem sub a. et b. allatas ei revera non obstare, intelligetur ex illis, quae mox dicentur de tertia aliorum circa hanc quaestionem sententia.

3) Alii nimirum existimant, locis N. T. supra citatis non de tribus, aut duabus diversis, sed de una tantum eademque femina sermonem esse; inter hos est Cyprianus, Augustinus, Gregorius Magnus (Cf. Maldonat., Jans., a Lapide). Sententiae huic multa suffragantur. Nam

a) rationes, quae pro sententia primo loco commemorata proferuntur, minime tales sunt, ut tertia haec sententia necessa-

rio corruat. Ratio prima eorum, qui primam tenent sententiam, tum esset magni momenti, si probari posset, fuisse s. Lucae necessitatem, faciendi diserte mentionem identitatis Mariae Magdalena (8, 2.) et Mariae, sororis Marthae (10, 39.) cum peccatrice, de qua prius (c. 7.) egerat; quae necessitas quum probari non possit, poterat consilio tacere s. Lucas de priori minime laudabili conditione feminae, quum et ipsa per poenitentiam renovata fuit. (Fors illis, quae capite 8. de Magdalena a septem demonibus per Christum liberata, annotavit, saltem aliquo modo indicavit priorem ejus indolem miseram.) — Ita etiam s. Joannes, qui (11, 1 — 12, 3.) de Maria, sorore Marthae et Lazari narrat, non necessario debebat postea (20, 1. seq.), ubi Magdalena inducit, notare, ejusdem mulieris mentionem fieri utroque loco.

b) Non est certum (respectu ad b.) peccatricem illam (Luc. 7, 37.) ad Christum accessisse in oppido Nain; nam evangelista non profert nomen oppidi, sed dicit, fuisse in civitate mulierem; poterant ergo haec in alio oppido evenire, et quidem Bethaniae, si narratio Lucae de peccatrice comparatur cum narratione Matthaei (26, 6. seq.) et Marci (14, 3. seq.), qui etiam referunt, fuisse coenam celebratam in domo Simonis et accessisse feminam, afferentem vasculum ex alabastrite lapide, similiaque ibi egisse, ac peccatricem in convivio, de quo Lucas loquitur<sup>1)</sup>. — Hinc non est, cur non Maria, quae ab oppido Magdala, in quo fors villam quandam habebat, aut per tempus morari solebat, nomen Magdalena habebat, una sit eademque cum Maria, sorore Marthae et Lazari, quae Bethaniae habitabat.

c) Nil impedit, (respectu ad c.), quominus dicamus, Mariam Magdalena (eandem cum peccatrice poenitente), licet per aliquod tempus in Galilaea sectaretur Christum, potuisse Bethaniae morari et domicilium habere, ut ideo identati ejus cum Maria, sorore Marthae et Lazari nil obstet.

d) Quod tandem ad ultimam rationem (sub d.) attinet, illa parvi momenti est. Christus enim tum verbis, tum factis docuit, se ideo venisse in mundum, ut peccatores vocaret ad poenitentiam (Matth. 9, 13.), — ut quaereret et salvum face-

<sup>1)</sup> Cf. Veith Dodecatheon S. 270.

ret, quod perierat (Matth. 18, 11. Luc. 19, 10.), ostendens id in parabola de ove perdita (Luc. 15, 1 — 7.), de filio prodigo (Luc. 15, 11. seq.), de Zachaeo (Luc. 19, 1 — 10.). Qui igitur hominum peccatorum consortium non evitavit, sed eos admisit et adiit, ut eos salvos ficeret, eum certe non dedecebat, adire Bethaniae familiam, cuius membrum unum, non jam peccato deditum, sed ad meliorem frugem conversum, in propositis suis optimis ab eo confortari quam efficacissime potuit. Nec Judaei familiam hanc vitare debebant, quia non jam peccatrix in ea erat, sed ad meliora reversa soror.

Imo si narrationes Lucae (7, 37. seq. 8, 2; 10, 39. seq.) et Joannis (11, 2. seq.) attente considerentur et inter se comparantur, facile intelligitur, peccatricem illam poenitentem, Mariam Magdalenam et Mariam, sororem Marthae et Lazari, esse unam eandemque personam. S. Lucas (7, 37. seq.) narrat conversionem peccatricis. Mulierem hanc, quae tantam a Christo gratiam nacta est, ab hoc temporis momento vitam suam totam benefactori suo summo dedicasse, non est, ut hac de re dubitemus. Jam vero s. Lucas, postquam eventum illum cum peccatrice enarraverat, statim initio capituli sequentis (8, 2. seq.) facit mentionem mulierum, quae Dominum ejusque apostolos in itineribus comitabantur, ut eis e suis facultatibus vitae necessaria suppeditarent. Inter has nominatim quasdam adducit (uti Johannam et Susannam); ast, quam prae omnibus aliis effert, est Maria, quae vocatur Magdalena. — Postquam Christus Galilaeam reliquerat, ut Hierosolymam pergeret, iterum refert Lucas (10, 39. seq.), Dominum Bethaniae a Martha hospitio fuisse exceptum, Mariam vero, dum Martha sollicite curabat, ne quid deesset ad tales hospitem digne excipiendum, omnium rerum exterarum oblitam, ad Christi pedes, quos nuper lacrymis rigaverat et capillis tesserat, sedisse, eumque de rebus divinis loquentem audisse. Cum his vero arcte cohaerent, quae s. Joannes, ut testis oculatus (c. 11.) narrat. Statim enim ab initio narrationis suae de Lazaro nominat Mariam et Martham Bethanienses, quas ut sorores Lazari designat; attamen in hac narratione non omittit personam prioris clarius designare, quum (universalem eventus illius notitiam supponens) addit: „Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis“ (11, 2.);

C. XII. v. 3.

quibus verbis non obscure respicit ad Lucæ evangelium (7, 37. seq.), quod eo tempore, quo Joannes suum scripsit, diu jam erat in manibus fidelium. — Quae porro s. Joannes in eodem hoc capite (11.) de Maria narrat, docent, eam unam eandemque esse cum peccatrice et Maria Magdalena. Quum nimirum Jesus nuntio accepto de morte Lazari Bethaniam venisset, et Martha, ut domina domus, de adventu Domini certior redditu fuisset, ipsa ei obviam ivit, dum Maria, adventum Domini ignorans, domi fuit (verosimiliter orationi vacans). Ast vix rescriverat per sororem, Dominum adesse, seque vocare, cito ivit ad Christum, et cecidit, uti jam consueverat, ad pedes ejus. Jam hic ardor fervoris et amoris, uti et similitudo agendi rationis sat luculenter docet identitatem Mariae, sororis Marthae et Lazari cum Maria Magdalena et peccatrice. Quum tandem juxta nostram sententiam unctionis Christi per eandem feminam bis in domo ejusdem Simonis facta perhibetur, videtur familia Lazari, et Simonis amicitiae, ni consanguinitatis, vinculo conjuncta fuisse, quo posito etiam explicatur, quomodo fieri poterat, ut in primo convivio (quod s. Lucas narrat) illa femina, cujus nomen ibi non est notatum, coenaculum Simonis ingredi posset, quod peregrinae vix successisset<sup>1</sup>). Haec omnia, si considerentur, clarum reddunt, tertiam sententiam esse praferendam, cui et ipsa ecclesia suffragatur, quippe quae in ecclesiastico officio (in Missa et breviario) omnia uni Magdalene in ejus festo tribuit, quae narrat Lucas de muliere peccatrice, oratque: cujus precibus exoratus quadridianum fratrem Lazarum ab inferis resuscitasti! — **Libram** ( $\lambda\iota\tau\rho\alpha\gamma$ ); vid. 19, 39. — **Nardi**. Nardus e genere graminum, reperitur in India, agit folia et spicas. Oleum nardinum paratur e spicis et e foliis, prius est pretiosius (cf. Wilke lex.). — **Pistici**. Vox  $\pi\iota\sigma\tau\iota\kappa\delta\zeta$ , quae solum h. l. et apud Marcum (14, 3.) legitur, explicatu difficilis est. Antiqui et plerique recentiores vocem hanc derivant a vocabulo  $\pi\iota\sigma\tau\iota\varsigma$ , vel adjektivo  $\pi\iota\sigma\tau\iota\varsigma$ , ita ut significet id, quod genuinum, sincerum est; alii vocem istam deducunt a verbo  $\pi\iota\omega$ , vel  $\pi\iota\pi\iota\sigma\kappa\omega$ , quasi notet id, quod est potabile. Sed quamvis antiquis mos esset

<sup>1)</sup> Cf. Georg Maier die Echtheit des Evang. nach Johannes S. 356. ff., Veith Dodecatheon S. 269. ff., Kirchenlexicon von Wetzer und Welte unter dem Namen Magdalena.

oleum nardinum bibendi<sup>1)</sup>), vox tamen πιστικός non potest deduci a verbo πίνω; nam vox πιστός, quae apud Aeschylum<sup>2)</sup>, ad quem provocant, legitur, non descendit a πίνω bibo, nec a πιπήσκω, quamvis scholiasta capiat pro: πενόμενόν, sed derivatur a verbo quodam obsoleto, quocum cohaerent lat. pinsere, pisere, pisare, pistor, pix (germ. pichen, feist), graec. πίσσα. — Alii iterum derivant vocem a loco, unde afferebatur. Sed nullus locus notus est, cuius nōmen simile esset voci πιστικός. — Quamvis significatio vocis πιστικός: genuinus, sincerus ex ipso usu loquendi comprobari non possit, ista tamen h. l. teneri potest, quum apud seriores scriptores vox πιστικός adhibetur significatu fidus, fidelis,<sup>3)</sup> quo sensu Euthymius et Theophylactus vocem hanc explicarunt, et quum testantibus antiquis<sup>4)</sup> oleum nardinum saepe adulteratum fuerit<sup>5)</sup>. — *Pretiosi* i. e. magni pretii. Adjectivum hoc pertinet ad voces νάρδου πιστικῆς, hoc sensu: Maria cum accepisset libram unguenti, sincerae nardi, pretiosissimae (cf. Beelen gramm. 247.). — *Unxit pedes Jesu*. Juxta Matthaeum (26, 7.) et Marcum (14, 3.) tantummodo caput Domini unguento perfudit; neque tamen adest pugna vera, quia utrumque fieri poterat. Ungi praeципue solebat caput venerationis causa; qui autem pedes unxit, summam animi humilitatem et reverentiam demonstravit.

V. 4. *Dixit unus Iudas Iscariotes*. Juxta Matthaeum (26, 8.) dixerunt discipuli, et juxta Marcum (14, 4.) nonnulli. Docente s. Augustino indignatio haec primum orta est in corde Judae, cui dein alii discipuli assensum praebuerunt, alio tamen animo, quam Judas; illi pauperum charitate, iste (coll. v. 6.) avaritia. — Matthaeus et Marcus addunt: ut quid perditio unguenti? i. e. quorsum haec inanis profusio unguenti pretiosi?

V. 6. *Quia de egenis pertinebat ad eum* i. e. quod pauperes ei curae erant. — *Loculos habens* i. e. marsupium (quo scilicet deferebat eleemosynas a Domino datas). Nam graeca vox γλωσσόχορον (postea γλωσσοχομένον, seu γλωσσοχόμιον) composita

<sup>1)</sup> Athenaeus l. 15. p. 689.

<sup>2)</sup> Prometh. v. 470.

<sup>3)</sup> Artem. II. 32. apud Wahlium in Clavi ad h. v.

<sup>4)</sup> Plin. H. N. 12, 26.

<sup>5)</sup> Cf. Winer gramm. S. 108., Ad. Maier, Kuinoel, Schirlitz græcisches deutsches Wörterbuch zum N. L., Beelen gramm. p. 84.

ex γλῶσσα lingua et κωμέω, est theca seu arcula, in qua tibicines lingulas tibiarum (Flötenmundstücke) reponebant; dein adhibetur de quavis arcula, in primis de loculo pecuniis asservandis apto, de marsupio, ut h. l. — *Mittebantur*, scilicet in marsupium. — *Portabat* i. e. auferebat, intervertebat. Addita enim sunt haec explicationis causa, ut intelligatur, cur Judas dictus sit fur. Stante versione Vulgatae sententia frigida procedit.

V. 7. *Sinite illam, ut in diem sepulturae meae servet illud* i. e. sine, Juda, scilicet me ungere, ut compertum sit, illam unguentum hoc servasse, ut per antecessum hodie, paucis ante obitum diebus, me ad sepulturam meam ungat (Calmet). Vel graecum verbum τηρέω potest h. l. uti saepe alias (Matth. 19, 17; 23, 3; 28, 20. Marc. 7, 9. Joann. 8, 51. 55; 14, 15. 21. . .) sumi sensu: observeare, facere, ita ut sensus sit: *Sinite illam me ungere, ut in diem sepulturae meae faciat illud nunc praeveniendo*<sup>1</sup>). Quae explicatio simplicior est. — Alludit h. l. Christus ad Iudeorum morem mortuorum corpora, antequam sepulturae mandarentur, unguentis et aromatibus conendi; atque juxta Maldonatum verbis his significat, mortem suam adeo esse propinquam, ut mulier illa, quasi divinans, fore ut brevi post tempore cruce necatus sepietatur, ipsum jam nunc ad sepulturam unixerit, non quod illa de ea re fortasse quidquam cogitaverit, sed quod tam commode unixerit, ut ea de causa unxisse videatur. Attamen yerosimilius videtur, quod Maria Dominum intime amans (Luc. 10, 39.), si non certe sciret, saltem praesentiret, Christum non diu hisce in terris versaturum esse; quapropter potius viventi, quam mortuo, hoc charitatis documentum dare voluit, quia fortasse putavit, fore ut ei mortuo hoc officium impendere non possit; quod revera factum fuerat, quia praeventa fuit a Josepho ab Arimathaea et ab imminente sabbato, ac postea per accelerationem resurrectionis Christi, postero mane diei dominicae Christum ungere non licuit. Quod etiam s. Marcus (14, 8.) clare dicit: „*praevenit ungere corpus meum in sepulturam.*“ — Ceterum lectio τετήρηγχεν ob testes praestantissimos praferenda.

V. 8. *Me non semper habetis.* Verbis his ostendit Christus, se brevi moriturum esse. — *Non semper* i. e. non diu,

<sup>1</sup>) Pires, Massl, Bucher.

V. 9. *Illic i. e. Bethaniae.*

V. 10. *Cogitaverunt i. e. inter se consultarunt* (cf. Beelen gram. p. 226).

V. 11. *Abibant i. e. subducebant se, seu deserebant eorum factionem.*

## **2) Jesu ingressus solemnis in metropolin (12—19.).**

(Matth. 21, 1—11. Marc. 11, 1—11. Luc. 19, 29—44.).

V. 12. *In crastinum i. e. die crastino, seu die dominica. — Ad diem festum i. e. ad festum paschatis, jam instans. — Quia venit Jerosolymam i. e. quod venerit et jam esset in itinere Hierosolymam. — Quamvis scivisset Jesus, mortem suam a Iudaorum senatu decretam esse (coll. 11, 53.), nihilominus Hierosolymam ad festum paschale tendebat, quia venerat hora ejus (tempus mortis a Patre decretum). Est autem urbem solemniter ingressus, ut hoc suo ingressu solemniter et publice declararet, se esse Messiam, a prophetis praedictum, simulque voluit omnes homines eo tempore Hierosolymae versantes ad suam personam, passionem et mortem, nunc proxime instantem, attentos reddere, et ita vanas Iudaorum opiniones de regno Messiae terreno corrigere<sup>1)</sup>.*

V. 13. *Ramos palmarum.* Rami palmarum erant symbolum laetitiae (1 Macc. 13, 51. 2 Macc. 10, 6. 7.). Etiam Graecorum milites triumphantes solebant ramos palmarum gestare; quae consuetudo a Graecis ad Romanos pervenit (Liv. 10, 47.). — Juxta synopticos simul straverunt vestimenta in via, et floribus atque frondibus viam spargebant, quod apud veteres erat signum summae venerationis<sup>2)</sup>. — *Et processerunt obviam,* ut eum nimirum qua Messiam Hierosolymam solemniter deducerent. — *Hosanna.* Vox haec est hebraica חָוִשְׁיָה נָא salutem largire (salvum fac). Est enim חָוִשְׁיָה imperativus in Hiphil verbi יַלֵּא, quod in Hiphil denotat salvum fecit, et נָא est particula submissa et modeste rogantis, quae latine in multis formulis redi potest per: quaeso, in aliis: age

<sup>1)</sup> Cf. Kuinoel ad Matth. 21, 1.

<sup>2)</sup> Cf. Kuinoel.

(wohlan). Additur hæc particula imperativis, ubi nou jubetur, sed rogatur vel admonetur. Formula tamen haec sensim paulatimque abiit in vocem laetitia exsultantium, sive in laetam gratulabundamque exclamationem, respondens nostro: vivat. Hinc verba, uti apud Matthaeum (21, 9.) leguntur: Hosanna filio Davidis, valent id ac: vivat filius Davidis (= salus omnigena sit filio Davidis<sup>1</sup>). Desumpta est vox haec ex ps. 117, 25.; sed ipsi versui (coll. Matth. 21, 9.) inseruerunt voces: filius Davidis, quia in Jesu agnoverant promissum Davidis filium i. e. Messiam et regem. — *Benedictus* scil. sit, i. e. celebretur. — *Qui venit in nomine Domini* i. e. qui venit ad nos auctoritate et vice Dei, ut nimirum regnum divinum fundet (coll. Marc. 11, 10.). Juxta Matthaeum (21, 9.) et Marcum (11, 10.) etiam acclamabant: Hosanna in altissimis i. e. hosanna sit in coelo, seu: etiam angeli (qui in coelo sunt,) acclament Messiae: vivat (Berlepsch.). Lucas (19, 38.), quasi interpretans ceteros, addit: Pax in coelo i. e. salus et prosperitas de coelo, — et gloria in (i. e. de) excelsis, descendat nimirum super regem nostrum. Fusius hanc rem, uti et ea, quae v. 14. leguntur, narrant synoptici, quae ex iis nota supponit Joannes. —

V. 14. *Invenit Jesus asellum.* Respicit hisce Joannes ad inventionem pulli asinini cum matre asina, de qua re Matthaeus (21, 2.) loquitur. — Orientales populi asinis equorum loco frequenter utebantur et utuntur, praesertim pacis tempore, unde etiam illis asinus est pacis symbolum, uti equus symbolum belli; quapropter Christus asino vectus ostendit, se esse pacis studiosum<sup>2</sup>). — Sed h. l. ob Marcum (11, 2.) et Lucam (19, 30.) talis pullus intelligendus est, cui nemo hactenus insederat; nam animantia jugum nondum experta, usibus humanis nondum mancipata, ad usus sacros adhibebantur (Deut. 21, 3.). — *Sedit super eum* i. e. super pullum, postquam antea supra eum vestimenta sua injecerant discipuli ad suum amorem et suam reverentiam demonstrandam. — *Sicut scriptum est*, nimirum apud Zachariam (9, 9.); ejus effatum non verbotenus, sed memoriter, quoad sensum, est adductum.

V. 15. *Filia Sion* i. e. incolae Hierosolymitani. Nam

<sup>1)</sup> Berlepsch comment. in Matth., Mald.

<sup>2)</sup> Cf. Berlepsch.

Sion, in qua antiquior urbis Hierosolymae pars exstructa erat, per synecdochen ipsam Hierosolymam (et haec, continens pro contento ipsos incolas Hierosolymitanos) notat. Solebant autem Hebraei populos et civitates vocare filias et **virgines** (Amos. 5, 1. virgo Israël, ps. 44, 13. filia Tyri; 136, 8. filia Babylonis; Jerem. 46, 24.)<sup>1)</sup>. — **Ecce**; particula haec ad vaticinium attendendum excitat. — **Rex tuus** i. e. Messias tibi promissus (cf. Matth. 2, 2. 4.). — **Venit** ( $\epsilon\rho\chi\eta\tau\alpha$  =  $\hat{\epsilon}\lambda\epsilon\bar{\nu}\sigma\tau\alpha$ ) i. e. veniet, nimirum in salutem tuam (coll. Matth. 21, 5., ubi adest: tibi), et quidem mansuetus (uti habet Matthaeus); ut inde intelligatur, eum pacem, concordiam et felicitatem civibus suis largiturum esse.

V. 16. **Primum** i. e. tunc quum fierent (cf. 2, 22.). — **Glorificatus est**, nimirum resurrectione, ascensione in coelum et agnitione tanquam Messias (Cf. 7, 39.).

V. 19. **Ad semetipsosi** i. e. inter se. — **Nihil proficimus**, nimirum dilatione et tarditate hac nostra, potius malum augemus; quanto-  
cius eum e medio tollamus. — **Mundus totus post eum abiit** i. e. omnes fere eum sectantur, credendo nimirum et confitendo eum Messiam. Nam  $\delta\pi\acute{\iota}\sigma\omega$   $\alpha\hat{\nu}\tau\alpha\hat{\nu}$   $\hat{\alpha}\pi\acute{\epsilon}\rho\chi\eta\sigma\theta\alpha$  est sequi partes ejus (=  $\hat{\alpha}\chi\hat{o}\lambda\hat{o}\nu\hat{\vartheta}\epsilon\tilde{\nu}$ ). **Mundus** ( $\chi\hat{o}\mu\hat{o}\varsigma$ ) h. l. et 18, 20. hyperbole designat permagnam hominum multitudinem. — Verba haec sunt hostium Christi (non vero, uti s. Chrysostomus putat, occulte in Christum credentium; nam loquuntur synedri), qui collegas suos tarditatis accusantes, eos acuere volunt ad exsequendum quantocius occisionis decretum<sup>2)</sup>.

### 3) Quidam Graeci Christum videre quaerentes, vox de coelo (20—36.).

V. 20. **Gentiles**, verosimiliter proselyti portae, qui notitiam Jehovae ceu veri Dei nacti Hierosolymam venerant, ut eum in atrio gentilium adorarent. — Ceterum proselyti portae non circumcidabantur, uti proselyti justitiae, sed certas quasdam leges, in primis sic dicta septem praecepta Noachica observabant.

V. 21. **Philippum**, quem verosimiliter in atrio gentilium versantem viderant, dum Jesus cum reliquis discipulis esset in atrio mulierum (Ad. Maier). — **Volumus** i. e. cupimus. — **Jesum**

<sup>1)</sup> Cf. Kuinoel.

<sup>2)</sup> Cyril., a Lap.

*videre.* Quum nimirum audissent de solemni Christi ingressu in urbem, et quomodo populus eum pro Messia divinitus promisso habebat, et quae ac quanta fecerat, facile poterat in eis desiderium Jesum videndi et cum eo colloquendi oriri.

V. 22. *Dicit Andreea*, quia nimirum ipse solus haec eorum vota et desideria Jesu aperire non audebat.

V. 23. Quaenam Christus respectu ad gentilium vota responderit, evangelista non aperte affert; attamen ex sequenti Christi sermone colligere licet, quaenam responderat. Quum enim in sequentibus docet, adesse necessitatem, ut munus suum sacerdotaleobeat, discipulis suis ostendere volebat, munus suum propheticum jam finitum esse, hinc se non posse amplius novos discipulos (speciatim ex gentilismo) sibi colligere; nam evangelii praedicatio inter gentiles debebat fieri per apostolos (Bucher). — *Eis* i. e. discipulis. — *Venit hora* i. e. tempus adest. — *Ut clarificetur filius hominis* i. e. glorificetur, nimirum per suam ob passionem et mortem ipsi obventuram resurrectionem, in coelum ascensionem et ad dexteram Patris exaltationem (cf. 7, 39.), nec non et religionis suaee cultusque sui per totum orbem propagationem (cf. 17, 21. 22.).

V. 24. 25. Docet nunc Christus gloriam jam dictam sibi per mortem obventuram esse. — *Cadens* i. e. seminatum. — *Mortuum fuerit*, nimirum terrae humore et calore resolutum ac putrefactum. — *Solum* i. e. unicum, nullum ferens fructum. — *Multum fructum affert* i. e. producit alia multa grana. — Alteram similitudinis partem supplendam relinquit hoc modo: Sic pariter ego, qui sum quasi granum tritici a coelo in terram jactum, mori debeo, ut per mortem meam ejusque meritum innumerous fructus, scilicet innumeram fidelium multitudinem proferam (a Lap.). — *Qui amat animam suam, perdet eam* i. e. qui in futuris insectationibus et temporibus calamitosis servandaee vitae suaee terrenae majorem adhibuerit curam, quam religionis meae professioni, servata vita terrena vitam perdet aeternam. — A m a r e ita, ut eam summum habeat bonum ejusque jacturam sub nulla condione velit facere. — *Odit* i. e. minoris facit et ad eam amittendam paratus est. — Hisce docet Christus, non tantum sibi, sed et veris assecclis suis mortem esse destinatam.

V. 26. *Mihi ministrat* i. e. asseccla et discipulus meus esse

cupit. — *Me sequatur*, scil. in perferendis calamitatibus et in ipsa morte religionis meae causa subeunda. — *Sum* (εἰμι) i. e. ero, nimirum in coelesti gloria, (praesens pro futuro) vel: sum scil. ut Deus semper apud Patrem in coelo existens (cf. 1, 18.). — *Honorificabit*, nimirum consortem eum faciendo ejusdem gloriae Filii sui.

V. 27. *Nunc*, quum scil. mortis sibi instantis recordatus est. — *Turbata est* i. e. perturbata passionis et mortis horrore et moerore. — *Quid dicam* i. e. quid rogabo Patrem meum, nimirum in hac animi perturbatione? — Sunt verba anxii et deliberrantis. — *Salvifica me ex hac hora* i. e. libera me ab hoc durissimo tempore passionis et mortis imminentis, seu a passione et morte imminentis. — *Hora* h. l. tempus durum passionis et mortis, seu ipsa passio et mors. — *Sed*, quia nimirum pro natura divina sciebat, Patrem non velle, ut passio et mors imminens, quam natura ejus corporalis abhorrebat, ipsum praetereat, naturae ejus humanae pars sublimior illud naturae corporalis desiderium superans, dicit: propterea, ut nimirum generis humani redimendi causa passionem et mortem subeam. — *In hanc horam* i. e. in hoc durissimum passionis et mortis tempus. — Cogitat sibi tempus passionis et mortis jam praesens (Ad. Maier).

V. 28. *Clarifica nomen tuum*, scil. eo, quod mortem a te decretam subeam, per quam justitia tua et charitas manifestatur (Rom. 3, 25. 26; 5, 8.). Verbis his iterum declaravit, se paratum esse ad subeundam passionem et mortem. — *Venit* i. e. audita est. *Vox*, scil. articulata. — *Clarificavi*, scil. jam nomen meum, nimirum obedientia Filii perfecta, qui se mihi per totam vitam et etiamnum penitus obtulit. — *Iterum clarificabo*, scil. illud nomen meum, nimirum benevole suscipiendo sacrificio, a te in cruce offerendo<sup>1)</sup>). Sic ter Deus Pater Christum vocem e coelo delapsa glorificavit, primum in baptismo, dein in transfiguratione, et nunc in fine muneric ejus.

V. 29. *Turba* i. e. permulti, crassi (carnales), non dociles rerum divinarum (Chrys., Massl, Bucher). — *Stabat* i. e. adstebat, seu aderat. — *Audierat*, scil. sonitum. — *Tonitruum esse factum* i. e. tonitruisse. — *Alii*, nimirum dociles, cupidi rerum

<sup>1)</sup> Chrys., a Lap., Calm., Bucher.

divinarum, et ideo bona animi indole praediti<sup>1</sup>). Vox haec non erat talis, uti est mere humana, quia alias eam non tonitruum aut vocem angeli habuissent, qui eam audiverant. Attamen erat talis, ut ab omnibus percipi posset. Qui crassi, non dociles, erant, putabant vocem esse tonitruum, qui vero erant dociles, cupidi rerum divinarum, judicabant, esse vocem angeli. Ut divina vox, qua se homini Deus manifestat, intelligatur, non sufficit, ut aure tantum percipiatur, sed interna etiam hominis dispositio requiritur, quae facit, ut aure percepta etiam mente intelligantur.

V. 30. *Propter me*, ut nimirum conforter in adversis et edocear, quod ipse me exauditurus sit. — *Propter vos*, ut nimirum in me, tanquam Filium Dei, credatis et ita salvemini (a Lap.). — Versu 31—34. exponit sequelas mortis suae instantis respec-  
tu ad mundum et diabolum.

V. 31. *Nunc*, quum nimirum mors mea imminet, instat tempus. — *Judicium est mundi* i. e. quo fit judicium de mundo incredulo, frangendo nimirum vim ejus, qua regno divino hucusque adversabatur, ac ostendendo, vana et irrita esse omnia ejus molimina. — *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* i. e. nunc instat tempus, quo diabolus ex possessione sua ejicietur et dominio atque potestate sua privabitur ( $\varepsilon\xi\omega = \tau\bar{\eta}\varsigma \dot{\alpha}\rho\chi\bar{\eta}\varsigma$ ). — Haec loquendiratio desumpta est ex relatione, in qua a lapsu protoparentis diabolus ad mundum humanum et physicum existit. Quum nimirum primus homo dominium in mundum physicum, quod primitus Deus ei contulit, propter peccatum perdidisset, diabolus, Deo permittente, illo potitus et hominis loco princeps hujus mundi factus est. Sub ejus tyrannide ingemiscebat non tantum homo, qui ab eo varie vexabatur, sive tentando et in peccata seducendo, sive obsidendo et nocendo per creaturas humanis usibus servientes, sive cruciando timore mortis (coll. Hebr. 2, 15.), sed etiam ipsa creatura irrationalis, quae primitus creata erat, ut hominis servitio creatorem suum glorificaret. Etiam creatura irrationalis, ait s. Paulus (Rom. 8, 19. seq.) desiderat et suspirat redemtionem, uti homo. Redemptio haec facta est objective per Christum, quum per summum obedientiae actum (mortem in cruce) pro inobedientia hominum satisfaciendo, culpam ge-

<sup>1</sup>) Massl., Bucher.

neris humani abolevit, et ita humanum genus domino Satanae eripuit; — subjective vero sit in ecclesia, in qua per Spiritum s. singuli participes fiunt redemptiois objectivae, ita ut in tales, si ipsi vellent, nihil prorsus habeat potestatis diabolus. Et ita etiam redemptio creaturae irrationalis, quae in Christi miraculis et benedictionibus incepérat, in ecclesia continuatur in exorcismis et benedictionibus, quae fiunt super omnia mundi physici objecta; in fine autem mundi, quando homo plenae in Christo redemptionis, non tantum quoad spiritum, sed etiam quoad corpus suum, particeps fiet, etiam creatura irrationalis universa plenam participabit redemptionem; erit novum coelum et nova terra<sup>1)</sup>.

V. 32. *Exaltatus fuero*, nimirum in cruce; cf. 3, 14. Mald. — *Omnia* i. e. omnes homines omnium gentium, Judaeos et gentiles, scil. credituros in me. — *Traham* i. e. abraham a Satana et in meum regnum conjungam, nimirum per Spiritum s., in ecclesia operantem (coll. 11, 52. Vid. dicta 6, 44.).

V. 33. *Hoc* i. e. de sua exaltatione. — *Qua morte* i. e. quo mortis genere. — *Moriturus*, scil. morte crucis. — Sunt verba evangelistae, verba Christi explicantis.

V. 34. Intellexerunt Judaei, quod Christus de morte sua dixisset, et quod ipse non obscure se ut Messiam designasset; objiciunt ergo (erroneis de terreno Messiae regno opinionibus seducti), Christo, quomodo se dicat moriturum, quum s. literae doceant, Messiae regnum perpetuo duraturum, eumque perpetuo regnaturum esse. Habent nimirum ob oculos loca A. T. ps. 71, 7; 109, 4. Dan. 2, 44; 7, 13. 14. — *Ex lege* i. e. ex literis V. T. (cf. 10, 34.). — *Audivimus*. Hisce respicitur ad morem s. literas praefigendi et explicandi. — *Et quomodo* i. e. quomodo ergo. — *Exaltari*, nimirum in cruce, seu: in cruce mori. — *Quis est iste filius hominis* i. e. quisnam (seu qualis τις = ποτος) est ille filius hominis, qui mori debeat? hic haud est ille in s. literis annuntiatus?

V. 35. Christus non respondet directe ad objectionem Judaeorum, quia sciebat, eos incapaces esse responsi (Cyrill.); attamen adhortatur eos, ut brevi tempore, quo adhuc inter eos doctoris munere fungitur, in salutem suam utantur. — *Adhuc*

<sup>1)</sup> Reithmayr Röm. Brief. 8, 19. seq. — Bisping Ephes. 2, 2. Estius comment. 2 Cor. 4, 4, Ephes. 6, 12.

*modicum* i. e. adhuc brevi tempore. — *Lumen* i. e. ego, qui sum omnis verae cognitionis principium, fons et auctor (cf. 1, 4.). — *In vobis est* i. e. visibilis inter vos versor. — *Ambulate*, scil. in lumine (ob antithesin: qui ambulat in tenebris); quae verba v. 36. explicantur per: credite in lucem; et sensus est: credite in me et firmiter persistite in fide (Phil. 4, 1.), quamdiu me habetis praesentem (inter vos viventem)<sup>1)</sup>. — *Ut non vos tenebrae comprehendant* i. e. ne occupent vos tenebrae spirituales, ignorantiae et peccatorum (cf. 1, 5.). — *Et qui* i. e. nam qui ( $\chi\alpha\iota$  positum pro  $\gamma\alpha\rho$ ). — *Ambulat in tenebris* i. e. occupatus est tenebris spiritualibus. — *Nescit, quo vadit* i. e. nescit nec ultimum finem, nec viam, istum consequendi, adeoque in aeternae mortis existium ruit.

V. 36. *Dum lucem habetis* i. e. quamdiu me habetis praesentem. — *Credite in lucem* i. e. in me, qui sum omnis verae cognitionis principium, fons et auctor. — Explicat praegressum: ambulate, dum lucem habetis. — *Ut filii lucis sitis* i. e. ut per hanc fidem mecum conjungamini et ita in hac et in altera vita beati evadatis (cf. 1, 12.). — Ceterum phrasis filii lucis est hebraismus. Sacra scriptura vocem filius ( $\upsilon\delta\varsigma$ ,  $\tau\acute{e}x\varsigma\nu\varsigma$ ) nominibus virtutum, vitiorum aliarumque rerum saepissime ita jungit, ut significetur is, ad quem virtus vel vitium, vel res pertineat, seu quacum ille arctius conjunctus sit. Sic filius lucis ( $\tau\acute{e}x\varsigma\nu\varsigma \varphi\bar{\omega}\tau\varsigma$  Ephes. 5, 8. et h. l.), ad quem lux i. e. religio christiana pertinet; filius inobedientiae ( $\upsilon\delta\varsigma \delta\pi\epsilon\iota\theta\epsilon\iota\varsigma$ ), qui cum inobedientia conjunctus est, ad quem inobedientia pertinet, i. e. inobediens; filius maledictionis ( $\tau\acute{e}x\varsigma\nu\varsigma \chi\alpha\tau\acute{a}\rho\varsigma$  2 Pet. 2, 14.), qui maledictioni deputatus est. Cf. 17, 12. filius perditionis. — *Ab-scondit se*. Solebat nimirum in hocce festo paschatis per diem docere in templo, noctu vero secedebat in montem Oliveti ad evitandas adversariorum insidias (coll. Matth. 21, 17. Luc. 21, 37.).

#### 4) **Reflexiones evangelistae de successu activitatis Jesu (37—50.).**

V. 37. *Tanta* i. e. tot (cf. 1. Cor. 14, 10.). — *Signa* i. e. miracula. — *Coram éis* i. e. coram Hierosolymitanis et Judaeis generatim. — *Non credebant*, nimirum maxima pars eorum.

1) Cf. Mald.

V. 38. *Ut sermo Jesiae prophetae impleretur.* Particula ut (*iva*) plerumque explicatur de eventu (*ἐξβατικῶς*), hoc sensu: ita ut sermo Jesiae impleretur; seu: ipsorum incredulitate factum est, ut impleretur sermo prophetae Jesiae, quo eam praedixit<sup>1</sup>). Alii contra recentiores<sup>2</sup>), et quidem rectius, etiam hic, ut alias explicant *iva* de fine (*τελικῶς*), hoc sensu: non credebant, ideo, ut impleretur sermo Jesiae prophetae. Quia scil. propheta praedixerat, eos non credituros esse, ideo non crediderant, ut nimis impleretur divinum oraculum. Quod vero non ita intelligendum est, ac si coacti fuissent, ut non crederent, sed Deus praevidebat, eos non credituros, et quia id praevidebat, ideo etiam per prophetam praedixit; quum vero Deus in sua praevisione falli nequit, utique id, quod praedicit aut praedici jubet, revera evenire debet, ut verax sit in praedictis. — *Quis credidit* i. e. quis credit e Judaeis? — *Auditui nostro* i. e. praedicationi nostrae de Salvatore paciente? Vox ἀχογή proprie auditus, i. e. sensus audiendi, dein id, quod auditur, ergo praedicatio, ut h. l. (Rom. 10, 16. Hebr. 4, 2.). — *Et brachium Domini cui revelatum est* i. e. et quis per fidem agnoscit Dei virtutem, in Messia tanta miracula operantem<sup>3</sup>). — Brachium ex hebraismo pro virtute, potentia (cf. Luc. 1, 51.).

V. 39. et 40. *Propterea*, quia nimis excaecavit oculos eorum etc; . . . , sicut praedixit Jesaias, non poterant credere<sup>4</sup>). Quibus verbis significat causam illius impotentiae fuisse excaecationem et obdurationem voluntatis. — Quod jam ipsum locum attinet, hic ab evangelista libere, quoad sensum, allatus est. Nam in textu hebreo (6, 10.) Deus Jesiam jubet excaecare populum: excaeca cor populi etc. i. e. praedic populum a me (indirecte, privative, nimis negando ei ubiorem gratiam) excaecandum; nam prophetae saepe, quae tantum annuntiant, ea ipsi facere dicuntur, dum nostro loco juxta v. 41. subjectum est Christus in sua divina natura, Dei Filius, λόγος, (cf. 1, 4.). — Caecitas et obduratio cordis sunt imago impotentiae (incapacitatis) spiritualis, intelligendi revelationes divinas in

<sup>1</sup>) Mald., a Lap., Calm.

<sup>2</sup>) Patrit., Ad. Maier., Massl, Allioli, Beelen gramm. 480.

<sup>3</sup>) Jans., Mald.

<sup>4</sup>) Cf. Jans., Ad. Maier.

verbo et factis; — quae excaecatio et obduratio tribuitur Christo, Dei Filio, quatenus eis negaverit uberiorem gratiam, vel vero juxta Hebraeorum dicendi modum, ubi quis dicitur auctor rei alicujus aut eventus, quem solum permisit, vel cuius tantum occasionem praebuit. Christi nimirum adventus occasionem praebuit, ut in dies major fieret eorum obduratio. Quum enim nec ex doctrina, nec ex factis miraculosis Christi cognoscere vellent, Jesum esse Messiam, Dei Filium (quod potuissent, si gratiae internae sufficienti, eis datae non obstatissent), factum est hac eorum obstinacia, ut, negata eis ulteriori gratia, magis magisque incapaces fierent intelligendae veritatis divinae. Causa ergo hujus impotentiae spiritualis erant ipsi Judaei.<sup>1)</sup>. — Sanem eos (*λασομαι αὐτούς*) i. e. salvos faciam, seu saluti restituam. — Prophetas Jesaias quidem proxime de coaevis suis locutus est, sed verbahaec (docente evangelista) simul erant prophetia de Judaeis tempore Christi, de quo propheta vaticinatus est, quum tales essent, quales Judaei aetate Jesaiae (cf. Matth. 13, 14, 15.).

V. 41. *Gloriam ejus* i. e. divinam Christi naturam in visione, in qua ei ostensa est persona Filii, coaequalis et consubstantialis Patri (a Lap.). — Locus hic docet, revelationes Dei in A. T. factas fuisse per Logon (cf. 1, 4; 1 Cor. 10, 4.). — *De eo* i. e. de Christo in mundum venturo.

V. 42. *Ex principibus* i. e. ex synedris. — Addit hoc per modum correctionis v. 37., ne quis nullum omnino Judaeorum putaret credidisse (Jans.). — *Propter pharisaeos* i. e. timore pharisaeorum. — *Non confitebantur* i. e. non audebant, publice suam fidem in Christum fateri. — *Ut e synagoga non ejicerentur* i. e. ne excommunicarentur et extra synagogam pellerentur (cf. 9, 22.).

V. 43. *Dilexerunt magis* i. e. pluris fecerunt. — *Gloriam hominum, quam gloriam Dei* i. e. gloriam accipere ab hominibus, quam a Deo<sup>2)</sup>. —

V. 44. *Jesus autem clamavit et dixit* i. e. saepe prius clara voce dixit. — *Non credit in me, scilicet tantum.* — *Sed, nimirum etiam.* — *In eum, qui misit me* i. e. in Patrem (cf. 5, 36, 37.), quia nimirum ipse et Pater unum sunt (coll. 10, 30.).

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Chrysost., Theophyl., Cyrill.

V. 45. *Qui videt me i. e. qui per fidem me cognoscit.* Verbum θεωρέω h. l. notat cognoscere. — *Videt eum, qui misit me i. e. cognoscit et Patrem, quia unica est utriusque natura* (cf. 14, 9.).

V. 46. Videsis dicta 8, 12. (cf. 12, 35. 36.).

V. 47. *Audierit, scil. auribus corporis.* — *Non custodierit i. e. crediderit* (uti in graeco est μή πιστεύσῃ). — *Judico i. e. condemno; habet, qui eum condemnnet* (coll. v. 48.). — *Non veni, ut judicem mundum;* videsis dicta 3, 17.

V. 48. *Verba mea i. e. meam doctrinam.* — *Qui judicet i. e. condemnet.* — *Sermo i. e. doctrina.* — *Judicabit i. e. condemnabit, dignum scil. proclamans gehenna.* — *Eum, scil. incredulum.*

V. 49. Dat causam, cur doctrina Christi Judaeos incredulos condemnatura sit, quia scil. doctrina haec non est ex me profecta, sed Deum Patrem habet fontem, auctorem (coll. 7, 16; 8, 28. 38.); unde merito fidem poscit, quare qui illi non credit, Deo non credit (a Lap.).

V. 50. *Mandatum* (pro eo, quod mandatum est) i. e. doctrina. — *Vita aeterna est i. e. est causa et via (utpote absoluta veritas) ad vitam aeternam, seu conciliat vitam aeternam<sup>1)</sup>.* — *Sicut dixit mihi i. e. sicut jussit me loqui.*

## P a r s III.

**Narratio ultimorum vitae Christi dierum (13, 1—20, 31).**

**Jesus in medio apostolorum ultimo vespero.**

## C a p u t XIII.

### 1) **Apostolorum contentio de primatu, eorumque pedum lotio (v. 1—17).**

V. 1. *Ante diem festum paschae.* Loco huic innituntur jam illi interpres, qui dicunt, *Jesum non eodem die, quo reli-*

<sup>1)</sup> Mald., a Lap.

quos Judaeos (i. e. 14. Nizanis) coenam paschalem celebrasse, sed uno die anticipasse (ergo 13. Nizanis coenam pasch. egisse). Quum nimirum s. Joannes h. l. dicit, Dominum coenam paschalem egisse ante festum paschatis, dicunt, quum festum hoc inciperet in vespera 14. Nizanis, Christum 13. Nizanis coenam paschalem celebrasse. — Sed, si absolute verum esset, verba: ante diem festum paschae πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα), esse referenda ad tempus coenae paschalis, posset tamen opponi, Joannem, quum christianis Asiae minoris scriberet, non morem Judaeorum, inchoandi diem a solis occasu, sed morem Romanorum, dierum initia a media nocte sumendi, secutum fuisse; hinc verba: ante festum paschae, quum ipsum festum paschatis esset 15. dies Nizanis, utique possunt significare vesperam diei 14., ergo illam vesperam, qua et Judaei coenam paschalem celebrabant<sup>1)</sup>) — Ast difficultas haec etiam alio modo removeri potest, si nimirum verba: ante festum paschae, non ad tempus coenae paschalis, sed ad verbum sequens: sciens (εἰδὼς) referantur, et ante versum 2. ante verba: et coena (χαὶ δεῖπνοῦ) punctum ponatur (uti etiam de Wette interpungit), hoc sensu: Jesus jam ante festum paschatis scivit, horam suam venisse, ut transeat e mundo ad Patrem. Apostolus enim Joannes saepius ut singulare refert, quanti momenti faciat Jesus praedictionem suae passionis et gloriae, antequam tempus utriusque venerit. Versus 2. adnexus est primo, quin tamen re ista ordo temporis determinatus esset. Ex quo patet, Joannem non contradicere synopticis, qui narrant, Jesum eodem die, quo reliquos Judaeos (i. e. 14. Nizanis) coenam paschalem celebrasse.<sup>2)</sup>

Praeter hunc locum adhuc alia ex s. Joanne proferunt illi, qui affirmant, Jesum uno die coenam paschalem anticipasse. Quapropter, ut uno obtutu argumenta eorum perspiciantur, haud inutile erit, si hic statim omnia argumenta eorum diventilentur. Ceterum in antecessum observandum est, omnium illorum, qui

<sup>1)</sup> Cf. Patrit. III, 504., Friedlieb Leben Jesu, Döllinger Christenthum und Kirche S. 37. 41, Schegg Ewang. nach Matthäus S. 343—45. Etiam ipse Köessing in libello: de supra Christi coena p. 41., quamvis contraria sententiam teneat.

<sup>2)</sup> Cf. Friedlieb S. 140. 141.

dicunt, Jesum coenam paschalem uno die anticipasse, principale argumentum inniti suppositioni, synopticos non tam accuratum et exactum rerum ordinem, quam Joannem servasse.<sup>1)</sup>

a) Provocant ergo ad 13, 28. 29., ubi Christus Judam verbis: quod facis, fac citius ( $\delta\piοιεῖς, ποιησον τάχιον$ ), jussisse censetur, ut ea quae ad festum agendum opus essent, emeret; unde colligunt, festum paschatis i. e. diem 14. Nisanis, in cuius vespere festum incipiebat nondum advenisse; si enim festum jam incepisset, verba illa Christi non potuissent ita intelligere. Sed quum vox  $\epsilon\sigmaρτὴ$  h. l. (uti 13, 1.) intelligi potest de tota festivitate septiduana (vel octiduana) paschali; quum porro secunda dies esset sabbatum, et Jesus praegressis duobus diebus ultimis extra urbem commoratus esset, ergo juxta discipulorum opinionem adhuc quibusdam rebus pro duobus diebus sequentibus indigere posset, utique nil extraordinarii et insoliti est, si discipuli auditis illis verbis Christi putarent, Jesum inter ipsam coenam Judae praecepsisse, ut ea emeret, quae ad festum celebrandum opus essent, aut ut egenis aliquid distribueret. Solummodo supponitur fas fuisse, ipso die festo emere; talia vero emere fas fuisse, docent ipsi Talmudistae, imo ipsa lex Mosaica (Exod. 12, 16.) huic non obstabat.<sup>2)</sup> Etiam Koessing in hoc loco nullum firmum argumentum pro contraria sententia adesse, concedit (p. 43.).

b) Praeprimis defendunt sententiam suam loco 18, 28., ubi Judei, qui Jesum mane illius diei, quo mortem subibat, ad Pilatum comitabantur, praetorium ingredi noluisse perhibentur, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha; inde enim inferunt, Judaeos vespere demum illius diei, quo Christus crucifixus erat, coenam paschalem celebrare voluisse; hinc Christum coenam paschalem uno die prius, vespere diei 13. exeuntis et incipientis 14. celebrare debuisse. — Quod jam hunc locum attinet, Wieseler (in opere citato p. 383.) ostenderat, in formula  $\varphiαγεῖν τὸ πάσχα$ , tropum non esse situm in voce  $\piάσχα$  (uti id in prioribus explicationibus loci hujus putabatur, ac si  $\piάσχα$  hic significaret panes azymos, aut sacrificia Chagiga (alias victi-

1) Cf. Literaturzeitung Nr. 2. 1859.

2) Cf. Friedlieb S. 141. 142., Patrit III. 505. ad 26. et 8., Wieseler chronologische Synopse der vier Evangelien S. 366.

mas, quae die 15. Nizanis et nocte insequente ac die crastini comedebantur), sed in verbo φαγεῖν. In libro Josua (5, 11.) multis que locis apud s. Joannem (2, 13. 23; 6, 4; 11, 55; 13, 1.) et apud Talmudistas vox πάσχα non tantum denotat diem festum a vespera diei 14. usque ad vesperam 15. Nizanis, sed totam festivitatem septiduanam (aut octiduanam) paschalem, et in 2. libro Chronicorum (30, 22.) formula: festum paschatis (מַעֲשֵׂה) manducare, posita est pro: festivitatem paschalem celebrare. Ita et h. l. verba: pascha manducare (φαγεῖν τὸ πάσχα) significant: festivitatem paschalem celebrare (seu dies festos paschales agere) comedendis cibis legalibus (ἀξυνοῖς) et conviviis. Quae significatio h. l. tenenda commendatur etiam verbis ipsius evangelistae, dicentis: Judaeos praetorium ingredi noluisse, ne contaminarentur, ut manducarent pascha. — Conversatio cum ethnicis (immundis coll. Num. 19, 22. et Lev. 15, 5.) contaminabat solummodo usque ad vesperam (cf. Judith. 12, 7—9.); quum jam coena paschalis vespere inciperet, Judaei ex intrato praetorio non poterant ita contaminari, ut nefas ipsis sorret agnum paschalem vespere comedere; unde sequitur, quod formula φαγεῖν τὸ πάσχα, ne sit sine sensu, sensu latiori: festum paschatis celebrare, sumi debeat; contra vero poterant ingressu praetorii prohiberi ab illis victimis (Chagiga), quas jam ante vesperam edere solemne erat.<sup>1)</sup>

c.) Provocant tandem ad locum 19, 14., ubi evangelista dicit: Erat autem παρασκευὴ τοῦ πάσχα, quum Pilatus morti Christum addixerit hicque crucifixus fuerit. Quum παρασκευὴ τοῦ πάσχα, dicunt, significet diem, quo Judaei res ad festum celebrandum oportunas praeparabant, ergo vigiliam paschatis, inferunt, Jesum, si in vigilia paschatis i. e. 14. Nizanis crucifixus est, non potuisse eodem die coenam paschalem agere, quo reliqui Judaei, sed uno die eam anticipasse (i. e. 13. Nizanis celebasse.) — Sed saepe jam citatus Wieseler (p. 335. seq.) exquisite probavit, vocem παρασκευὴ solummodo denotare diem sextum hebdomadae, quo parabantur apud Judaeos, quae ad sabbatum (seu festum) necessaria erant; ergo id quod προσάββατον apud Marcum (15, 42.), esseque proprium hujus diei

<sup>1)</sup> Cf. Friedlieb S. 142—145. Patriit. III, 506.

nomen (cf. **Luc.** 23, 54. **Marc.** 15, 42. **Matth.** 27, 62.<sup>1)</sup>). **Huic explicationi suffragatur ipse Joannis locus** (19, 31. 42.), ubi παρασκευὴ designata est tanquam dies praeparatorius ad sabbatum, quod sabbatum dicitur magnum (*μεγάλη ἡ ἡμέρα*), quia incidebat intra octavam paschatis seu intra paschalem hebdomadam. Vox πάσχα vero h. l. potest apte explicari de festivitate paschali uti supra (ubi locus 18, 28. explicatus fuit), ita ut παρασκευὴ τοῦ πάσχα esset feria sexta, quae incidebat in festivitatem paschalem seu infra octavam paschae, uti etiam **s. Ignatius** (epist. ad Philipp. c. 13.) loquitur de sabbato τοῦ πάσχα i. e. de sabbato infra festivitatem paschalem. — Friedlieb etiam alio modo explicat, cur diem istum **s. Joannes** dicat paschatis (*παρασκευὴ τοῦ πάσχα*), dum statuit, Joannem fors h. l. morem Romanorum, inchoandi diem a media nocte, secutum esse, ita ut vox πάσχα h. l. significet ipsum festum paschatis, et παρασκευὴ τοῦ πάσχα esset feria sexta, quae contigit in die festi paschatis (cf. 18, 39.).<sup>2)</sup> — Quum igitur loca **s. Joannis**, ad quae illi provocant, qui affirmant, Jesum non eodem die, quo reliquos Judaeos, coenam paschalem celebrasse, sed uno die eam anticipasse, non sint talia, quibus nostra sententia everteretur, utique sequitur, Jesum vespere feriae quintae i. e. 14. Nizanis agnum paschalem comedisse et ss. Eucharistiam instituisse, hancque vesperam feriae quintae fuisse confinium diei 14. Nizanis et initium diei 15., atque Jesum feria sexta i. e. 15. Nizanis damnatum et crucifixum fuisse; quod etiam antiquissimi Patres (uti **Justin. Mart. dial. c. Tryph.** c. III. n. 8.) et doctores tradunt. — Christum eodem die, quo Judaeos reliquos, agnum paschalem comedisse, docent expresse synoptici: Sic **Lucas** (22, 7. seq.) dicit: „Venit dies azymorum, in qua necesse erat, occidi pascha; et misit Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha“ (i. e. agnum paschalem). **Marcus** (14, 12.) habet: Primo die azymorum, quando pascha immolabant (scil. Judaei juxta legem), dicunt ei discipuli: Quo vis eamus et paremus tibi, ut manduces pascha? Et **Matthaeus** (26, 17.) scribit: Prima autem die

<sup>1)</sup> Cf. Friedlieb S. 147. **Patrit. III.** 507—509., Wilke lexicon graecolat. in libros N. T.

<sup>2)</sup> Cf. Friedlieb S. 147. nota.

<sup>3)</sup> Cf. Bucher Leben Jesu S. 848, ff.

azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? <sup>1)</sup> Prima dies azymorum in hisce locis est dies 14. Nisanis. Proprie prima dies azymorum erat dies 15. Nisanis, ipse dies solemnis paschatis; ast quum abstinentiae fermenti initium et usus azymorum fieret vespere diei 14. Nisanis, factum est, ut etiam dies 14. diceretur prima dies azymorum. „Quum dicitur, ait Maimonides, prima die fermentum aedibus vestris ejiciens, traditione docentur, prima die intelligi decimam quartam.“ Unde etiam mos, mox de septem, mox de octo diebus azymorum loquendi.<sup>1)</sup> Cf. 2, 13. — *Hora ejus*; cf. 12, 23. — *Transeat* i. e. abeat, nimitem per mortem et subsequentem resurrectionem atque ascensionem. — *Suos* i. e. discipulos, apostolos (cf. 17, 6.). — *In finem*, scil. vitae (Cyrill.). Alii<sup>2)</sup> Chrysostomum secuti, vocem τέλος προτελείωσις (perfectio) sumentes, ita explicant: adeo, ut nihil possit ultra, seu summo amore, ostendens eum lavando pedes, eucharistiam instituendo (quae tamen notio: ostendens lavando pedes, eucharistiam instituendo, in verbis εἰς τέλος ἡγάπησεν αὐτὸν, non latet.) Cf. Koessing in lib. cit. p. 36.

V. 2. *Coena facta* (*δεῖπνου γενομένου*) i. e. coena paschali instituta. Ex hoc loco concludunt multi<sup>3)</sup>, Christum post coenam seu peracta coena paschali lassis pedes discipulorum. Sed huic obstant versus 12. et 26., qui clare docent, coenam paschalem nondum finitam fuisse; porro verbum γενέσθαι, uti recte Koessing (in libello cit. p. 32.) observat, hoc modo conjunctum nunquam non idem est atque fieri, et rei, de qua agitur, initium factum esse significat (cf. Joan. 21, 4. Matth. 8, 16; 26, 6; 14, 15, 23; 16, 2; 27, 1. 57. Marc. 6, 47.), ideoque pedum lotionem inter ipsam coenam fieri debuisse, remque, qui hoc affirman, ita explicant: Juxta Rabbinos multi ritus praecesserunt coenam paschalem, cui ad minimum interesse debebant decem homines, et inter quam bibebantur etiam ad minimum quinque pocula vini rubri, plerumque aqua mixti. Actis ad primi calicis sumptu-  
nem a patrefamilias laudibus et gratibus Deo, bibebat is primum poculum, et post eum reliqui convivae, quo facto Deum celebrando

<sup>1)</sup> Cf. Patrit. II. 423. III, 499.

<sup>2)</sup> Mald., a Lap., Patrit. III, 504.

<sup>3)</sup> A Lap., Patrit., Massl, Allioli,

manus lavabat. Nunc mensae imponebantur herbae amarae (lactucae, Exod. 12, 8.), quarum pars in acetum vel aquam sal-sam intacta comedebatur. Dein afferebantur cibi ad coenam pa-schalem pertinentes, nimirum panes azymi, puls Chasoreth (ex dactylis, sicubus, amygdalis parata et cinnamomo mixta, quae puls in memoriam revocabat graves labores, quos in Aegypto pa-tres peragere debebant in lateribus conficiendis), postea agnus et sacrificia Chagiga (i. e. aliae carnes aliarum victimarum). Paterfamilias iterum laudes et grates Deo dixit ad herbarum sumptionem easque in pultem intactas comedebat, id ipsum et con-vi-vis facientibus. Post haec infundebatur alterum poculum, et pater edocebat filium de festi significatu, ostendendo explicandoque agnum paschalem (in memoriam transitus angeli perditoris), her-bas amaras (in memoriam amaritudinum, quas gustaverant patres in Aegypto), panes azymos, in qua explicatione verosimiliter etiam occurabant verba: hoc est corpus paschatis, quibus opposite Christus dixerat: hoc est corpus meum; et dein primam hymni (Hallel, הַלְלָה) partem (ps. 113. et 114.) canebat. Dein alterum poculum bibebat. Quo facto paterfamilias iterum lotis manibus sumebat duos panes, unum frangebat imponebatque integro, et gratibus ad panis sumptionem dictis, sumebat partem panis fracti, et postquam illam herbis amaris circumvolverat, eam intingebat, laudes et grates Deo agens; dein dicebantur laudes et grates Deo ad sacrificiorum Chagiga sumptionem, ex qui-bus aliquid comedebat; tandem dictae sunt laudes Deo ad sumptionem agni paschalis, ex quo pariter paululum edebat. Nunc incipiebat coena paschalis stricte talis, in qua panes, in pultem intacti, carnes sacrificiorum Chagiga, tandem agnus paschalis comedebatur, et postea nil aliud. Postquam paterfamilias suas manus lavaverat, et laudes gratesque pro sumpto cibo Deo dixe-rat, benedicebat tertio poculo idque bibebat; et infuso quarto po-culo, canebaratur altera hymni (Hallel) pars (ps. 115—118.). Tan-dem benedicebatur quarto poculo, idque bibebaratur, etiam quin-tum, sed non ultra.<sup>1)</sup> Antequam ergo in celebranda coena pascha-li inciperet coena paschalis stricte talis, lavabat Christus pedes

<sup>208 1)</sup> Cf. de Wette, Bucher Erklärung des Evang. des h. Matth. zu 26, 20 und dessen: Leben Jesu S. 734. ff.

discipulorum. Fors ipse modus, quo mensae accumbebant, an sam dedit contentioni apostolorum, quis eorum sit maximus (cf. Luc. 22, 24—30). — Juxta morem Graecorum et Romanorum veterum etiam Judaei (hinc et Jesus) solebant ad mensam recumbere in lectulis (convivalibus) eo situ, ut partem corporis inferiorem in lecto (triclinio) sternerent, pedibus in exteriorem partem porrectis (nudis), superiorem vero fulcirent cubitu sinistro, sublimiori pulvino innixo, manu dextera cibos sumentes (Amos. 6, 9. Esther. 1, 6.). Tali modo caput recumbentis ad dexteram alterius occupabat sinum quasi et pectus alterius sibi proximi ad sinistram, uti Joannes (13, 23.) in sinu Christi recubuisse perhibetur (cf. Jansen.). — In tali triclinio recumbebant plerumque tres personae; attamen non una erat mensa, sed duae aliae annexabantur mediae mensae, ita ut formam soleae ferreae praeseferrent (unde nomen triclinium). Spatio vacuo utebantur ad cibos afferendos. Sedes (seu accubitus) primaria erat medium in media mensa; altera erat ad sinistram, et tertia ad dexteram illius, qui medium tenebat locum in mensa media. Hinc Christus accubuit in medio mensae mediae; ad ejus sinistram, ergo in sede secunda Petrus, in tertia Joannes. Si igitur Joannes clam a Christo aliquid querere volebat, sufficiebat, si magis retro se reclinabat ad pectus Domini, et ita etiam clam poterat a Christo responsum accipere, quin aliorum oculos in se converteret (Joan. 13, 25.). Et itidem poterat Joannes, si retro respiciebat suumque caput ultra Jesum tollebat, a Petro (13, 24.) nutum interrogantem accipere, qui a Christo non observabatur, quia Petro tergum obvertebat<sup>1</sup>). — Quum ergo apostoli per istam contentionem ostenderent mundanam, quia ambitiosam, mentem, Christus eos summo amore amans, vel instantे sua morte, eos a tali mente revocare eosque exemplo suo humilitatem edocere voluit, dum eis pedes lavat. — *Misisset in cor ejus i. e. ei suggestisset et consilium subjecisset.* Nam βάλλειν εἰς τὴν χαρδίαν est id ac: βάλλειν εἰς τὸν νοῦν.<sup>2</sup>) Joannes meminit hic Judae consilium prodendi Christum, ut Christi eximiam charitatem exaggeraret, qui, quamvis se mox prodendum a Juda sciret, adeo tamen in amore perstitit,

<sup>1)</sup> Cf. Bucher. Erklär. des Ewang. des h. Johannes, Sepp Leben Jesu 392.

<sup>2)</sup> Cf. Kuinoel, Ad. Maier, Beelen gramm. p. 377.

ut discipulis, imo ipsi Judae, pedes lavare voluerit<sup>1)</sup>). In textu graeco legitur: „cum diabolus Judae, Simonis filio Cariothensi, jam suggessisset“ sensu non diverso.<sup>2)</sup>

V. 3. *Sciens* i. e. quamvis probe sciret. — *Quia omnia dedit ei Pater in manus* i. e. sibi a Patre datam esse omnem potestatem, nimirum vitam dandi, ab ea excludendi, et judicium exercendi (cf. 3, 35; 17, 2. Matth. 11, 27.). — *A Deo exivit*; vid. 8, 42., ubi loco ἀπὸ θεοῦ ἐξῆλθεν legitur εἰς θεοῦ. — *Ad Deum vadit*, nimirum per ascensionem in coelum, ibi sessurus a dextris Dei.

V. 4. Nunc recenset Joannes sigillatim omnes lotionis actus et circumstantias, quae clare docent, eum fuisse testem oculatum. — *Surgit*; antea enim cubabat. — *Vestimenta* i. e. pallium, quia scil. istud expeditum manuum usum non permittebat. Pluralis positus pro singulari Hebraeorum more.<sup>3)</sup> — Ceterum pallium, quod erat vestis superior, totum corpus operiens, erat pannus quadratus. — *Praecinxit se*, scil. linteo, ut esset expeditior ad opus lavandi, ut servi facere solebant. Ceterum vox λέντον in textu graeco est latina, quae etiam in scriptis Rabbinorum occurrit.

V. 5. *Mittit* i. e. infundit (cf. Matth. 9, 17.). — *Coepit lavare pedes discipulorum*. Nonnulli tum ex antiquis, tum ex recentioribus<sup>4)</sup> interpretibus ex hoc loco colligunt, Christum prius lavisse jam aliorum discipulorum pedes, deinde venisse ad Petrum. Sed potest cum s. Augustino dici, evangelistam primogeneratim dicere, Christum pedes lavisse discipulorum, dein sigillatim explicare voluisse, quomodo lavisset et a quo coepisset, venisse ergo ad Petrum, ut eum primo loco lavaret<sup>5)</sup>). Etiam Rosenmüllerus id ipsum docet, observans simul, Petrum ideo, quia nullo alio exemplo juvabatur, tam fortiter restitisse. Imo ipsa verba hujus versus sententiae alteri non obstant, si τὸ coepit lavare (ἡρξατο..) explicatur per: se compositum ad lavandum et extergendum (Jansen.).

<sup>1)</sup> Cyril., Chrysost., Aug., a Lap.

<sup>2)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Rosenmüller.

<sup>4)</sup> Ad. Maier., Bucher., Mesmer.

<sup>5)</sup> Mald., a Lap., Calmet, Massl.

V. 6. *Venit ergo ad Simonem Petrum*, ut nimirum eum primo loco lavaret. — *Dicit Petrus*, scil. stupens et admirans Christi humilitatem ex profunda ejus reverentia (Cyrill.); unde singula ejus verba habent emphasis. — *Tu i. e. tu*, qui Filius es Dei et magister meus. — *Mihi i. e. mihi homini*, discipulo, piscatori et peccatori. — *Lavasi* i. e. lavare vis (necdum enim lavare cooperat), scil. manibus tuis benedictis (cf. Beelen gramm. 280.). — *Pedes*, scil. meos lutulentos, spurcos et foetidos<sup>1)</sup>. —

V. 7. *Quod ego facio, tu nescis modo* i. e. quaenam sit hujus lotionis causa, quid hac actione declarare velim, modo nescis. — *Scies postea* i. e. intelliges postea, quando peracta lotione iterum accubuero et facti hujus causam aperuero (inde a v. 13. coll. v. 10.).

V. 8. *Dicit Petrus*, nimirum ex summa reverentia, humilitate et dilectione erga Dominum (August.). — *Non lavabis mihi pedes in aeternum* i. e. nunquam hoc feram, nunquam hoc patiar, nunquam hoc sinam (August.). — *Si non lavero te, non habebis partem mecum* ( $\varepsilon\alpha\nu\mu\eta\ldots\varepsilon\muo\bar{\nu}$ ) i. e. si obstinate persistas in inobedientia, ut nolis tibi a me lavari pedes, tu, quia inobediens es, nullum habebis mecum consortium (Toletus, Jans., a Lap.); vel vero: si non susceperis doctrinam, quam ego hac pedum lotione tibi trado, nullum habebis mecum consortium<sup>2)</sup>). Explanatio altera praferenda videtur. Phrasis  $\mu\acute{e}r\omega\varsigma\ \varepsilon\chi\acute{e}\iota\varsigma\ \mu\acute{e}t\acute{a}\tau\acute{e}\iota\varsigma\varsigma\varsigma$  notat: habere consortium, communionem cum aliquo (interne et externe).

V. 9. *Petrus*, scil. perturbatus hac Christi comminatione, etsi nondum sensum actionis symbolicae intelligeret. — *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput*, scilicet lavari sino, quam ut non habeam tecum consortium. Ergo plura offert, quam Christus postularat.

V. 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, et vos mundi estis*. Est dictio proverbialis, qua alluditur ad morem antiquorum, qui ante convivium solebant prius in balneo lavari, in domo vero convivatoris non nisi pedes, qui faciliter in via ex balneo per terram calcatam inquinari poterant, a servis

<sup>1)</sup> Mald., a Lap.

<sup>2)</sup> Ammonius, Ad. Maier.



abluebantur, ne lecti, super quibus accumbebant, macularentur<sup>1</sup>). — Haec Christi verba proxime sensu proprio referenda sunt ad corporalem puritatem discipolorum, quum absque dubio, ut mos erat, se lavassent; ast Christus hanc corporalem puritatem considerat etiam ut symbolum puritatis spiritualis, quae discipulis ex conversatione (familiaritate) cum eo, ex susceptione doctrinae ipsius (coll. 15, 3.) et fide in eum Messiam obvenerat; solummodo lotio pedum i. e. per eam significata humilitas, iis necessaria est. — Sic vox *καθαρός* adhibetur h. l. tum de puritate externa, corporis, tum interna, animi. Sensus est: Sicut, qui in balneo corporaliter lotus est, egressus ex balneo mundus (purus) est totus praeter pedes, quos facilime in via ex balneo terra calcata commaculavit — ita et vos discipuli mei, qui per conversationem mecum institutam, per meae doctrinae susceptionem et fidem in me Messiam spiritualiter purgati estis, mundi estis interne (seu purae mentis estis), nec alia re vobis opus est praeter humilitatem, lotione pedum significatam<sup>2</sup>). — *Sed non omnes* i. e. uno Juda excepto. Tacite pungit Christus Judam, ut a consilio prodendi revocaretur.

V. 11. Reddit causam evangelista, cur dixerit Christus, non esse mundos omnes.

V. 12. *Recubuisset* i. e. mensae accubuisset. — *Scitis, quid fecerim vobis* i. e. num intelligitis, quid significatum voluerim in hac pedum lotione, vos, qui instar filiorum mundi contenditis de primatu et ambitis dignitates in regno Messiae?

V. 13. *Magister et domine*, (graece nominativus pro vocativo).<sup>3</sup>) — *Bene*, quia nimirum verum dicitis. — *Sum etenim*, scil. magister et dominus. Christus est magister; ipse enim est prima veritas, fons omnis veritatis et scientiae, qui per se nos docet, non tantum exterius loquendo, ut faciunt communes magistri, sed interius mentes illuminando, et voluntati gratiam inserendo, ut illa, quae agenda sunt audientes, reipsa fortiter et constanter opere adimpleamus (a Lap.). Christus est porro Dominus, quatenus ille per suam obedientiam usque ad mortem crucis Patri praestitam nos e servitute diaboli, peccati et mortis redemit

<sup>1)</sup> Wetstenius.

<sup>2)</sup> Calmet, Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Cf. Beelen gramm. p. 185.

sibique vindicavit in novo suo regno in populum peculiarem, cuius proinde, quatenus homo, Dominus effectus sit, et quatenus ei ad dexteram Dei exaltato Pater omnia subjicit (Eph. 1, 19. Col. 1, 18.).

V. 14. *Et vos* i. e. multo magis vos servi ac discipuli. — *Debetis alter alterius lavare pedes* i. e. sibi invicem omnia, etiam humillima officia praestare. Pedum lotio pro omni genere, etiam servilium et sordidorum, officiorum (cf. Luc. 22, 26, 27.) Ex hac Christi sententia usus invaluit, ut episcopi et reges christiani die Jovis sancto pauperum vel subditorum pedes lavent.

V. 16. *Non est servus major domino suo, neque apostolus major est eo, qui misit illum* i. e. quod (scil. opera humilitatis praestare) non dedecet magistrum et dominum, eo minus dedecet discipulum et servum. — Apostolus (*ἀπόστολος*) h. l. generatim legatus.

V. 17. *Si haec sciatis* i. e. si intelligitis, necessarium esse, ut homo se humiliet. — *Beati eritis* (*ἐστε* estis) i. e. beati praedicandi estis; nam jam hoc scire, est magna res, quia humilibus dicit Christus, ipsorum esse regnum coelorum (Matth. 5, 2); imo ipse Deus se humiliare debuit, ut nos humilitatem doceret (Massl). — *Si feceritis*, seu opere ostendetis. Virtutem enim scire, est quidem bonum, sed ipsa cognitio ejus est res parva, nisi opere completur, quod cognoscitur (cf. Matth. 7, 21.). Si fecerint, etiam erunt beati in re post mortem. — Sic Christus proprio exemplo docuit, quomodo apostoli et generatim omnes ejus asseclae debeant esse modesti, humiles, alieni ab omni fastu et studio honorum et dignitatum.

## 2) Proditor indicatus. Novum mandatum (18—35.).

(Matth. 26, 21—25. Marc. 14, 18—21. Luc. 22, 21—23.).

V. 18. *Non de omnibus dico*, nimirum quod (haec faciendo) beati futuri sitis. Restrinxit dictum prius. — *Ego scio, quos elegerim* i. e. ego scio et novi omnes, quos elegerim in apostolos, qui et quales sint, scio etiam, unum inter vos proditionem meam animo consepisse, seu me proditurum esse.<sup>1)</sup> — *Sed, scilicet hoc fac-*

<sup>1)</sup> Euthym., Mald., a Lap.

tum est (*τοῦτο γέγονε*) seu: consilium me prodendi a Juda capitum est; ut impleatur scriptura (cf. 12, 38.).<sup>1)</sup> — Posset vero locus etiam ita explicari: Sed, quamvis scirem Judam fore proditorem, eum tamen elegi in apostolum, ut impleretur scriptura (a Lap.); vel: quamvis consilia Judae inimica probe scirem eaque facile irrita reddere possem, ea tamen fieri permitto, ut impleretur scriptura. — *Scriptura*, quae scil. dicit. — *Qui manducat mecum panem* i. e. qui eodem mecum cibo alitur et mensa fruitur, seu qui familiaris meus est et conviva (verbis his familiarissima conjunctio significatur). — *Levabit contra me calcaneum suum* i. e. dolose me adoritur, seu dolose, adversus me insidias parat. Imago desumpta ab equo maligno, pedibus posterioribus calcitrante contra sibi appropinquantem. Locus hic est libere citatus ex psalmo (40, 10. seu 41, 10. juxta text. hebr.); in quo psaltes gravibus pressus calamitatibus et ab hostibus suis male tractatus, ab ipso conviva suo et familiari dolose circumvenitur et opprimitur. Conditio vero psaltis ejusque relatio ad familiarem est typus Christi, qui pariter a familiari suo Juda dolose circumventus et oppressus est<sup>2)</sup>. (Cf. Matth. 26, 24.).

V. 19. *A modo* i. e. nunc (14, 29.). — *Dico* i. e. praedico, quod scil. domesticus meus, me sit proditus. — *Credatis, quia ego sum* i. e. credatis, me esse Messiam (cf. 4, 26.), Dei Filium, utpote quum omnia, sicut praedixi, fieri videatis (cf. 2, 11.).

V. 20. Versus hic jungendus est cum v. 16. Voluit ibi Christus discipulis facta mentione relationis eorum ad se ipsum humilitatem commendare; ob hanc eorum relationem haud animum abjiciant, potius illa animum eis addat (Ad. Maier). Nam: *Qui accipit* i. e. qui excipit hospitio. — *Si quem misero* i. e. legatos meos. — *Accipit eum, qui me misit* i. e. Deum Patrem. Nam apostoli, Christi legati, repraesentant Christum, hic vero ipsum Patrem; hinc honor, qui legatis Dei impenditur, ipsi Deo exhibetur (cf. Matth. 10, 40.).

V. 21. *Turbatus est spiritu* i. e. vehementer animo commotus est, nimirum ob scelus Judae, quod ille jam jam eum esset proditus (cf. 11, 33.). — *Protestatus est* i. e. palam contesta-

<sup>1)</sup> Cf. Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Schegg Psalmen zum Ps. 40, 10. et Ps. 68.

tus est, seu aperte et serio affirmavit. — *Quia unus ex vobis tradet me.* Non nominat proditorem, ne illum ignominia afficeret, et ut ei poenitentiae conversionisque occasionem daret; tum etiam, uti Natalis Alexander (in exposit. s. evang. J. Chr.) addit, ut doceret, peccatores occultos non esse publice traducendos. (Contubernialum peccata, ait s. Chrysostomus, non revelanda sunt, etiamsi incurabilia<sup>1)</sup>). Simulque verbis his, uti Natalis Alexander observat, praedixit, se non invitum, sed scientem volentemque mori. — Quod jam ad proditoris significacionem in ultima coena a Domino factam attinet, interpretes respectu numeri et ordinis inter se dissentunt. Juxta Patrium<sup>2)</sup> Christus ter apertius, bis obscurius locutus est de proditione, quam Judas jam erat exsecuturus; et quidem primo ante institutam eucharistiam, eaque dixit, quae sunt in Matthaeo (26, 21—25.) et in Marco (14, 18—21.); secundo mox post eucharistiam institutam, quae legimus in Luca (22, 21—23.); tertio postquam apostolorum pedes laverat, quae Joannes refert (13, 21—26.). — Alii contra<sup>3)</sup> autumant, Christum proditionem Judae una continent oratione, eo, quo scribit Joannes, ordine (quum ex synopticis, qui rerum et verborum ordinem non stricte servarint, sed solum curarint, ut, quae ab apostolis de vita Christi enarrabantur, literis mandarent, et ideo plures res in universum tantum et summatim exponerent, Matthaeus et Marcus rem ita referunt, ut proditionis revelatio initio coenae et ante eucharistiam institutam, juxta Lucam vero statim post eucharistiam institutam facta esse videatur), et quidem primo, uti habet Joannes 13, 18. (quibus verbis plane respondent, quae habet Lucas 22, 21., quamquam haec etiam cum illis bene conferuntur, quae habet Joannes 13, 26.;<sup>4)</sup> secundo, uti sunt in Joanne 13, 21., et tertio, quae Joannes refert 13, 26. (Matth. 26, 23. Marc. 14, 20. et fors Luc. 22, 21.), interjectis post secundam proditoris significationem iis, quae habet Matthaeus 26, 24. 22. 25. (Marc. 14, 19. 21. Luc. 22, 22. 23.), post pedum lotionem ante institutionem eucharistiae, quam post Judae abitum et Christi sermonem post illum

<sup>1)</sup> Cf. Koessing de supra Christi coena p. 11.

<sup>2)</sup> De evang. lib. II. p. 424.

<sup>3)</sup> Friedlieb, Ad. Maier, Bucher, Koessing.

<sup>4)</sup> Cf. Koessing p. 6.

(Joan. 13, 31—35.) ponunt,<sup>1)</sup> praedixisse, quo simul affirmant, Judam s. eucharistiam non percepisse, quum contrarium multi Patres<sup>2)</sup> et interpretes<sup>3)</sup> statuant.<sup>4)</sup>

V. 22. *Haesitantes de quo diceret;* et, quamvis amoris sui erga Christum sibi concii essent, tamen magis Christi verbis, quam conscientiae suae confidebant; hinc non erant pacato animo, donec quisque ex Christi ore audiverat, se non esse proditorem. Ideo inter se quaesiverunt, quis esset hoc facturus (Luc. 22, 23.), imo singuli interrogabant: numquid ego sum Domine (Matth. 26, 22. Marc. 14, 19.).

V. 23. *In simu Jesu.* Videsis dicta in fine v. 2. — *Quem diligebat Jesus,* nimirum propter virginitatem et suavitatem morum. Hac periphrasi testimonio Patrum significat seipsum evangelista, quod et alii N. T. scriptores docent (cf. Prolegom. §. 6. ad II.).

V. 24. *Huic,* scil. Joanni sursum aspicienti. Vide dicta v. 2. — *Dicit,* scil. nutu i. e. nutu significabat, ut nimirum interrogaret. — *Quis est.* Cupit nosse proditorem ex amore et zelo, ut tantum scelus et Christi proditionem impediret (Chrysost.).

V. 25. *Recubuisse* (ἀναπεσών praferendum ἐπιπεσών) i. e. se reclinasset (eo situ, uti v. 2. dictum erat). — *Dixit ei,* scil. secreto, submissa voce.

V. 26. *Respondit,* non directe, sed signum dando, ex quo poterat proditorem suspicari et cognoscere. — *Intinctum panem,* scilicet in pultem Chasoreth (cf. v. 2.). Graeca vox φωμίον non tantum denotat frustulum (buccellam) panis, sed frustula omnis generis esculentorum. Hic loci verosimiliter debet intelligi panis fermentatus. — Jesus, qui patrisfamilias personam agebat, vinum et panem fermentatum, quem in pultem Chasoreth intinctum comedere solebant, porrigebat; quo ministerio simul Jesus usus est tanquam indicio ad proditorem Joanni revelandum. — Koessing<sup>5)</sup> affirmat, etiam Joannem, auditis Christi verbis: cui ego intinctum panem porrexero, non certo, uti reliquos apo-

<sup>1)</sup> Ut constitut. apost., Hilar., Innocent III.

<sup>2)</sup> Cyprian., Chrysost., Hieronym., August.

<sup>3)</sup> Mald., a Lap., Calmet, Patrit., Allioli.

<sup>4)</sup> Cf. Mald. tom. I. ad Matth. 26, 20. Calmet Matth. 26, 23.

<sup>5)</sup> In libello citato p. 13—18.

stolos (qui etiam illa verba audierant) intellexisse, eumque pariter ac reliquos apostolos, quid sibi illa verba vellent, incertum fuisse. Idque ideo affirmat, quia, quum Christus proditionem denuari nollet (ut nimirum ipse monitus ad bonam frugem se recipere), non perspicitur, cur cum certius uni Joanni significaverit. Porro tum demum, si etiam Joannes verba illa Christi certo non intellexisse putetur, fieri potuit, ut Judas magna cum libertate in hortum intrare et ad Dominum accedere auderet, quem osculatus in manus adversariorum traderet. Rem totam Koessing ita proponit: Jesus apostolis, qui manus suas in catinum porrigebant (Matth. 26, 23. Marc. 14, 20.), ciborum offas distribuens, Joanni, ipsum interroganti: quis est, respondit: ille, cui ego intactum panem porrexero —; quibus verbis volebat dicere: unus ex vobis, qui mecum editis ex eadem patina, offis acceptis, inimicis me tradet. Dein dedit Judae offulam. Ast, quamvis Dominus Judae statim offulam dedit, id tamen, quoniam ad plures referri poterat, ab uno Juda penitus perceptum est, quum haud probari potest, hoc ab apostolis, qui primo conturbati erant et contusi, eodem tempore observatum esse. Eam tamen significationem, uti et responsem Judae (Matth. 26, 25.) datam: tu dixisti (quae non ut certum quidquam affirmat, sed ei, cui datur, relinquunt, quid videatur (August., Euthym.), quam etiam nonnulli convivarum auribus percepérant, Judam ipsis suspectum reddidisse, haud est, cur dubitetur. Ast, quum Jesus pauca cum Juda ad se accedenti colloqui posset, quae singula non percepérunt discipuli, utique fieri poterat, ut apostoli, primo ejus dicta (quod facis, fac citius), ad alias quasdam res pertinere arbitrarentur.

V. 27. *Post buccellam*, scilicet panis acceptam et comestam. — *Introivit in eum Satanas* i. e. Satanus, qui prius (coll. v. 2. Luc. 22, 3.) ei proditionem Christi suggesserat, nunc, quum Judas se perspectum animadvertisens ira incenderetur, cum omni sua vi in ejus animum irruebat, impellens eum ad proditionem perficiendam. — *Jesus*, videns nimirum animum ejus ad executionem paratum (Jansen.). — *Quod facis* i. e. quod facere intendis, seu facere constituisti. — *Fac citius*. Verba haec plerumque non sumuntur ut praecipientis, sed permittentis, et compara-

<sup>1)</sup> Cf. v. 2. a Lap., Ad. Maier.

tivus pro positivo, hoc sensu: perfice cito, quod destinasti, non impedio, quamvis possim, permitto, ut facias; nam summe desidero mortem, ut homines redimam.<sup>1)</sup> Cf. Matth. 23, 32. — Sed possunt verba haec etiam ut jubentis sumi, et comparativus retineri, si cogitatu ad comparativum suppletur: Fac citius, quam nimirum perficere velle videaris.<sup>2)</sup> — Adhortatione hac, quae respicit non ipsam prditionem, sed vocem citius (τάχιον) vult Christus proditorem e sacra familia removere (Ad. Maier).

V. 28. *Scirit* i. e. intellexit. — *Nemo discubentium*, ne Joannes quidem.<sup>3)</sup>

V. 29. *Quidam*, scilicet accumbentium. — *Loculos* i. e. marsupium (cf. 12, 6.). — *Quae opus sunt* (ών χρείαν pro ταῦτα, ών χρεῖαν). — *Ad diem festum* (εἰς τὴν ἑορτήν) i. e. cf. v. 1.

V. 30. *Exivit continuo*, nimirum specie exsequendi praecepsi Dominici, sed revera furore quodam actus, diabolo admovente calcaria (Jans.). — Quum h. l. Joannes scribit, Judam, simulaque buccellam a Christo porrectam accepit, exiisse, multi (cf. dicta v. 21.), quum buccellam docente Luca (22, 20.), qui habet; postquam coenavit, ante eucharistiae distributionem Christus illi dedisse videtur, colligunt, Judam non accepisse corpus et sanguinem Christi. — Alii contrariam tenentes sententiam provocant ad Luc. 22, 20. 21., ubi Lucas sermonem de proditore habitum (22, 21. 22.) voculis πλήν ἐδοὺ cum iis connectit, quae de eucharistiae institutione narravit (22, 19. 20.). Horum nonnulli (Mald.) verba illa Joannis aut intelligenda putant, quod Christus post datam eucharistiam buccellam dederit, ut proditorem indicaret, aut ita, ut adverbium illud εὐθύς (continuo), quo Joannes utitur, non temporis momentum, sed brevissimum significet intervallum, quo Judas accepta jam bucella remanserat, et divina sacramenta percepérat usque ad Christi orationem post coenam habitam (Joann. 13, 31—35.). Sed recte observat Koessing, vocabulo πλήν (Luc. 22, 21.) non omnino ordinem temporis et causarum rationem exprimi eamque conjunctionem eo magis a Luca, qui narrationes certo temporis ordine nonnunquam neglecto composuit, profectam videri, quod praeter ceteros scrip-

1) S. Leo, a Lap.

2) Cf. Beelen gramm. 251.

3) Cf. dicta v. 26. Koessing p. 14.

tores sacros hoc vocabulo ad varias significaciones exprimendas uti solet (pag. 20.). — *Erat autem nox, non quidem sera, sed tenebrae subortae sunt<sup>1)</sup>.* Addit hoc apposite, ut alludat ad tenebras mentis, in quibus Judas, qui Christum deserebat, versabatur (v. Ambros.).

V. 31. *Exiisset*, scilicet Judas. — *Dixit Jesus*, nimirum sequentem sermonem, plenum amoris, consolationis et roborationis, in quo de sua morte, quasi de praeterita loquitur, eam proponens ut victoriam de diabolo et transitum ad gloriam coelestem. — *Nunc*, quando scilicet Judas jam ad vendendum me ad mortem exivit (Mald.). — *Clarificatus est* i. e. glorificabitur. Utrumque praeteritum ἐδοξάσθη (glorificatus est) in hoc versu est propheticum, quo scilicet res proxime et certissime eventura, designatur ut praeterita. Ceterum τὸ glorificare ( $\deltaο\xi\alpha\zeta\epsilon\tau\upsilon$ ) hoc versu utraque vice et in prima versus sequentis parte, est ita explicandum, uti 7, 39. (12, 23. 27.), nimirum de gloria Christi per mortem obtinenda. — Dicit: filius hominis, quia sermo est de moriendo. Sensus est: Mox, quum Judas jam ad vendendum me ad mortem exivit, per mortem meam brevi secuturam, qua opus redemptionis perficitur, glorificabor gloria coelesti, et etiam Deus per me glorificabitur, quatenus in morte mea hominibus apparuerit amor, sanctitas et justitia ejus<sup>2)</sup>. — Alii verba: Deus clarificatus est in eo, intelligentes de Christi naturae humanae relatione ad divinam, ita explicant: Deus seu divinitas in humilitate mea latens clarificabitur seu manifestabitur in mea morte, nimirum signis, quae in sole, petris, sepulchris et in tota terra contingent.<sup>3)</sup>

V. 32. *Si Deus clarificatus est in eo.* Sensus ut v. 31. — *Et Deus clarificabit eum in semetipso* i. e. etiam Deus eum glorificabit, nimirum eum in suam propriam ( $\epsilon\nu \epsilon\alpha\upsilon\tau\bar{\omega}$ ) gloriam assumendo. Vox  $\deltaο\xi\alpha\zeta\epsilon\tau$  (glorificabit) h. l. intelligenda est de gloria coelesti (cf. 17, 5.). — Qui alteram prioris versus explicationem tenent, haec verba ita explicant: Si in morte mea declaratum est (declarabitur), me filium hominis esse Filium Dei et Deum verum, etiam Filius Dei humanitatem suam in semetipso i.

<sup>1)</sup> Koessing p. 43.

<sup>2)</sup> Ad. Maier, Massl.

<sup>3)</sup> Chrysost., Cyril., Orig., Theophyl., Euthym., a Lap.

e. per divinitatem suam glorificabit, eam suscitaendo et exaltando in coelo (a Lap.). Qui ita explicant, εν έαυτῷ sumunt pro δι έαυτού. — *Continuo* i. e. brevi, mox.

V. 33. *Filioli*, i. e. carissimi. Nam graeca vox *τεκνία* saepe blanda compellatio, uti *παιδία* (21, 5. 1. Joan. 2, 13. 18.). — *Ad-huc modicum*; cf. 7, 33. — *Quaeretis* i. e. in tribulationibus et persecutionibus, quae vos manent, quaeretis et desiderabitis meam praesentiam (cf. 7, 34.). — *Vado* i. e. vadam nimirum ad Patrem per mortem (cf. 7, 33.).

V. 34. *Mandatum novum*. Loquitur Christus de novo mandato respectu ad mandata V. T. — Ibi erat etiam datum mandatum de mutua charitate (Lev. 19, 18.): Diliges proximum tuum, sicut te ipsum; sed mandatum Christi est novum respectu mensurae et gradus charitatis. In V. T. est amor sui designatus ut mensura amoris proximi (ut scilicet quisque proximum diligat, sicut seipsum); hic amor sui ipsius est primum, cui amor proximi ut altera res annexitur, ita ut in collisione amoris sui et proximi sit primum seipsum amare. Dein omnia pracepta de diligendo proximo in V. T. sunt maximam partem negativa, quatenus iis praecipitur, ne officia justitiae mutuo violent. Jesus vero asseclis suis proponit tanquam normam mutuae charitatis suum amorem, amorem, qui alienus a proprio commodo pro salute aliorum paratus est ad omnia abjecta et aspera subeunda, imo ad ipsum sanguinem profundendum; dicit enim: sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem<sup>1)</sup>.

V. 35. *In hoc* i. e. ex hac mutua charitate veluti nota atque criterio. — Ergo nota veri discipuli Christi est impletio praecetti mutuae charitatis. — Finito hoc sermone facta est institutio s. eucharistiae<sup>2)</sup> cf. v. 21. —

### 3) Praedictio lapsus Petri (36—38.)

Respectu lapsus Petri a Christo praedicti Friedlieb narrationes evangelistarum ita conciliat: Quum dicta altera hymni Hallel parte adhuc essent in coenaculo, dixit Jesus, quod legitur

<sup>1)</sup> Ad. Maier., a Lap.

<sup>2)</sup> Cf. Wieseler, Tischendorf synopsis evang., Tholuk commentar. in Joan., Friedlieb, Ad. Maier, Koessing, Bucher.

*omnes vos scilicet patrem in me in ita nocte, scripsit ei S*  
 apud Matthaeum (26, 31. 32.) et Marcum (14, 27, 28.). Tum Petrus respiciens ad verba Christi de suo abi<sup>t</sup>u (Joan. 13, 33.), dixit, quod habet Joannes (13, 36.), et quae sunt apud Lucam (22, 31. 32.): Simon, Simon, ecce Satanus expetivit vos... — Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo (Joan. 13, 37.). Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire (Luc. 22, 33.). Animam meam pro te ponam (Joan. 13, 37.), et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor (Matth. 26, 33.). Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen dico tibi, non cantabit gallus (bis coll. Marc. 14, 30.), donec ter me neges (Joan. 13, 38.). Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt (Matth. 26, 35. Marc. 14, 31.). Christus vero eis non contradixit ulterius, quia in animi sui concitatione non erant capaces monitorum ipsius considerandorum. Paululum aliter conciliat narrationes evangelistarum Koessing (pag. 22—23.), qui etiam ea, quae sunt apud Joannem (13, 37.) praeponit iis, quae sunt apud Lucam (22, 31. 32.); quae vero sunt apud Matthaeum (26, 31.) ponit post verba apud Lucam (22, 31. 32.); dein addit ea, quae habet Lucas (22, 33.). — Praedictionem lapsus Petri sequuntur, quae habet Lucas (22, 35—38. inclusive).

V. 36. **Petrus**, qui scilicet in verbis Christi (v. 33.): quo ego vado, vos non potestis venire — de quodam itinere periculoso cogitabat, vult scire, quo sit abiturus. — **Modo sequi**, scil. in via ad mortem. — **Postea**, scil. per mortem similem meae. Quae praedictio postea (21, 18. seq.) a Christo repetita est.

V. 37. **Petrus**, nimirum ex solito suo fervore. — **Animam** i. e. vitam.

V. 38. Jesus, quum Petrus sibi praefideret, ad eum humiliandum praeditus ei sui negationem. — **Animam tuam pro me pones** i. e. tantum abest, ut pro me moriaris, ut etiam me sis negaturus (cf. Matth. 26, 33. 34. Marc. 14, 30.).

*Caput XIV.*

Ulteriores Christi sermones et monita.

**1) Hortatur discipulos ad fiduciam in Deum et se (v. 1—11).**

V. 1. *Non turbetur cor vestrum* i. e. ne perturbetur animus vester. — Sermone Christi de discessu suo (13, 33.), quem sequi non possent, discipuli tanto magis commoti erant, quia Dominus praeter praedictionem imminentis mortis suae simul etiam praedixerat, Petrum, qui videbatur omnium fortissimus et animosissimus, eum negaturum esse. Huic animi perturbatione mederi vult Christus, ante omnia eos exhortatus ad fiduciam in Deum. — *Creditis.* Graece est utraque vice *πιστεύετε*, quod est tam imperativi, quam indicativi modus. Plerique graeci interpres<sup>1)</sup> et nonnulli latini cum antiqui<sup>2)</sup>, tum recentiores<sup>3)</sup> utroque loco imperativi modum statuentes, ita verba haec explicant: Ut aequo animo sitis, credite in Deum et credite in me (seu: confidite in Deum et in me). Nam *πιστις* (fides) radix fiduciae in Deum. — Alii vero latini<sup>4)</sup> priori loco sumunt indicativum, posteriori autem imperativum, supplentes ab initio particulam: *sicut* (*ὡς*), hoc sensu: Sicut in Deum creditis (confiditis), ita et in me credite (confidite), Deus enim ego sum, uti ille; hinc licet corpore abeam a vobis, ope mea vos non destituam<sup>5)</sup>. — In nonnullis codicibus initio versus hujus leguntur verba: et dixit discipulis suis; quae tamen sunt a librariis addita, quia hic incipiebat lectio ecclesiastica.

V. 2. *In domo Patris mei mansiones multae sunt* i. e. cum dixi, me eo discedere, quo vos mecum non potestis, ne putetis, vos e regno Patris mei excludi atque a me aeternum separatumiri, nam beatitas coelestis seu aeterna in coelo cum Deo conjunc-

<sup>1)</sup> Chrysost., Theophyl., Euthym.

<sup>2)</sup> Hilarius.

<sup>3)</sup> Ad. Maier.

<sup>4)</sup> August., Beda, Mald., a Lap.

<sup>5)</sup> Cf. a Lap.

lio, destinata est omnibus fidelibus. — Comparatur hic coelum (seu beatitas coelestis) cum palatio regali, quod, quum in eo multa sint conclavia, capax est innumerae multitudinis (cf. ps. 33, 14. Jes. 63, 15. Matth. 6, 9.). — *Mansiones* i. e. habitacula, domicilia. — *Si quo minus, dixisse vobis* i. e. si secus esset, si aliter res se haberet, si scilicet in domo Patris mei non essent mansiones multae, dixisse vobis. — Post εἰπον ὅμηρον ponendum est punctum. — *Quia vado parare vobis locum*, nimirum mittendo post redditum meum ad Patrem (7, 39; 16, 7.) Spiritum s., qui non tantum vos dirigat in munere vestro apostolico (act. 1, 8.), sed etiam sua gratia vos (omnes assecelas meos) virtutibus et meritis coeli seu beatitatis coelestis dignos efficiat<sup>1)</sup>. Verbis his confirmat dictum prius.

V. 3. *Abiero*; cf. 13, 33. — *Venio* i. e. veniam, scil. tempore mortis vestrae (praesens pro futuro)<sup>2)</sup>. Nonnulli (Ad. Maier) τὸ iterum venire (coll. v. 23.) explicant de communicatione Spiritus s. — *Accipiam* i. e. assumam (quoad animam tempore mortis, tempore autem judicii etiam quoad corpus). — *Vos*, scilicet virtutibus et meritis coelo dignos. — *Ad me ipsum* i. e. in gloriam et beatitatem coelestem (cf. 12, 26.).

V. 4. *Vado*, nimirum ad Patrem in coelum. — *Scitis* i. e. potestis et deberetis scire, nimirum ex iis, quae proxime (v. 2.) et saepius alias dixi. — *Viam* i. e. mortem, qua nimirum illuc iturus sum. — Christus πρόδορος noster (Hebr. 6, 20.).

V. 5. *Dicit*, scilicet nomine omnium putans, in locum aliquem terrenum discessurum Christum (Euthym.). — *Domine nescimus, quo vadis, et quomodo possum viam scire* i. e. cum nesciamus, quo eas, quomodo possumus scire viam, quae eo, quo is, tendit. — Verbis his simul inest indirecta petitio, apertius mentem declarandi.

V. 6. *Via* i. e. per quem et in quo pervenitur ad Patrem in coelis (qui est terminus). — Quibus verbis suum opus redemptionis designat ut unicam conditionem (seu seipsum ut unicum in medium) perveniendi in regnum Patris coelestis et participandi vitam beatam<sup>3)</sup>). — *Veritas* i. e. unus fons verae cognitionis Patris

<sup>1)</sup> August., a Lap., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Beelen gramm. 279.

<sup>3)</sup> Cf. Jansen., Mald., Bucher.

ejusque voluntatis (cf. dicta 1, 14. 17.). — *Vita* i. e. et ideo (quia videlicet veritas) fons, auctor vitae verae, aeternae, (quae hic incipit in justificatione et perficitur in beatitate aeterna). Cf. 1, 4. — *Ad Patrem*, scilicet in coelis. — *Nisi per me*. Hoc addit, ne quis putaret, praeter ipsum, adhuc alias dari vias, quibus pervenitur ad Patrem in coelis (cf. 10, 9.). Idipsum docet s. Petrus; „Nec aliud nomen (persona) est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (act. 4, 12.).

V. 7. Quum se nominasset veritatem, ulterius explicans notionem hanc, dicit: — *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis*, cum nimirum utrique est una substantia divina (cf. 8, 19.). — *A modo* i. e. ex nunc, seu ex hoc tempore, quo Filius clarificatus est. — *Cognoscetis* ( $\gamma\iota\nu\omega\sigma\chi\epsilon\tau\epsilon$  cognoscitis) *Patrem*, quia videlicet nunc Filium cognoscitis. — *Et vidistis eum*; praeteritum propheticum, quia Dominus glorificationem suam ejusque sequelam (scilicet cognitionem, si praesens legitur:  $\gamma\iota\nu\omega\sigma\chi\epsilon\tau\epsilon$  cognoscitis) ut jam factam (uti 13, 31.) proponit (Ad. Maier).

V. 8. *Philippus*, qui nimirum uti et reliqui apostoli probe intellexerat, Christum loqui de Patre in coelis, desiderat apparitionem Dei (theophaniam), quales in A. T. contigerant, dicens: *Domine ostende nobis Patrem* i. e. exhibe nobis Patrem, quem nos vidiisse dicis, oculis nostris corporeis videndum. — *Et sufficit nobis* i. e. et nihil aliud ultra querimus.

V. 9. *Tanto tempore* i. e. tamdiu, (nimirum per triennium). *Vobiscum sum* i. e. vobiscum conversatus sum, docens vos verbis et operibus. — *Et non cognovistis me* (in graeco est singularis  $\varepsilon\gamma\nu\omega\chi\alpha\varsigma$  cognovisti), nimirum me habere unam eandemque cum Patre substantiam. — *Qui videt me* i. e. qui me cognoscit. — *Videt et Patrem* i. e. et Patrem cognoscit, scilicet in me, (uti v. 7. dictum erat). Insinuat, duas in se esse naturas, alteram humanam, quae oculis, alteram divinam, quae animo videatur (Mald., a Lap.). — *Quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem* i. e. quum ille, qui me ut Dei Filium cognovit, non amplius potest desiderare, ut Patrem oculis corporeis videat, quomodo tu dicis: ostende etc. (cf. Ad. Maier).

V. 10. *Non creditis* (in graeco est singularis:  $\text{οὐ πιστεύεις}$ , ut solum Philippum alloquatur). — *Quia ego in Patre, et Pater*

*in me est.* Videsis dicta 10, 38. — Nunc probat ex effectu, ex identitate doctrinae et operum, Patrem esse in se Filio, et se Filium in Patre (cf. a Lap.). Verba ( $\tauὰ ρήματα$ ) i. e. doctrina. — *A me ipso non loquor* i. e. non est a me ut homine inventa (cf. 7, 17.), sed (cogitatu addendum) a Patre profecta est; nam loquor, quae in Patre video, seu quae a Patre accepi. Unde qui me loquentem audit, non tam me, quam Patrem in me et per me loquentem audit (a Lap.). — *Pater autem in me manens, ipse facit opera* i. e. imo Pater in me habitans et ipse opera, quae ego facio, facit; quod fieri non posset, si non utriusque esset eadem essentia et potentia divina. Vid. dicta 5, 19; 8, 28. — Verba: in me manens ( $\epsilonν \epsilonμοί μένων$ ) significant perdurantem, continuam inhabitacionem Patris in Filio et Filii in Patre.

V. 11. *Creditis*, nimirum mihi asseveranti. — *Alioquin*, si scilicet verbis meis non creditis, quod ego in Patre et Pater in me sit. — *Propter opera* i. e. miracula, quae Pater per me operabatur et quae testantur divinam in me potentiam, hinc et eandem cum Patre essentialiam (cf. 10, 37.). — In Vulgata verba: alioquin propter opera ipsa credite, juncta sunt versui 12.

## 2) Promissio effectus futuri (12—15.).

V. 12. Christus consolationem et exhortationem v. 2. inceptam hiciterum prosequitur, docens potestatem suam haereditatueros esse etiam apostolos. — *Credit*, scilicet, quod v. 11. dixi. — *Opera*. Per opera non sunt sensu strictiori intelligenda solum miracula, sed (ob v. 10. et 11., ubi ceu antithesis occurrit vox: *verba*) debet etiam intelligi tota Christi activitas in docendo unacum ejus effectu (conversione hominum). — *Majora*, respectu ad effectum praedicationis apostolorum, quatenus hi religionem Christi per totum terrarum orbem propagarint (gentes totius mundi converentes), et ita ei victoram de Judaismo et gentilismo comparant, atque regnum a Christo fundatum corroborarint, dum Christus intra Palaestinae fines subsistens, paucorum tantum fecerit conversionem<sup>1</sup>), et quatenus opera eorum sunt opera altioris ordinis, opera vivificantia, videlicet animas per sacramenta, quorum typi erant opera Christi miraculosa cum suis ef-

<sup>1)</sup> August., a Lap., Massl, Ad. Maier.

fectibus visibilibus<sup>1)</sup>). — *Quia rado ad Patrem.* Verbis his dat causam, cur id fiet. Abitu nimirum Christi ad Patrem tempus humilitatis ejus completum est, isque ad dexteram Patris considens, factus est omnium Dominus; ut itaque gloriam suam et majestatem manifestaret, apostolis potestatem operandi majora, quam ipse in terra operabatur, dedit (cf. Massl.).

V. 13. *Et i. e. meo ad Patrem abitu fiet.* — *Quodcumque* i. e. ut quodcumque, — *In nomine meo* i. e. cum fide firmaque in me fiducia per mea merita et ex mea mente, petendo nimirum, quae mihi grata sunt (cf. 15, 7.). — Phrasis: *in nomine meo* ( $\epsilon\nu\tau\varphi\delta\nu\delta\mu\alpha\tau\mu\nu$ ) proprie notat: invocato nomine meo; h. l. vero denotat: cum fide firmsque in me fiducia, per mea merita et ex mea mente, petendo nimirum, quae mihi grata sunt. — *Faciam* i. e. ego praestabo; quia operatio Dei idealis perficitur realiter per Filium (cf. dicta 1, 3; 5, 19.). Ipse etiam operatur in iis operibus, quae fiunt per apostolos (coll. v. 12.), quia per ejus vim et virtutem ea opera faciunt (Chrysost., Ad. Maier). — *Ut glorificetur Pater in Filio* i. e. ut per opera Filii illustretur seu conspicua reddatur potentia, amor et sapientia Dei.

V. 14. Asseverandi causa idem repetit (Euthym.).

V. 15. Verba haec continent conditionem, sub qua vult petitionem eorum exaudire; et sensus est: Si vultis impetrare, quae petitis in nomine meo, me vestri adeo amantem redamate, quod facietis, si mandata mea, quae vobis dedi, observetis (a Lap.).

### 3) Promissio Spiritus s. suique redditus (16—26.)

V. 16. *Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis* i. e. si in constanti erga me amore perseveretis, rogabo (nimirum ut homo, prout ait s. Augustinus,) Patrem, ut ad vos mittat Spiritum s., qui tanquam adjutor, auxiliator, perpetuo apud vos maneat. — Dum dicit: *alium* ( $\alpha\lambda\lambda\sigma\nu$ ), qualis nimirum ego sum, ostendit, etiam se esse paracletum, et *Spiritum s.*, quem sibi, ut pote personae, eum opponit, esse personam. — Paracletus est vox graeca  $\pi\alpha\rho\alpha\chi\lambda\gamma\tau\sigma\varsigma$ , quae, quum derivatur a  $\pi\alpha\rho\alpha\chi\lambda\epsilon\omega$  ad-

<sup>1)</sup> Cf. Veith Dodecatheon S. 246—248.

C. XIV. v. 17 - 18.

voco, proprie notat **advocatum**, quae vox subintellecto: ad auxiliandum, seu in auxilium, tam de adjutore, auxiliatore, (Beistand, Helfer) generatim, quam speciatim de **advocato**, opitulatore, auxiliatore et defensore in judicio adhibetur (uti 1 Joan. 2, 1.). Si respiciatur Christi activitas his in terris, et **Spiritus sancti**, qualis in sequentibus describitur, significatio prior: **adjutor auxiliator h. l.** tenenda est.— Versio vocis παράκλητος per consolatorem nimis angusta est respectu ad activitatem Spiritus s.; versio vero: **doctor repugnat usui loquendi**<sup>1)</sup>. — **Ut maneat vobiscum in aeternum.** Verbis his respicit suam brevem his in terris commorationem. — Si 16, 7. Filius Spiritum s. mittere dicitur, missio haec ita est explicanda, uti omnia opera divina; idealiter fit a Patre, perficitur vero per Filium<sup>2)</sup>). Exinde vero simul etiam patet, Christum esse eundem Deum cum Patre (Cyrill.). —

V. 17. **Spiritum veritatis.** Exponit, quem vocaverit Paracletum, hinc sensus est: nimirum Spiritum veritatis. Spiritus s. dicitur Spiritus veritatis, quia (coll. 16, 13.) est auctor omnis cognitionis veritatis (quae in eo ut Deo essentialiter est), ac solus purae et integrae veritatis doctor (cf. v. 26.). — **Mundus** i. e. homines increduli (vid. 1, 10; 12, 31.). — **Non videt eum, nec scit eum** i. e. non capax est eum (ejus divinam essentiam et vim) oculis mentis intuendi et cognoscendi (a Lap., Ad. Maier). „Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei (1 Cor. 2, 14.). — **Vos autem**, utpote a mundo ejusque moribus segregati. — **In vobis erit.** Hisce exponit, quomodo apud eos mansurus sit, nimirum non ita visibiliter vobiscum manebit, uti ego, sed in ipsis animis vestris habitabit, sua praesentia in vobis suam vim, gratiam, operationem divinam exserens (a Lap.). — Et haec est ratio, cur eum cognoscent, quia in ipsis erit (Jansen.).

V. 18. **Non relinquam vos**, scilicet per discessum meum. — **Orphanos** i. e. velut filios patre orbatos. — Supra (13, 33.) eos appellavit filiolos ( $\tau\epsilon\chi\nu\tau\alpha$ ). — **Veniam ad vos** i. e. iterum redibo. De quonam reddituloquatur, non convenit inter interpretes. Alii intelligunt verba haec de redditu die judicii<sup>3)</sup> cui tamen explicationi obstat v. 19., quo dicit, mundum incredulum non esse ipsum

1) Cf. Kuinoel, Ad. Maier.

2) Ad. Maier.

3) August., Beda, Mald.

visorum, quum in illo reditu omnes gentes universae terrae ad judicium congregabuntur et majestatem ejus videbunt (Matth. 25, 31. seq.). Alii intelligant de reditu post resurrectionem, quum corporaliter apostolis apparuit<sup>1</sup>); sed huic obstant verba: non relinquam vos orphanos, quae non possunt (ut verba 8, 29.) de brevi praesentia et communione explicari, quum illis perdurans conjunctio, ut id spiritualiter sit, promittitur. Etiam v. 19. et 23. explicationi huic obstant, qui pro toto contextu (v. 16 et 17.) postulant, ut illa verba de reditu Christi per Spiritum s. (de Spiritus s. missione) intelligantur, quatenus essentia Spiritus s. divina etiam est essentia Filii, Filius cum Spiritu s., uti cum Patre, unam eandemque habet substantiam<sup>2</sup>.

V. 19. *Modicum*; cf. 13, 33. — *Non videt* i. e. non videbit, quia scil. ad Patrem vado. Increduli ( $\delta\chi\sigma\mu\omega\varsigma$ ) nimirum Christum tamdiu solummodo vident, quamdiu vident ejus speciem corporalem, qua subtracta, utpote increduli, eum non vident oculis mentis. — *Vos videtis me* i. e. vos vero, utpote Spiritu s. repleti (scil. die pentecostes) videbitis me, nimirum oculis mentis. — *Ego (ἐγώ)*, qui scilicet sum ipsa vita, auctorque omnis vitae (cf. 1, 4; 4, 10.). — *Viretis* i. e. veram habebitis vitam in vobis, utpote repleti Spiritu s. (olim vero beatam in coelo). — Qui verba: *veniam ad vos* (v. 18.) explicant de reditu post resurrectionem, aut die judicii, verba: *ego vivo*, exponunt de vita Domini post resurrectionem, et: *vivetis*, de futura vita gloria fidelium. Alterum hoc potest in  $\tau\varphi$  *vivetis* simul cogitari, sed non exclusive (cf. 16, 16.). —

V. 20. *In illo die* i. e. postquam mihi per Spiritum s., quem die pentecostes misero, intime uniti fueritis. — *Vos*, utpote per Spiritum s. collustrati. — *Cognoscetis*, scilicet perfectius. — *Quia ego sum in Patre meo*, et Pater in me, nimirum per unitatem essentiae divinae, seu quod ego et Pater sumus ejusdem essentiae divinae, seu unus Deus. — *Vos in me*, scilicet estis, utpote per regenerationem mihi ut capiti incorporati. — *Ego in vobis*, nimirum per Spiritum s., (qui est Spiritus Christi) vos illuminans et dirigens ad omne bonum (cf. Rom. 8, 9, 10, 14.).

<sup>1)</sup> Theodorus Heracleotes et Mopsuest., Chrysost., Theophyl., Euthym.

<sup>2)</sup> Cyril. Alex., Ad. Maier.

Nam uti antiqui Patres<sup>1)</sup> docent, Spiritus s. in christianis habitat non per meram charitatem (quae esset ἐνοτήσις καὶ ἐνέργεια), sed substantialiter (καὶ οὐσία), in quo praecipua N. T. praerogativa p[ro]ae V. T. sita est, quod in N. T. Spiritus s. detur in substantia. Huic non obstat dictum apostoli (Rom. 5, 5): *charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum s.*; quia, uti interpres celeberrimi affirmant, *gratia sanctificans est ipsa Spiritus sancti persona<sup>2)</sup>.*, — Hinc recte scribit: Windischmann (Galater Brief pag. 100): „Wie dem historischen Momente der Menschwerdung das bis ans Ende der Zeiten sich in den Einzelnen wiederholende mystische Geborenwerden Christi entspricht, so dem historischen Pfingstfest eine stets fortduernde Aussendung des heil. Geistes . . . Die missio invisibilis Spiritus sancti, durch welche die heiligmachende Gnade gewirkt wird, ist nicht bloß diese Wirkung, sondern eine substantielle Gnadengegenwart des heil. Geistes im Menschen, ist ein *novus modus existendi* im Herzen der Gläubigen, als in seinem Tempel<sup>3)</sup>. — Attamen haec Christi in fidelibus inexistentia differt a Filii in Patre et Patris in Filio inexistentia eatenus, quatenus hic adest una essentia, dum ibi adsunt duae; ergo solum similis est, aequalis eatenus, quatenus utraque inexistentia est realis, et quatenus cum ea est connexa identitas in cogitando et volendo<sup>4)</sup>.

V. 1. Verbis hujus versus significat conditionem, sub qua ad arctissimam illam secum conjunctionem pervenire possint. — *Habet* i. e. tenet memoria (August.). — *Servat ea*, nimium operibus implendo (August.). — *Diligetur a Patre meo*, quia scilicet servando mandata mea, quae sunt mandata Patris, et ipsum Patrem diligit, hinc vicissim et ab eo amatur. — *Et ego*, scil. unacum Patre. — Ceterum, uti ait s. Joannes, (1 Joan. 4, 10.), non nos prius diligimus Deum, sed Deus prior diligit nos, gratiam suam nobis conferendo, qua eum vicissim diligamus, quam si acceptemus, eumque diligere incipiamus, ipse rursum magis diligit nos, majorumque gratiam nobis infundet (a Lap.). — *Manifestabo ei*

<sup>1)</sup> Irenaeus, Cyrill. Alex., August., Athanas. in Octavio.

<sup>2)</sup> Cf. Reithmayr Röm. Brief., Bisping Comment. Röm. Brief., Beelen comment. in epist. ad Rom.

<sup>3)</sup> Cf. Petavius de trin. VIII, 4. 6.

<sup>4)</sup> Cyrill. Alex. apud a Lap., Pires comment. in 4 evang. — Ad. Maier.

*me ipsum*, nimirum veniens ad eum per Spiritum s., eique per ipsum clariorem in dies mei meorumque mysteriorum et donorum cognitionem suppeditans. — Verba enim manifestabo *me ipsum* sunt ob v. 18. et 23. de Christi reditu per Spiritum s. intelligenda. — Alii ea intelligunt de manifestatione in hac terra per clariorem in dies Christi ejusque mysteriorum cognitionem, in altera vita per visionem sua essentiae humanae et divinae.<sup>1)</sup>

V. 22. *Judas*, non ille Iscariotes, sed Thaddaeus, qui etiam dicitur Lebbaeus, erat frater Jacobi minoris, hinc filius Alphaei et sororis Mariae matris Domini, simulque apostolus (cf. Matth. 10, 4. Marc. 3, 18. Luc. 6, 16. act. 1, 13.). — Non enim intellexerat, quod de sua manifestatione suis facienda Christus dixerat, sed intellexit eam de regno Messiano terreno brevi instituendo, quod universam terram complecteretur, ideoque, quum verba Domini cum hac opinione sua componere non posset, interrogabat Christum: *Quid factum est i. e. qui fit? seu: quid caussae est?* — *Quia manifestatus es nobis te ipsum, et non mundo i. e. quod nobis et non toti mundo te conspiciendum praebiturus sis.*

V. 23. *Respondit Jesus*, non quidem aperte ad id, quod rogabat Judas, quia ejus percipiendi non capaces essent apostoli, sed sententiam suam prosequendo, iterum conditionem eis indicat, sub qua ad arctissimam illam secum conjunctionem pervenire possint, ut ita *Judam ejusque coapostolos moneret*, ut conditionem istam impleant (Ad. Maier). — *Si quis, scil. quicunque ille fuerit.* — *Sermonem meum i. e. doctrinam meam.* — *Servabit;* cf. v. 21. — *Pater meus diligit eum;* cf. v. 21. — *Veniemus, nimirum ego et Pater per Spiritum sanctum;* ubi enim est una persona divina, ibi sunt ceterae duae (cf. v. 18.). Cf. Massl. — *Et mansionem apud eum faciemus i. e. et in anima ejus, quasi in templo suo habitabimus.* Alludit hisce ad Dei inhabitationem inter *Judeos* in V. T. (Lev. 26, 11. Ezech. 37, 26. Cf. 2 Cor. 6, 16.). Cf. 1, 14.

V. 24. *Sermonem* (graece διάλογος sermo) i. e. *doctrina.* — *Non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris;* cf. 7, 16. — *Verbis his dat causam doctrinae ipsius suscipienda et observanda.*

<sup>1)</sup> August., a Lap.

V. 25. *Haec locutus sum vobis* i. e. haec, quae hactenus dixi, vobis dicere volui. — *Apud vos manens* i. e. dum inter vos versatus sum. — Videtur Christus sermonem suum finire (Ad. Maier). — Paracletum dicit Spiritum sanctum, quia ipse est ipsa per essentiam increata et perfecta sanctitas, ipseque, a quo omnis sanctitas hominum et angelorum, velut radius a sole emanat et profluit (a Lap.).

V. 26. *In nomine meo.* Verba haec coll. v. 16. possunt significare: rogatu meo; vel: pro me, mei loco, ut scilicet, quae ego coepi, ille perficiat compleatque.<sup>1)</sup> Alterum praferendum est. — *Docebit omnia*, nimirum supernaturalia et divina, (mysteria ad salutem hominum pertinentia) quae hactenus capere non potuistis (Mald.). — *Suggeret* i. e. in memoriam revocabit, suppeditans simul claram eorum intelligentiam.<sup>2)</sup> — *Dixero* i. e. dixi.

#### 4) Valedictio et adhortatio ad abitum (27—31).

V. 27. *Pacem.* Vox εἰρήνη respondet Hebraeorum פָּשָׁלֵם, quae Hebraeis interdum successum et prosperitatem significat, interdum ipsam salutem. Utebantur hac voce Hebrei in valedictionibus: Εἰρήνη (υπαγε̄ seu παρέσθου εἰς εἰρήνην Marc. 5, 35. Luc. 7, 50), et in salutationibus: פָּשָׁלֵם pax tibi, seu pax tecum, pro quo graeci dicunt: χαιρε, latini: ave, salve. Dum Christus discessurus hic suam pacem apostolis optat et dat, utique non est (uti ipsa sequentia docent) de ea pace cogitandum, quae in prospero successu rerum temporalium, sed quae in bonis vere salutaribus consistit; ergo de illa pace, quae est hominibus in Deo et cum Deo, de pace seu beatitate interna (animi), quae resultat ex intima unione cum Christo, quae etiam in summis periculis et tribulationibus inconcussa permanet, et quae, uti ait s. Paulus (Philip. 4, 7.), exsuperat omnem sensum (i. e. quam intellectus naturalis non potest comprehendere). Ex hac pace oritur etiam mutua inter homines concordia. — *Meam*, ita dicit, quia ipsi est propria, et quia ipse solum eam hominibus dare potest. — *Do vobis* i. e. non tantum vobis imprecor illam, sed

<sup>1)</sup> Euthym., Mald., a Lap., Calmet.

<sup>2)</sup> August., Euthym., a Lap., Calm.

etiam tribuo, nimirum vi et amore redemptoris. Nam Christi (et apostolorum coll. Matth. 10, 13.) imprecatio pacis non erat nuda et verbalis, sed etiam realis, conferens benedictionem, gratiam et salutem. — *Quomodo mundus dat*, scil. pacem. Pax enim hujus mundi est, ut homines in rebus hujus mundi nihil adversi sentiant, i. e. ut libere possint emere, vendere, bonis mundi frui, comessari vitiisque servire; pax haec porro plerumque malis artibus acquiritur, et externa est, brevis, fallax et perniciosa.<sup>1)</sup> Cf. Matth. 10, 34. seq.— Verbsequentia sunt nectenda cum v. 28.<sup>2)</sup>— *Non turbetur cor vestrum*, nimirum tristitia propter meum discessum (coll. v. 28.). — *Formidet* i. e. nec animum abjecite tanquam in perpetuum a me deserendi (cf. v. 1.).

V. 28. *Audistis, quia ego dixi vobis: Vado et venio ad vos* i. e. ego quidem, ut dixi (v. 2, 3, 18.) vado ad Patrem, sed iterum veniam ad vos, atque vobiscum manebo. — *Si diligenteris me*, scilicet sincero illo amore, qui amici commoda suae voluptati praefert (cf. Mald.). — *Gauderetis utique, quia vado ad Patrem* i. e. gauderetis de discessu meo ad Patrem. — *Quia Pater major me est* i. e. quia, cum Pater major me sit, non potest illa profectio ad Patrem mihi (ut homini) cedere, nisi ad majorem honorem et gloriam, utpote quem meam naturam humanam ad dexteram suam collocando super omnes creaturas elevaturus sit.<sup>3)</sup>— Porro dicitur hic Pater major Filio quoad humanam ejus naturam, per quam ibat ad Patrem (Aug.); nam quoad divinam erat Patri aequalis. — Potest vero Pater Filio, etiam qua Deo, major dici, quatenus Pater est principium et causa Filii (Athanas., Hilar., s. Greg. Naz., Cyrill.). Cf. a Lap.

V. 29. *Dixi, scilicet me iturum esse per mortem ad Patrem.*

— *Credatis, nimirum me esse.* Vid. 13, 19.

V. 30. *Non multa loquar* i. e. jam non est tempus plura loquendi. — *Venit princeps hujus mundi* i. e. diabolus jam adventat per suos satellites, nimirum Judam ejusque adjutores (cf. 12, 31.). — *Et in me non habet quidquam* i. e. nihil in me invenit, quod suum dicere posset, nihil est in me peccati, ob quod sibi

<sup>1)</sup> August., Jans., Massl.

<sup>2)</sup> Mald., a Lap., Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Cyril., Augustin., Mald., a Lap.

*C. X. IV.* v. 31.  
potestatem de me arrogare posset<sup>1)</sup>; ideo accessus ejus est ini-

micus, machinans mortem meam (Ad. Maier).

V. 31. *Quia diligo Patrem*, quum scilicet sponte, ex Patris dilectione, (manifestante se, uti statim dicit, obedientia erga Patrem), me huic potestati inimicae do. — *Et sicut mandatum dedid mihi Pater, sic facio* i. e. faciens, uti Pater mihi mandavit, ut nimirum mortem capessendo hanc diaboli potestatem destruam (cf. 12, 31. 32.). — *Surgite, eamus hinc*, nimirum ad hortum Gethsemani. — Attamen, quamvis Christus discipulos exhortatus esset, ut cum ipso abeant, inde tamen non sequitur, Christum prolati illis verbis revera statim abiisse; potius cum permultis tum antiquis interpretibus,<sup>2)</sup> tum recentioribus<sup>3)</sup> statuendum est, Christum, postquam illa verba protulit, surrexisse, seque ad discedendum accinxisse; ast, antequam discedere inceperat, stando novum et longiorem sermonem hic resumpsit, eumque protraxit a c. 15—18, 1., ubi sermonem finiens, abiit trans torrentem Cedron in montem olivarum (a Lap.).

## C a p u t X V.

### Parabola vitis et palmitum (v. 1—8.)

Quid Christo occasionem dederit, imaginem a vite et palmitibus deductam adhibendi, alii putant, eam suppeditasse aspectum vinearum in itinere in hortum Gethsemani; alii aspectum vitis aureae in templo; alii yitem per fenestras coenaculi aspectum. Praferenda est eorum sententia, qui putant, ipsum poculum coenae paschalis hanc occasionem suppeditasse (Ad. Maier). Per parabolam hanc vult Christus apostolis loqui de arctissima secum conjunctione, et de fructibus ex ea provenientibus. —

V. 1. *Ego sum vitis*. Comparat se Christus viti, qua homo, fideles palmitibus, Patrem vimotori (a Lap.). Vitis h. l. id quod apud s. Paulum caput, et palmites, quod membra (Ephes. 5, 23).

<sup>1)</sup> Cf. Mald., a Lap., Calm.

<sup>2)</sup> Mald., a Lap.

<sup>3)</sup> Kuinoel, Ad. Maier, Massl, Friedlieb, Koessing, Bucher.

30. Coll. 2, 19.). — *Vera* i. e. spiritualis et perfecta, in antithesi ad vitem corporalem et figuram, quia melius et perfectius homines sibi unitos (insertos) nutrit, quam palmites naturalis vitis, progignendo in eis per suam gratiam perfectos, supernaturales fructus. (cf. Mald. et 1, 9. lux vera; 6, 32. panis verus). — *Agricola* i. e. vinitor (*ἀμπελουργός* Matth. 21, 33.), cuius sunt vitiis et palmites, qui cum vitis, tum palmitum curam gerit, qui fructibus palmitum copiosis glorificatur (coll. v. 8.).

*V. 2. Omnem palmitem.* Christus de vite nil dicit, quia ipse, qui est vitis, sibi sufficit (a Lap.). — *Duplex vinitoris cura* est; *primum*, ut palmitem non ferentem fructum a vite abscidat; *dein*, ut palmitem fructum ferentem purget, nimirum auferendis omnibus profectus impedimentis (frondibus nimiis etc.). — *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum* i. e. omnem fidelem seu christianum, qui per fidem et baptismum mihi, quasi palmes viti, insertus est, si non ferat fructum bonorum operum, Deus Pater velut infrugiferum palmitem abscidet a vite, nimirum retrahendo gratiam, ita ut sibi relictus spiritualiter moriatur et a me separetur. — *Et omnem, qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat* i. e. eum vero, qui fert fructum, purgabit, auferens ab eo impedimenta spiritualis profectus, uti cupiditatem animalem, amores saeculares, desideria inania (partim per internas admonitiones et illustrations, partim per tribulationes, afflictiones, persecutions<sup>1)</sup>)

*V. 3. Mundi estis,* utpote purgati ab errore et vitiis adeoque sancti et Deo grati. „Nam, ut ait Paulus (Heb. 4, 12.). vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus (i. e. partis animae sensitivae et intellectivae). — *Propter sermonem* i. e. per doctrinam meam, quam audistis et illi obedistis. — *Sed haec purgatio non erat perfecta* (cf. 13, 10.); ut esset perfecta, adhortatur eos in sequentibus, ut ipsi arctissime uniantur.

*V. 4. Manete in me,* scilicet per fidem et charitatem vos mecum constanter conjungendo. — *Et ego in vobis,* scilicet manebo, vivificans et corroborans vos per Spiritum s. ad producenda opera bona (a Lap.). — *A semetipso* i. e. separatus a vite,

<sup>1)</sup> Cf. a Lap., Massl.

C. XV. v. 5-7.

quia succus vitalis ei deest. — *Nisi manserit in vite* i. e. sed tantum, si manserit in vite, quum ex ea succum et vim frugiferam trahat. — *Sic nec vos*, scil. non potestis producere bona opera, quae mereantur vitam aeternam. — *Nisi in me manseritis*, nimirum mecum conjuncti per fidem et charitatem, vitam et vigorem spiritualem a me accipientes. — Ex hoc loco patet, hominem non a se suisque naturae viribus, non etiam exterius ab homine docente vel suadente, sed ab interna Christi gratia haurire vim producendi bona opera, praesertim supernaturalia, ac vim per illa merendi augmentum gratiae et gloriae (a Lap.). —

V. 5. *Fructum multum*, scilicet bonorum operum et meritorum, quibus augmentum gratiae et gloriae continue promeretur (a Lap.). — *Sine me* i. e. sine auxilio gratiae meae. — *Nihil facere* i. e. nihil vita aeterna aut gratia dignum et meritorium (cf. a Lap.). — Duplex negatio vim orationis auget<sup>1)</sup>.

V. 6. Nunc duas affert causas ad permanendum in unione cum ipso; aliam negativam v. 6.), aliam positivam (v. 7.). Ceterum non est hic servatus ordo; nam post palmitum, qui arescunt, praecisionem, primum colliguntur et in fasces connectuntur, dein in ignem mittuntur (Mald.). Sensus est: Sicut palmes, qui non manet in vite, arescit, et ut talis a vite resecatur forasque proticitur, ac dein in fasciculos colligitur et comburitur; sic pariter christianus, qui in me per fidem et charitatem non manet, poenis aeternis afficietur. — Vulgata utrumque aoristum ἐβλήθη et ἐξηράνθη pro futuro positum sumens, bene quidem transluxit: mitteatur et arescat; attamen aoristi hic, uti Beelen recte observat (p. 295.), vim futurorum proprie non habent, sed adhibiti sunt de uno eoque singulo eventu, qui quidem cui tempori tribuendus sit, non est definitum; sensumque ita statuit: si quis in me non manserit, jameo ipso ejectus est foras sicut palmes et exaruit. — Quid sit homines colligi et in ignem mitti, declaravit Christus in parabola de zizaniis (Matth. 13, 41. 42.).

V. 7. *Verba mea* i. e. doctrina et praecepta mea. — *In vobis*, scilicet ita, ut corde et voluntate (nimirum observando) ea teneatis. — *Quodcumque volueritis, petetis, et fieri vobis;* cf. 14, 13.

<sup>1)</sup> Cf. Beelen gramm. p. 500.

V. 8. *In hoc i. e. per hoc.* — *Clarificatus est i. e. glorificatur* (verbo ἐδοξάσθη indefinite sumpto). Cf. Mald. — *Ut fructum plurimum afferatis*, nimirum bonorum operum. Nonnulli hic (et 17, 3.) particulam ut (*ἴνα*) putant positam pro: si (*έάν*); sed praferenda est eorum explicatio, qui ut (*ἴνα*) significatu suo retinent; est enim sententia haec explicans praegressam, quomodo sit Deus glorificandus (cf. Ad. Maier). — *Et efficiamini i. e. et sitis*, nimirum mutua dilectione. — *Mei discipuli*, scilicet veri, germani. Cf. 13, 35.

## 2) Exhortatio ad persistendum in charitate et unione cum Christo (9—17).

V. 9. *Sicut* (*χαθώς*) significat non aequalitatem dilectionis, sed similitudinem. — *Dilexit Pater*, nimirum mihi dando suam substantiam et potestatem (cf. 3, 35.). — *Et ego dlexi vos*, quum scilicet me vobis penitus tradidi. — Utrumque consideratur ut res facta, respectu ad vitam Christi mox finitam (Ad. Maier). — *Manete*, scilicet ita etiam. — *In dilectione mea* i. e. in dilectione erga me, nimirum ut perfecte vos mihi tradatis, quod fit observatione praceptorum (coll. v. 10.). — Pronomen possessivum ἐμή (in τῇ ἀγάπῃ ἐμῇ) vim habet genitivi objecti: dilectio erga me (*ἀγάπῃ ἐμοῦ*<sup>1</sup>). — Alii verba ἀγάπῃ ἐμῇ explicant de dilectione Christi, qua nos diligit, ut sensus sit: Curate ut ego semper vos diligam; sed praferenda est prior explicatio, quia, uti Maldonatus ait, magis conveniebat, ut discipulos hortaretur, ut se diligerent, quam ut a se diligerentur.

V. 10. *Sicut et ego Patris mei paecepta serravi*, nimirum homo factus ei obediens usque ad mortem. — *Et maneo* i. e. et hac de causa maneo. — *In ejus dilectione* i. e. in dilectione erga ipsum (Mald.). —

V. 11. *Haec*, scil. dicta a v. 1—10. — *Gaudium* i. e. interna beatitas. — *Meum* i. e. quae a me procedit, a me communicatur. — *In vobis sit* i. e. vobis perpetuo communicetur (a Lap., Ad. Maier). — *Gaudium vestrum*; dicit gaudium vestrum (i. e. apostolorum), quatenus est in eorum possessione, ipsis communici-

<sup>1</sup>) August., Chrysost., Mald.

catum. — *Impleatur* i. e. fiat plena et perfecta (cf. 3, 29.). „Cer-  
tum, ait s. Bernardus (epist. 114.) inhabitantis in anima  
Spiritus sancti signum est, spiritualis laetitia, et (ut addit Cor-  
nelius a Lapide) juge mentis in Deo suo gaudium. Mens enim  
in Deo exultans et jubilans, ex Deo inhabitante exultat et jubilat.

V. 12. Versus hic cohaeret cum v. 10. Ibi dixerat Christus,  
observationem praceptorum esse necessariam conditionem uni-  
onis cum ipso. Ad quaestionem necessario propositam, quae nam  
pracepta sint servanda, nunc respondet (Ad. Maier). — *Prae-  
ceptum meum* i. e. praceptum meae religioni proprium, novum  
(cf. 13, 34.).

V. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet* i. e. nemo di-  
lectionis documentum majus edere potest. — Nam ἔχειν ἀγάπην  
est: ostendere dilectionem luculento documento<sup>1)</sup>). — *Ut animam  
ponat* i. e. ut vitam impendat. Vita enim inter omnia, quae alteri-  
us causa contemni possunt, nihil habet homo pretiosius. — *Pro  
amicis suis*. Dicendo: *pro amicis*, non pugnat cum s. Paulo,  
qui in epistolā ad Romanos (5, 6.) scribit: Christum *pro inimicis  
mortuum esse*. Tota enim vis in sententia Christi sita est in τῷ  
animam ponere, et non in verbis: *pro amicis*. In dicto Christi  
proponitur magnitudo actus (sacrificii), dum s. Paulus mor-  
tem Christi ut summum dilectionis documentum considerat re-  
spectu ad personas, quas diligit (Ad. Maier).

V. 14. Verba ultima versus praecedentis: *pro amicis*,  
Christo occasionem dant, explicandi, quinam sint amici ejus. —  
*Estis* i. e. estis et manetis. — *Feceritis* (*ποιήτε*) i. e. faciatis,  
quae nimirum praecipio, seu si servetis pracepta mea (cf. 8,  
31.).

V. 15. *Jam non* i. e. non amplius. — *Dicam* i. e. dico;  
quod coll. v. 20., ubi iterum eos servis comparat, non absolute,  
sed relative intelligendum est. — *Servos*. Nusquam quidem le-  
gimus, Christum antea apostolos consueuisse servos vocare;  
ast vocavit se ipsum Dominum, appellaruntque eum ita apo-  
stoli, unde sequitur, illos fuisse servos. Ast servi erant non ser-  
vitute servili, quali mancipia ex timore serviunt heris, sed ser-  
vitute filiali, quali filii ex amore serviunt parentibus; unde etiam

<sup>1)</sup> Rosenmüller.

ipsi in scriptis suis (Rom. 1, 1. Gal. 1, 10. Phil. 1, 1. aliasque, Jac. 1, 1. 2 Petr. 1, 1. Jud. v. 1. Apoc. 1, 1.) amant se tanquam ministros et legatos Dei in praedicando evangelio appellare servos, uti jam in V. T. Moses (Deut. 34, 5. Jos. 1, 1. 13. 15.) et prophetae (Jerem. 17, 25; 26, 5.) vocabantur. — Dicit vero eos jam nunc amicos, quia jam amici re ipsa erant. — *Quia servus nescit, quid faciat dominus ejus* i. e. quia (communiter) servus nescit consilia et decreta domini sui. — *Omnia*, imo (coll. Matth. 13, 11.) ipsa mysteria regni coelorum. — *Vox omnia respectu ad 14, 25. 26. et 16, 12. est restringenda.*

V. 16. Addit hoc, ut intelligent, se eos priorem amasse. *Elegistis*, scilicet amicum. — *Elegi vos*, nimirum amicos et familiares. — *Et posui* i. e. et constitui apostolos (dando simul gratiam necessariam). Verbum τιθέναι h. l. constituere ad apostolatum (Cf. 1 Tim. 1, 12. act. 13, 47; 20, 28.<sup>1)</sup>). — *Ut eatis*, nimirum in mundum universum, evangelium praedicantes (coll. Matth. 28, 19. Marc. 16, 15.). — *Fructum afferatis*, scilicet praedicatione evangelii multos mihi discipulos colligentes. — *Maneat*, scilicet in vitam aeternam, ubi vobis justa fructus vestri dabitur merces (1 Cor. 3, 6. seq.) — *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis* i. e. haec vestra electio et constitutio in apostolos efficiet, ut, quodcumque etc. . Vid. 14, 13. et 15, 7. —

V. 17. *Haec*, scilicet ea, quae a v. 12. hucusque dicta sunt. Est enim conclusio praecedentium, hoc sensu: hoc igitur principio vobis, ut diligatis invicem, eo scilicet modo, quo ego vos dilexi.

### **3) De odio et persecutione mundi increduli (18—27.).**

V. 18. Annuntiat nunc discipulis odia mundi, quae animo praevidebat, consolans eos atque erigens suo ipsius exemplo. — *Odit*, et odium suum vobis persecundis ostendit. — *Scitote* i. e. ne sit vobis hoc novum, aut mirum; sed cogitate. — *Me priorem* i. e. me prius, quam vos.

<sup>2)</sup> Ad. Maier, Mald., a Lap.

*Vos praecepsisti esti cogitandi sentiendo et agendo ratione  
inverso perversum, rebus solum terrenis inhiuantur nec divina  
sapientium*

250

V. 19. Dat causam istius odii. — *De mundo*; vid. 8, 23.  
*Quod suum erat* i. e. vos, ut sibi similes. Similitudo enim est  
causa amoris; dissimilitudo vero causa odii<sup>1)</sup>). — Similis simili  
gaudet. — *Ego*, nimirum per gratiam meam. — *Elegi de mundo*  
i. e. vos ex hominum perversorum numero separavi mihique fide,  
moribus et studiis adjunxi et apostolos constitui<sup>2)</sup>). — *Propterea  
odit vos mundus*, tanquam sibi dissimiles. — Id tamen ne fran-  
gat animum eorum, si considerent suam ad ipsum relationem.

V. 20. *Sermonis mei* i. e. dicti illius mei, scilicet 13, 16.,  
quamquam alio sensu prolati. — *Non est servus major domino  
suo* i. e. servi sors non est melior sorte domini sui (cf. Matth.  
10, 24.). — *Si me* i. e. quapropter si me. — *Sermonem* i. e.  
doctrinam, praecepta mea. — *Servaverunt*, scilicet boni (Ad.  
Maier). — *Et vestrum servabunt*. Addita sunt haec ad apostolos  
solandos.

V. 21. *Sed*, ne animum dejicite ob odia et persecutiones.  
— *Haec omnia facient* i. e. odiis et persecutionibus vos cumula-  
bunt. — *Propter nomen meum* i. e. mei ipsius causa, quum a  
me sitis missi, meaque mandata exsequamini, annuntiantes nimi-  
rum me ut Dominum et redemptorem (act. 9, 15.). Vox nomen  
(δυομα) h. l. ut saepe designat ipsam personam. — *Quia nesci-  
unt eum, qui misit me* i. e. ideo autem facient vobis id mei ipsius  
causa, quia non sciunt Deum Patrem et consequenter me, Filium  
ejus, ab eo missum (coll. 16, 3.). — Continent verba haec al-  
teram causam odii et persecutionum (cf. v. 19.). — Ast haec  
ignorantia non excusat eos, cum facile Deum et Christum, Fi-  
lium ejus, nosse possent, si voluissent, si non odio in Deum oc-  
cupati fuissent (Mald.).

V. 22. *Venissem*, scilicet in mundum. — *Et locutus fui-  
sem eis* i. e. si non docuissem eos, et (coll. v. 24.) miracula  
apud eos patrassem, et ita probassem, me esse Filium Dei ac  
missum a Deo. — *Peccatum*, scilicet incredulitatis et odii, quo me  
meosque insectantur (August.). — *Nunc autem*, i. e. jam vero,  
quia apud vos fui. — *De peccato*, scilicet incredulitatis et odii, (*πρό-  
φασις* praetextus, excusatio). — Sed peccatum hoc est grave; nam

<sup>1)</sup> August., Thom. Aq.

<sup>2)</sup> Jansen., Ad. Maier.

V. 23. *Qui me odit, et Patrem meum odit, a quo scilicet missus sum et cuius jussu et auctoritate operor* (cf. 5, 19; 14, 10.) —

V. 24. Repetit, mundum incredulum non habere excusationem de peccato. — *Opera, scilicet miraculosa.* — *In eis i. e. coram oculis ipsorum* (cf. 5, 36.). — *Quae nemo alius fecit, scilicet tam admiranda, tam multa, tanta potestate et facilitate<sup>1)</sup>.* *Viderunt, scilicet opera illa miraculosa.* — *Et (xa), scil. nihilominus* (cf. 10, 37. 38.). — Ergo incredulitas eorum est summus gradus pertinaciae erga veritatem.

V. 25. *Sed, scilicet hoc (ut me odio prosequantur) factum est.* — *Ut; vid. 13, 18.* — *Sermo i. e. verba.* — *In lege.* Cf. 10, 34. — *Quia (δι) i. e. quod.* — *Odio habuerunt me gratis i. e. sine causa (ex mera malitia).* Locus depromptus est ex psalmis 35. et 69. (Vulg. 34, 19. et 68, 5.), in quibus describitur misera psaltis conditio ab hostibus suis varie oppressi. Sed miseram psaltis conditionem considerat Christus ut typum suiipsius, quem Judaei sine causa odio prosequabantur (cf. Ad. Maier).

V. 26. Verba hujus et sequentis versus inserviunt consolandis et erigendis apostolis, quum Spiritus sancti eorumque testimonio odium mundi convincendum sit. — *Quem mittam;* ex quo recte Patres colligunt, Spiritum s. etiam a Filio procedere; nam in s. Trinitate nulla persona mittitur ab aliqua, nisi a qua procedit (Mald., a Lap.). Vid. 14, 16. 17. — *Testimonium perhibebit de me,* nimirum quod sim Dei Filius, Messias et mundi salvator, idque faciet tum per internam inspirationem et illuminationem, tum (coll. Hebr. 2, 3.) per varia charismata, sic dictas gratias gratis datas (uti donum linguarum, prophetiae, miracula edendi etc., de quibus s. Paulus 1 Cor. 12, 4. seq. loquitur), et accusatione mundi de injustitia et incredulitate.

V. 27. *Et vos i. e. non tantum Spiritus s., sed etiam vos* (cf. act. 5, 32.). — *Ab initio, scilicet muneric mei (seu activitatis meae publicae).* — *Mecum estis i. e. fuitis, nimirum ut testes oculati rerum a me gestarum, et auriti doctrinae meae* (cf. act. 1, 21.). Praesens h. l. simul vim perfecti habet<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> August., Calmet.

<sup>2)</sup> Beelen gram. 288.

## (Caput XVI.)

Continuatio sermonum Christi.

1) Clarior praedictio instantis persecutionis  
(v. 1—5.).

V. 1. *Haec*, scilicet, quae dixi 15, 18—25. de odio et persecutionibus et de vestro solatio.<sup>1)</sup> — *Ut*, si scilicet ista acciderint. — *Non scandalizemini* i. e. non offensi tot adversitatibus a fide deficiatis (cf. Matth. 13, 21.). Praevisa tela minus feriunt; hinc si mala illa vobis accident, ea magnum fidei et consolationis argumentum vobis esse debent, quod videatis omnia, quemadmodum praedixi vobis, evenire (Mald.). — Nunc proponit eis exempla aliqua earum persecutionum, quas passuri essent.

V. 2. *Absque synagogis facient vos*. Vid. 9, 22. — *Sed* i. e. quin imo (cf. 2 Cor. 7, 11.)<sup>2)</sup> — Est antithesis cum gradatione: non solum autem, sed etiam (*οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ*), uti Cyrillus, Theophyl. et Euthymius exponunt. — *Venit* i. e. veniet. — *Hora* i. e. tempus. — *Ut* (*ίνα πρότερον οὐτε* uti v. 32.) i. e. quum, seu quando. — *Obsequium se praestare Deo* (*λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ* dictum pro: *θυσίαν προσφέρειν εἰς λατρείαν*) i. e. sacrificium Deo gratum se offerre, seu opus Deo gratum se praestare, (putantes nimirum vobis, tanquam Dei adversariis, occidendis, gloriam ejus juvari).

V. 3. Vid. 15, 21.

V. 4. *Haec*; cf. v. 1. — *Ut, cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis* i. e. ut ubi tempus illud calamitosum accesserit, meae praedictionis memores, fortes in fide, suscipiantis cum gaudio spiritus has tribulationes (cf. August.).

V. 5. *Haec autem robis ab initio non dixi*. Quum Jesus apud Mattheum (5, 10; 10, 16. seq.) persecutions varias praedixerit apostolis asseclisque suis instantes, mirum videri posset, quomodo hic dicat, se nihil de futuris persecutionibus ab ini-

<sup>1)</sup> Jans., Mald., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Beelen gram. 475.

lio muneris sui usque ad hoc tempus dixisse? — Difficultas haec removetur, si pronomen: haec (*ταῦτα*) referatur ad verba: fore, ut quisquis eos occideret, arbitraretur, se opus Deo gratum praestare (v. 2.), quod prius nunquam dixit, nec etiam, quod tribulationes jam jam instant.<sup>1)</sup> — *Quia vobiscum eram i. e. quia, dum vobis essem corpore praesens, tales persecutiones vobis accidere non poterant* (Euthym.).

## **2) Consolatur discipulos ob abitum suum ad Patrem tristitia affectos promissione Spiritus s., describitque ejus effectus (6—33.).**

*Et nunc i. e. nunc vero, quum ad Patrem eam, vobis dixi.* — In textu graeco hic incipit v. 5. — *Et nemo ex vobis interroget me, quo vadis* i. e. quum audiatis de meo discessu et de calamitatibus vobis imminentibus, tristitia ita obruti estis (coll. v. 6.), ut nunc nemo interroget, cur discedere vellem, quinam fructus ex illo discessu in vos redundaturus sit? — Qua explicatione evanescit pugna inde orta, quum hic dicat: nemo me interrogat, dum supra (13, 36.) Petrus Jesum interrogarat, quo abiturus sit et Thomas (14, 5.) conquestus erat, se nescire, quo Jesus vadere vellet, quia nunc nemo eum interrogabat.

V. 6. *Haec*, scilicet de discessu meo et calamitatibus vobis imminentibus. — *Tristitia implevit cor vestrum* i. e. tristitia occupavit animum vestrum.

V. 7. *Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis, ut ego vadam* i. e. vos tristamini de meo abitu, quasi de summo vestro malo, sed credite mihi, discessum meum ad Patrem fore vobis utilissimum. — Ratio est: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Vid. 7, 39. Cf. Bucher.

V. 8. Nunc explicat, quaenam utilitas ex adventu Spiritus sancti sit consecutra. — *Arguet* i. e. convincet. — *Mundum;* cf. 8, 23.

V. 9. *De peccato;* non generatim: quod teneatur peccato (Mald.), sed uti statim sequentia docent, et locus 15, 22. 24., de

<sup>1)</sup> Chrysost., Euthym., Ad. Maier.

peccato incredulitatis.<sup>1)</sup> — Haec tanto majus crimen est, quia ob Christi miraculosa facta vinci poterat.

V. 10. *De justitia*, scilicet mea (Christi, non fidelium, cui verba sequentia obstant), ostendens, me esse justum et sanctum, non vero impostorem, falsum prophetam, populi seductorem, legis eversorem (cf. 5, 18; 7, 12; 8, 59; 9, 16; 10, 31).<sup>2)</sup> — *Quia ad Patrem vado* i. e. quandoquidem vado ad Patrem. Verba haec sunt argumentum justitiae Christi; adversarius enim et inimicus Dei, peccator, a Deo honoribus non ornatur. — *Et jam non videbitis me* i. e. et me, qui cum Patre in coelo in perpetuum regnabo, non amplius videbitis oculis vestris.<sup>3)</sup>

V. 11. *De judicio* i. e. de condemnatione (*χριστος = χαταχριστος*), scilicet diaboli, uti verba sequentia docent: *quia princeps hujus mundi jam judicatus est* i. e. damnatus est a Deo, potestas ejus ut domini mundi fracta, dominio suo in mundo exutus est (cf. 12, 31.). Propter hanc condemnationem debet Satanus e regno suo i. e. e mundo discedere, quo fiet, ut per dilatationem regni Christi vitiositas, superstitionis et erroris magis magisque deleatur. Convicit vero Spiritus s. mundum partim praedicatione apostolorum ab eo directorum, partim miraculis, quae per eos operabatur, partim profectu religionis christianae, manifestante se in conversione magnae hominum multitudinis, partim sanctitate fidelium, causata ab eo (Ad. Maier).

V. 12. Postquam locutus est de Spiritu sancti activitate respectu ad mundum, nunc loquitur de ejus in discipulos influentia. — *Dicere* i. e. dicenda. Vid. 15, 15. — *Portare* i. e. intelligere, nimirum propter incapacitatem vestram. Imago de prompta a portandis oneribus, ad quae sustinenda certae requiruntur vires.

V. 13. *Ille*, scilicet Paracletus; nam pronomen graecum-*ἐκεῖνος* non convenit voci *πνεύμα* (Mald.). — *Docebit* (*διδηγήσει εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν = διδάξει πάντα*). — *Omnem veritatem* i. e. tum eas veritates, quarum nunc capaces non estis, tum eas, quas ex ore meo accepistis, sed nondum plane intellexistis.<sup>4)</sup> —

<sup>1)</sup> August., Chrysost., Beda, Theophyl., Euthym., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Theophyl., Euthym., Mald., Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Theophyl., Mald.

<sup>4)</sup> Euthym., Theophyl.

C. X VI. v. 14 - 29.

*Non enim loquetur a semetipso* i. e. veritas est, quod ille loquetur, nam non sua inventa annuntiabit. De phrasi: *a semetipso* ( $\delta\alpha\varphi'$   $\epsilon\alpha\nu\tau\omega\tilde{\nu}$ ) vid. 7, 17; 14, 10. — *Audiet*, scilicet a Patre (coll. 1 Cor. 2, 10.); vid. 8, 26. et 5, 19. 20. — *Quae ventura sunt* i. e. futura. — Etiam donum prophetiae pertinet ad dona Spiritus s. (cf. 1 Cor. c. 14. act. 11, 28; 20, 29.).

V. 14. *Clarificabit* i. e. glorificabit, nimirum plenam de me notitiam vobis suppeditando, me videlicet esse Dei Filium, Messiam, Salvatorem mundi (a Lap.). — *Quia de meo accipiet* i. e. quia id, quod vobis annuntiabit, accipiet de plenitudine veritatis et scientiae divinae, quae in me, uti in quodam vase, abscondita est. — Est ratio dicti praegressi.

V. 15. *Omnia* i. e. divina natura, potentia, sapientia et cognitio absoluta. Addit hoc explicandi causa, cur, quum prius (v. 13.) dixisset, Spiritum s. haurire (audire) ex plenitudine Patris, nunc dicat, illum hausturum esse ex sua (Christi) plenitudine.

V. 16. Sermo Domini de adventu Spiritus sancti ei occasionem suppeditat, loquendi de suo reditu, quatenus utrumque, missio Spiritus sancti et reditus Domini essentialiter unum idemque est; nam communicationem Spiritus sancti ejusque inhabitacionem deberent discipuli considerare tanquam reditum Domini et tanquam perpetuam sui praesentiam (cf. 14, 18.). Ad id cogitandum jam ipse immediatus transitus ab uno ad alterum eos debebat impellere (cf. Bucher). — *Modicum* i. e. paululum adhuc temporis superest (cf. 7, 33.). — *Non videbitis me*, scilicet oculis corporis, quia ad Patrem abeo. — *Et iterum modicum* i. e. et iterum paululum temporis erit. — *Videbitis me*, scilicet venientem per Spiritum s., quem accipietis die pentecostes (cf. 14, 18. 19.). — *Quia vado ad Patrem*. Haec verba pertinent ad utramque praegressam sententiam; discessus enim ejus ad Patrem est causa tum sublatae, tum mox redditae visionis i. e. reditus ejus in Spiritus sancti missione (cf. v. 7.).

V. 17. et 18. *Ex discipulis*, nimirum quidam ( $\tau\iota\nu\epsilon\varsigma$ ). Non intelligebant verba Christi obscura.

V. 19. *Interrogare*, sed pavidi non audebant. — *Dixit*, scilicet praeveniens eorum interrogationem, explicans istud: *modicum*, non tamen ita, ut doceret, quid sit illud modicum, sed

C. XVI. v. 20 - 25.

solummodo docens animi conditionem tum discipulorum, tum mundi in suo discessu ad Patrem<sup>1</sup>).

V. 20. *Plorabitis et flebitis* i. e. maxime lugebitis, quando nimirum per mortem auferar a vobis. — *Flebitis*, graece θρηνήσετε lamentabitis. Utroque verbo indicatur summa animi tristitia. — *Mundus*, nimirum mihi inimicus. — *Gaudebit*, scilicet opinans, morte mea destructum esse opus meum (Ad. Maier). — *Vos*, nimirum in antithesi ad mundum. — *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*, quia nimirum iterum veniam, in perpetua vobiscum conjunctione manebo, unde vobis summa orietur beatitas (Ad. Maier). — *Vertetur* i. e. abibit<sup>2</sup>). — Hactenus dicta de vicissitudine doloris et voluptatis illustrat Jesus exemplo a semina parturiente desumpto (Mald.).

V. 21. *Hora ejus* i. e. tempus partus, dolores et vitae periculum afferens. — *Quia natus est homo in mundum*, quia scilicet mater videt infantulum, quem enixa est, quem sperat in vita sibi auxilio fore et honori, in morte vero eundem post se successorem in mundo relinquere (a Lap.). — Ceterum εἰς τὸν κόσμον id quod ἐν τῷ κόσμῳ (in mundo). —

V. 22. *Et vos* i. e. ita etiam vos. — Est versus hic accommodatio superioris exempli. — *Tristitiam habetis* i. e. in mea morte tristabimini. — *Videbo vos*, nimirum veniens in Spiritu s. (coll. 14, 18.), quasi recens vobis natus (cf. Ad. Maier). — *Gaudebit cor vestrum*, utpote mecum arctissime in Spiritu sancto conjuncti.

V. 23. *In illo die*; cf. 14, 20. — *Rogabitis* i. e. non interrogabitis me amplius de ulla re, quia a Spiritu sancto collustrati, liquido cognoscetis omnia (coll. v.13.). Ita Cyrillus et graeci interpres. — *Amen, amen dico vobis; si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Docet, eos illustratos a Spiritu s. etiam nomine ejus (cf. 14, 13.) petituros esse, et quidem cum effectu (cf. a Lap.).

V. 24. *Usque modo* i. e. hactenus (cf. Mald.). — *Ut gaudium vestrum sit plenum*; cf. 15, 11. —

V. 25. *Haec*, scil. dicta a v. 16. — *In proverbii* i. e. dictis (seu verbis) obscuris (vid. 10, 6.); opponitur enim ei τὸν palam

<sup>1)</sup> Mald., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Beelen gram. 186.

annuntiare ( $\epsilon\nu\pi\alpha\rho\rho\gamma\sigma\iota\alpha\ \epsilon\nu\pi\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\lambda\epsilon\nu$ ). *Venit hora* i. e. sed veniet tempus. — *In proverbii*; uti prius. — *Palam*; vid. 10, 24.

V. 26. Nunc redit ad petitionis exauditionem, ut v. 27. doceret, eos orantes exauditum iri ob suam fidem et amorem Dei Patris, qui ejus rei causa eos amat eisque omnia concedet, ita ut non sit opus ejus rogatu seu intercessione. — *In illo die*; cf. v. 23. — *Et non dico vobis, quia ego rogado Patrem de vobis* i. e. et deinceps non erit opus meo rogatu. — Quibus verbis non vult significare Christus, se qua hominem nullo modo in coelis Patrem pro eis rogaturum esse, cum docente s. Paulo (Rom. 8, 34.) continuo interpellat pro nobis; sed tantum asserit, ipsos a Patre exaudiendos vel se non rogante, quia Pater in eos satis propensus est et (uti statim dicit,) amat eos (Mald.).

V. 27. *Amat vos*, et proinde ultro dabit vobis, quae petitis (quod cogitatu supplendum). Id enim involvit in hac orationis serie verbum amat ( $\varphi\iota\lambda\epsilon\iota$ )<sup>1</sup>). — Quod hic Patri adscribit, id supra (14, 13. 14; 15, 26.) sibi tribuit. Vid. dicta 14, 13. 16. — *A Deo exivi*, cf. 8, 42.

V. 28. *Exivi* i. e. vere exivi. Repetit dictum, declarans, eos non falso, aut temere credidisse (Mald.). — *Relinquo mundum*, scilicet corporali discessione (August.). — *Vado ad Patrem*; cf. 13, 3. — *per iaceamus, ibi resinas*.

V. 29. *Ecce nunc*, quum scilicet dicis: relinquo mundum et vado ad Patrem (et non uti supra: modicum, et non videbitis me). Visi sibi sunt discipuli, quae dicebat Christus intelligere, et ideo laetabundi in haec erumpebant verba, quamvis multum eis deesset.

V. 30. *Nunc*, quum nimirum non interrogatus perspiciens arcana nostras cogitationes voluntatemque te interrogandi (v. 19.) circa istud modicum et itionem ad Patrem, nos responsione praeveneris, scimus<sup>2</sup>). — *Quia scis omnia* ( $\delta\tau\iota\pi\alpha\ntau$ ) i. e. quod scis omnia, etiam arcana cordium. — *Ut quis te interroget*, nimirum ad ferendum a te responsum. — *In hoc* i. e. hac experientia edocti, (quod scilicet omnia etiam secreta noveris). — *A Deo existi*; cf. 13, 3.

<sup>1)</sup> Cf. Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> August., a Lap.

V. 31. *Modo creditis* i. e. verene jam firmiter creditis? — Sunt verba dubitantis (vel negantis) firmitatem fidei eorum (cf. 13, 38.). Alii (Mald.) legunt sine interrogatione; tum adesse deberet particula antithetica: sed ( $\alpha\lambda\lambda\alpha$ ). — Fidem eorum infirmam esse, docet nunc ex effectu.

V. 32. *Venit hora*; cf. 4, 23. — *Et jam venit* i. e. imo jam nunc adest. — *Ut dispergamini unusquisque in propria* i. e. quo omnes fugietis, quisque in suum locum, qui se primo fugienti obtulerit, et ita, quam parva parumque solida sit fides vestra, facto ostendetis (a Lap.). — *Imago desumpta a grege*, qui pastore destitutus dispergitur (cf. Matth. 26, 31.). — *In propria* ( $\varepsilon\iota\varsigma\tau\alpha\lambda\delta\alpha$ , scilicet  $\omega\lambda\chi\gamma\mu\alpha\tau\alpha$ , domus, quam aliquis habet, vel domicilium). Verba unusquisque in propria, sunt epexegetica appositio ad vocem dispergamini<sup>1</sup>). — *Et non sum solus* i. e. et quamquam omnes me deseretis, tamen non solus ero. — *Quia Pater mecum est* i. e. nam Pater mecum est, nimirum sua potentia et auxilio.

V. 33. *Haec.* Pronomen hoc referendum est ad omnes Christi sermones praegressos, quatenus iis apostolos consolari et eorumque fidem et charitatem roborare volebat<sup>2</sup>). — *In me* i. e. in fide in me et dilectione mei. — *Pacem* i. e. internam beatitudinem. Vid. 14, 27. — *In mundo* i. e. per homines incredulos adversarios. — *Pressuram* i. e. tribulationes omnis generis. — *Habebitis* i. e. experiemini. Nonnulli codices graeci loco futuri  $\epsilon\zeta\sigma\tau\epsilon$  habent tempus praesens  $\epsilon\chi\sigma\tau\epsilon$ ; sed praesens vim habet futuri. — *Confidite* i. e. bono animo estote. — *Ego vici mundum* i. e. ego vincam mundum, scilicet peracto opere redemptionis et misso Spiritu sancto, quo destruetur et diaboli et mundi potestas. Vid. 12, 31. et 16, 11. — *Vici praeteritum propheticum pro futuro*; vid. 13, 31. Cf. Mald. —

<sup>1)</sup> Beelen gramm. 384.

<sup>2)</sup> Chrysost., Theophyl., Euthym.

## Caput XVII.

Christi sacerdotalis oratio ad Patrem.

### 1) Christus rogat, ut se clarificet (v. 1—5).

V. 1. *Subleratis oculis in coelum*, ut scilicet simili gestos in oratione mentem a terra ad Deum sustollere doceret (Chrysost.). — *Pater*. Orat Christus ut homo. — *Venit hora*, supple: ut glorificetur filius hominis (coll. 12, 23.) i. e. tempus adest meae passionis et mortis. Hic loci verbum δοξάζω solummodo de morte subeunda, non autem etiam de resurrectione, ascensione et ad dexteram Patris exaltatione intelligendum est (uti 12, 23.); hoc alterum latet in sequentibus: *clarifica filium tuum*, nimirum per resurrectionem, ascensionem in coelum et sessionem ad dexteram Dei<sup>1</sup>), — *Ut filius clarificet te* i. e. ut et filius ab hominibus Deus et Messias creditus, te glorificet, nimirum fideles in vita nova obfirmando, et evangelium (regnum Dei) auxilio Spiritus sancti per totum orbem propagando, et ita te in omnibus mundi plagis cogitum faciendo (August., a Lap.). Post ut (*iv*) in graeco legitur ζαὶ.

V. 2. *Sicut*; graecum ζαθώς h. l. non est particula proportionis: sicut, sed causalis: quandoquidem (demgemäß, daß, sin temal). Cf. Wilke lex., Ad. Maier). — *Ei*, nimirum tanquam Messiae. — *Potestatem* i. e. imperium seu dominium (scilicet spirituale). — *Omnis carnis* i. e. in omnes homines, in totum genus humanum (non in solos Iudeeos, sed in omnes homines). Cf. 3, 35. *Omnis caro* (πὺσα σαρξ), hebraeor. נְשָׁמָה, est hebraismus pro: quivis homo (cf. Matth. 24, 22.). — *Omne* i. e. omnes homines. Vid. 6, 37. — *Quod* i. e. quos. Adest hic anacoluthica constructio (ut 6, 39.), ita resolvenda: ut omnibus hominibus, quos dedisti ei, det vitam aeternam (cf. 3, 15.). — *De verbo: dedisti* cf. 6, 37. et Mald. —

V. 3. Versus hic arcte cohaeret cum praecedenti; explicat enim, in quo posita sit vera, aeterna vita, cuius dandae pote-

<sup>1)</sup> August., Allioli, Ad. Maier.

statem Filius Dei habet, et quare Filius roget, ut glorificetur, quia videlicet haec glorificatio consistit in sui et Patris cognitione, quae est initium vitae aeternae. — *Ut*, scilicet homines (omnis caro); cf. 6, 40. — *Solum Deum verum*. Verba haec sunt referenda tantum ad pronomen te ( $\sigma\epsilon$ ) i. e. Patrem, hoc sensu; ut cognoscant te esse illum, qui solus est verus Deus (Mald.); quo tamen non negatur, (uti inde Ariani colligebant), Jesum Christum esse verum Deum. Nam (uti fere omnes Patres docent) verbis: *solum Deum verum*, Pater non opponitur *Filio*, sed divina natura, (essentia) opponitur idolis gentilium (cf. Mald.) Ergo cognitio Dei veri et redemptoris, quae sita est in fide in Christum (nam sine fide in Christum Deus non potest plene cognosci), jam est initium verae, aeternae vitae (Mald.). —

V. 4. *Clarificavi* i. e. glorificavi, nimirum vita, praedicatione et doctrina mea nomen tuum hominibus cognitum faciendo (coll. v. 6.). Loquitur prophetice de jam facta per totum terrarum orbem nominis divini (Patris) manifestatione. — *Super terram*. Verbis his indicat locum, in quo eum glorificaverit, scilicet in terra i. e. inter homines. — *Opus*, scilicet redemptionis. *Consummari* i. e. perfeci. Loquitur de opere redemptionis perficiendo in cruce tanquam de jam perfecto, propter rei jam futurae certitudinem, quum firmiter apud se constituit, subire mortem proxime instantem.

V. 5. *Et nunc* i. e. et nunc, quum commissum mihi opus redemptionis perfeci et ita te glorificavi. — *Clarifica me tu*. *Pater apud temet ipsum claritate*, quam habui prius quam mundus <sup>es</sup>set, apud te i. e. glorifica me, scilicet naturae meae humanae communicando gloriam illam, quam ut unigenitus Filius habui apud te ab aeterno. (Ita fere omnes Patres; cf. Mald. et 1, 1. 14.). Christus nimirum suo obedientiae sacrificio non solum hominibus redemptionem comparavit, sic dicta bona salutaria promeruit, sed etiam sibi i. e. suae naturae humanae exaltationem ad dexteram Patris super omnes creaturas promeruit (cf. Hebr. 1, 3. Phil. 2, 9. 10.),

## 2) **Orat pro apostolis (6—19.).**

V. 6. Explicat, quomodo facta sit glorificatio Patris in terra. — *Manifestavi nomen tuum* i. e. notum feci te (tuam es-

sentiam), seu tui cognitionem propagavi, scilicet vita, praedicatione et doctrina mea (cf. v. 4.). — *Hominibus, quos dedisti mihi de mundo* i. e. discipulis (apostolis), quos ex hominum perversorum numero segregasti mihique fide adjunxisti (August.). De mundo; vid. 15, 19. — De verbo: dedisti cf. 6, 37. — *Tui erant*, scilicet respectu rectae (bonae) indolis sua, quum Patri eos gratia ad credendum trahenti obsecuti sint (cf. 6, 44.). — De verbis: tui erant vid. 8, 47. — *Sermonem tuum* i. e. doctrinam tuam, quam eis praedicavi. — *Servaverunt*, scilicet fide et observatione. (Ergo non inanis erat in eis sive gratia tua, sive opera mea).

V. 7. *Quia* (*ότι*) i. e. quod. — *Omnia*, nimirum (coll. v. 8.) verba i. e. doctrina mea. — *Abs te sunt* i. e. a te sit profecta. Vid. 7, 16; 12, 49.

V. 8. *Verba* i. e. doctrinam. — *Dedi eis*, i. e. eis tradidi. — *Acceperunt*, scilicet credendo operibusque complendo. — *Quia a te exivi*; videsis 8, 42.

V. 9. *Rogo*, quum scilicet fide et observatione doctrinae meae auxillii tui dignos se reddiderint, ergo tui sint, oro. Prima causa, cur oret pro apostolis. — *Pro eis* i. e. apostolis (postea a v. 20—26. orat pro ceteris fidelibus<sup>1)</sup>). — *Non pro mundo*. Quum Christus postea (v. 22.) etiam pro incredulis et sceleratis orat, in aprico est, h. l. per mundum non esse intelligendos generatim incredulos, sed cum s. Augustino tales homines, qui secundum concupiscentiam mundi viventes, tantopere sunt a Deo alienati, ut conversionis fideique sint prorsus incapaces (cf. Ad. Maier).

V. 10. Versus hic continet causam, cur sibi dati non desinant ad Patrem pertinere (seu adhuc Patris esse). — *Et* (*χαί = γάρ*) i. e. nam. — *Mea omnia tua sunt et tua mea sunt* i. e. omnia tibi et mihi communia sunt propter essentiae unitatem; ergo etiam, qui mei sunt, sunt tui (cf. 16, 15.). — *Et* (*χαὶ* h. l. particula explicativa): nimirum. — *Clarificatus sum in eis* i. e. glorificatus sum per eos, quatenus in me crediderant et mandatis meis obediverant<sup>2)</sup>. — Datur hic altera causa, cur pro eis oret, quia ipse (et coll. 15, 8. etiam Pater) per eos glorificatus est. Haec

<sup>1)</sup> Cf. a Lap.

<sup>2)</sup> Cyrill., Chrysost., Mald.

Christi glorificatio est opposita gloriae ejus in coelis. — *In eis* (*ἐν αὐτοῖς* = *δι' αὐτα*).

V. 11. *Et jam non sum in mundo* i. e. mox non ero amplius in mundo, visibili carnis praesentia. *Tertia causa*, cur oret pro eis. *Sum* (*εἰμι* = *ἐσομαι*) i. e. ero. — *Hi*, scilicet apostoli mei. *In mundo sunt* i. e. in mundo permanent, ut nimirum meum tuncque evangelium toto orbe praedicent, ob quod multis odiis et persecutionibus exponentur (a Lap.). — *Et ego* i. e. nimirum ego. Particula *καὶ* iterum explicativa; exponit enim, cur dixerit: *jam non sum in mundo*. — *Venio* i. e. redeo. — *Pater sancte*. Patrem appellat sanctum, quia agit de sanctitate petitque, ut Pater sanctus apostolos in sanctitate conservet promoveatque (coll. v. 17.) atque ab insidiis et vi diaboli servet (coll. v. 15.). — *Serra eos in nomine tuo* i. e. conserva eos in cognitione nominis tui et in firmiter tenenda doctrina tua, quam Filius tuus praedicavit (coll. 6, 3.). — *Ut sint unum*, scilicet in nobis (coll. v. 21.), nimirum unitate cogitandi, volendi et agendi. — *Sicut et nos* i. e. simili modo, sicut nos unum sumus unitate essentiae divinae, hinc et unitate cogitandi, volendi et operandi (cf. 10, 38.). Unitas Filii est exemplum (typus), quomodo apostoli (et coll. v. 21. generatim fideles) unum esse debeant cum Christo et Patre coelesti. Unum fiunt fideles per fidem in Christum; per hanc enim uniuntur Christo et per Christum Patri; per hanc eandem fidem etiam inter se unum fiunt; nam ubi eadem fides, ibi et unitas cogitandi, volendi et agendi. — Particula *sicut* (*καθὼς*) indicat similitudinem, non aequalitatem (a Lap.).

V. 12. *Cum essem cum eis*, nimirum corporaliter conversando. Loquitur quasi jam discessisset, qui mox discessurus erat (Jausen.). — *Servabam eos in nomine tuo* i. e. servabam eos a perditione, conservando eos nimirum in cogitatione nominis tui et in firmiter tenenda doctrina tua (coll. v. 11.). — *Quos dedisti mihi, custodiri*. Est parallelismus synonymous. — *Periit*, nimirum morte aeterna vel vitam aeternam amittendo, vel excidendo regno divino (cf. 3, 15.). — *Filius perditionis* i. e. praeter Judam, perditioni aeternae destinatum, ob prditionem certo futuram praevisam. De phrasi filius perditionis conf. 12, 36. Ita et antichristus 2 Thessal. (2, 3.) appellatur. — *Ut scriptura impletatur*. Vid. 13, 18. — *na 3 vige*

V. 13. *Venio* i. e. redeo, non amplius eos corporali praesentia, doctrina et protectione servaturus. — *Et haec loquor in mundo* i. e. et hoc, dum ego adhuc sum in mundo, oro, scilicet ut eos tu conserves in veritate. — *Ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis* i. e. ut conservati in veritate adeoque Deo mihique uniti plene beatitate interna repleantur (cf. 15, 11.). Cf. Ad. Maier. — *non mea, sed Tatræ*

V. 14. *Dedi* i. e. tradidi. — *Sermonem tuum* i. e. doctrinam tuam. Vid. 7, 16. Nunc est supplendum: et illi eam receperunt, nimirum credendo operibusque complendo (coll. v. 8. et 6.). — *Et, scilicet ideo.* — *Odio habuit* i. e. in eos odio repletus est, illud ostensurus iis persecutus. Vid. 15, 18. — *Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.* Vid. 15, 19. *verbi sermonis*

V. 15. *Ut tollas eos de mundo*, nimirum ad te in coelum, nam eos velim post meum abitum evangelium praedicare. — *Sed ut serves a malo* i. e. sed ut serves eos a vi et insidiis diaboli. In graeco est articulus ἐξ τοῦ πονηροῦ, per quam vocem est Sata-  
nas, princeps hujus mundi (cf. 14, 30.) intelligendus (cf. Matth. 6, 13.).

V. 16. Repetit dictum v. 14. tanquam rationem impre-  
trandi id, quod mox petit, hoc sensu: Quandoquidem igitur isti  
non sint de mundo.

V. 17. *Sanctifica eos* i. e. consecra (initia) eos ad eorum ministerium apostolicum, eos nimirum sanctificando. — *In veritate* i. e. in doctrina tua, faciendo nimirum per Spiritum s., ut sit illa principium omnis eorum sentiendi et agendi rationis. — Verbum ἀγιάζω h. l. non tantum denotat: sanctum reddere, sed una-  
cum hoc etiam consecrare, initiare ad ministerium sacrum (cf. Mald.), cui explicationi favent v. 18. et 19. Vid. 10, 36. — *Sermo*  
i. e. doctrina.

V. 18. *Ego nisi* i. e. mittam, ut scilicet veritatem evangelii annuntient. — Est praeteritum propheticum (cf. Mald., Beelen gramm. 296).

V. 19. *Ego sanctifico me ipsum* i. e. me ipsum offero tibi in cruce. (Ita plerique cum s. Chrysostomo). — Verbum ἀγιάζω (praesens pro futuro) h. l. ut hebraeorum υἱῷ, significat: in victimam, in sacrificium offerre. — *Pro eis* i. e. in commodum eo-  
rum. — *Ut sint et ipsi sanctificati*, nimirum per Spiritum sanc-

C. XVII. v. 20-23.

tum, cuius missio ex morte mea dependet (cf. Maier). — *In veritate* i. e. vere ( $\delta\lambda\gamma\theta\omega\varsigma$ ), interna sanctitate, non figurata, apparet (Jansen). —

### **3) Orat pro omnibus fidelibus, ut sint unum (20—26.).**

V. 20. *Pro eis* i. e. apostolis istis praesentibus. — *Qui credituri sunt* (graece *πιστευόντων*, sed habet vim futuri). — *Per verbum eorum* i. e. per eorum praedicationem usque ad finem mundi. Supplendum est: ut eos serves in nomine tuo (coll. v. 11.).

V. 21. *Omnies*, scilicet apostoli et reliqui fideles (christiani). — *Unum sint*; vid. v. 11. — *Sicut tu in me et ego in te*; vid. v. 11. — *Ut*, nimirum visa illa unitate, etiam externe in vita se manifestante (coll. act. 4, 32.). — *Mundus* i. e. homines increduli. — *Credat* i. e. convincantur et credant. — *Quia tu me misisti* i. e. opus meum esse divinum, me verum legatum divinum.

V. 22. *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* Per claritatem ( $\tau\eta\gamma \delta\delta\xi\alpha\gamma$ ) intelligunt alii (Mald.) dilectionem, alii (Chrysost.) potestatem miraculorum, alii (Leontius) eucharistiam, alii (August.) gloriam et immortalitatem corporis. Sed preferenda est explicatio eorum, qui claritatem intelligunt illam gloriam Jesu Christi, ut sit per naturam aeternus Dei Filius; hanc gloriam dat et communicat fidelibus, ut scilicet sint per adoptionem filii Dei, ejus cohaeredes, haeredes Dei; unde intelligitur, communicatione gloriae hujus in fidelibus fundari veram, aeternam vitam, quae in aeternitate perficitur.<sup>1)</sup> — *Ut unum sint*, scilicet tecum et per me cum Patre.

V. 23. Explicat nunc, quo modo unum sint cum eo et Patre. — *Ego in eis*, scilicet sum, nimirum per fidem in me (per hanc enim homo incipit Deo uniri et participare divinam naturam), et (coll. 14, 23.) per inhabitantem in eis Spiritum sanctum. — Ita efficiuntur fideles, quum sint filii Dei, fratres Christi ejusque cohaeredes, Deo et Christo per inhabitantem in eis Spiritum sanctum qui est Spiritus Patris et Christi, arctissime uniti, consortes divi-

<sup>1)</sup> Ambros., Calmet, Kistemaker, Massl., Bucher.

nae naturae (2 Pet. 1, 4.), quasi deificantur, manente natura eorum creata, quemadmodum ferrum, si igniatur, transit in ignem, manente ferri natura (Dionysius Cor., Estius in comment. in 2 Pet, 1, 4., cf. oratio ecclesiae secreta dominica 17. post pentecosten).<sup>1)</sup> — *Ut sint consummati in unum* i. e. ut fiant perfecte unum. — *Ut cognoscat mundus, quia tu me misisti;* vid. v. 21. — *Et dilexisti eos,* scilicet ex charitate, dando eis per me illam gloriam (adoptionem filiorum). Verbis his refert illud dare (v. 21.) ad Patrem.

V. 24. Nunc petit, ut fideles, qui ei et Patri hac in terra uniti sint, perfecte ipsi in aeterna beatitate uniantur. — *Quos dedisti mihi* i. e. fideles omnes, tum apostoli, tum reliqui fideles (Mald.). — *Volo* i. e. cupio, desidero (cf. 12, 21.). — *Sum;* vid. 12, 26. — *Mecum, nimirum in coelo, in beatitate aeterna.* — *Vi-deant;* vid. 1, 18. — *Claritatem meam* i. e. meam divinam naturam, essentiam<sup>2)</sup>). — *Ante constitutionem mundi* i. e. ab aeterno. Vid. 1, 1. —

V. 25. Versus hic continet causam, cur fideles coelesti praemio sint donandi, quia eo ob fidem suam sunt digni. — *Pater juste.* Justum nominat Patrem, quia reddit unicuique juxta opera sua; fidelibus gloriam coelestem donando, incredulos vero puniendo (Mald.). — *Non cognovit* i. e. noluit te cognoscere, quum nollet credere, me a te esse missum. — *Hi,* scilicet fideles. — *Cognoverunt et crediderunt* (quod supplendum est).

V. 26. *Eis* (*αὐτοῖς*), scilicet apostolis et per hos fidelibus reliquis. — *Notum feci,* nimirum praedicatione et doctrina. — *Nomen tuum;* cf. v. 6. — *Notum faciam* i. e. plenius eos docebo et collustrabo per Spiritum sanctum, quem mittam. — *Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis* i. e. ut ea dilectio, qua tu me Filium diligis, in eis perpetuo perseveret, quo fiet, ut et ipsi te diligent, et quanto magis te diligent, tanto arctius persistam in eis. — *Rupertus:* ut Spiritus sanctus, qui est dilectio, qua tu me diligis, in ipsis semper sit. In essentia sensus non divergit, quum Spiritus s. a charitate separari nequit (cf. a Lap.).

<sup>1)</sup> Cf. a Lap. ad v. 20. hujus capititis.

<sup>2)</sup> Chrysost., Euthym.

Ex Matthaeo Cap. XXVI. ver. 26, 27, 28, 29.

## Caput XVIII.

### 1) Christi comprehensio (v. 1—11.).

(Matth. 26, 47—56. Marc. 14, 43—52. Luc. 22, 47—53.).

V. 1. *Haec cum dixisset* i. e. finita oratione sacerdotali. — *Egressus est*, scilicet e coenaculo et domo (cf. 14, 31.) — *Trans torrentem Cedron*. Lectio τοῦ Κεδρῶν est vera: lectio enim τῶν κέδρων profecta est ab indoctis librariis, qui nomen e graeca lingua repeterent, atque hic de cedris arboribus esse sermonem putarent. Vox Κεδρῶν (Cedron) est nomen torrentis siti inter Hierosolymam et montem olivarum, qui per vallem ejusdem nominis (Cedron) in mare mortuum defluit. Nomen hoc Κεδρῶν (i. e. nigri, obscuri), quod est hebraicum קֶדְרֹן (a קֶדֶר niger, obscurus fuit) ei conciliavit aquae color, sordibus ex urbe influentibus in nigredinem versus. — *Hortus* (χῆπος), nimirum pertinens ad villam Gethsemani (chald. גַת שְׁמָנִי torcular olei), quae erat ad radices montis oliveti. Hic jam juxta synopticos (Matth. 26, 36—46. Marc. 14, 32—42. Luc. 22, 39—46.), postquam cum Petro, Jacobo et Joanne longius in hortum progressus fuerat, coepit tristitia semper crescente affici et gravissime angi; Patrem ter rogavit, ut ab ipso transeat calix (passio et mors), excitavitque discipulos suos (Petrum, Jacobum et Joannem) ad vigiliam et ad obviam eundum Judae proditori, qui turba magna armatorum comitatus advenit a principibus sacerdotum profectus.

V. 2. Versu hoc explicat evangelista, quomodo Judas scire poterat, ubi Jesus per dies festos paschatis pernoctare soleret.

V. 3. *Cohortem*, scilicet romanam, quae in arce Antonia excubias agebat, aut, ut alii putant, partem tantum cohortis (manipulum, qui quarta pars erat cohortis, quae erat<sup>1)</sup> decima pars legionis, constabatque 425, interdum 600, etiam 1000 militibus, si legiones majores erant), cum non probabile videatur, universam

<sup>1)</sup> Cf. Wilke lex.

cohortem ad unum hominem aut paucos in loco solitario noctu comprehendendos abiisse. Cohorti huic (coll. v. 12.) praeerat tribunus (*χιλίαρχος*). Synoptici quidem non faciunt mentionem cohortis, sed potest illa sub voce: turba (*δάχλος*) facile comprehendи (Matth. 26, 47.). S. Lucas (22, 52.) praeter satellites (*τοὺς ὑπηρετας*) nominat praefectos excubitorum templi, i. e. levitarum, qui in templo excubias agebant, quibus ministri pontificum et pharisaeorum sese adjunxerunt. — *Cum laternis et facibus*, ut si nimirum faces ex aëris intemperie extinguerentur, iterum ex laternis accendi possent (Jansen.). Porro, quum plena luna faces et laternas attulerint, elucet, quanto ardore hi homines Christum quaesituri erant, quum tali modo omnes latebras perreptare vellent. *Arnis*, scilicet gladiis et fustibus (ut Matth. 26, 47. scribit).

V. 4. et 5. *Sciens*; addit hoc, ne quis putet, ipsum inscium et invitum incidisse in manus Judaeorum, sed scientem, volentem ultro se eis tradidisse (a Lap.). — *Ventura ἐρχόμενα pro ἐλευσόμενα*. — *Processit*; graece ἐξελθὼν egressus, nimirum ex illo horti loco, in quem prius (coll. v. 1.) longius progressus fuerat, ut ibi oraret (cf. Ad. Maier). — *Dixit: quem quaeritis*. Juxta synopticos (Matth. 26, 48. Marc. 14, 44. Luc. 22, 47.) Judas, quo certius scirent, quis comprehendendus esset, promiserat se osculaturum esse prehendum. Jam narrationes evangelistarum ita possunt componi. Judas turbam in hortum praeibat, haec eum non magno intervallo sequebatur. Cum Judas ad Jesum venisset, eum salutabat et osculabatur; Jesus vero, cum paucis verbis Judae impietatem castigasset (coll. Matth. 26, 50. Luc. 22, 48.) et Judas rediisset ad turbam (coll. v. 5.), turbae propius accedenti obviam ibat, et gravi ac forti voce eam interrogavit: *quem quaeritis?*<sup>1)</sup> Hae Christi interrogationes ejusque ulteriora verba, uti et effectus miraculosus, qui Christi verba: *ego sum*, exceperat, turbae documento esse debebant, se ultro ipsi se offerre.

V. 6. *Abierunt retrorsum* i. e. retrocesserunt, nimirum vi vocis Jesu omnipotentis — *Et ceciderunt in terram* i. e. terrore quasi fulmine icti prostrati sunt in terram.

<sup>1)</sup> Cf a Lap., Kuinoel, Ad. Maier.

V. 8. *Hos, scilicet discipulos.* Dum id dixit Christus, in discipulos ostendisse censendus est. — *Abire, scilicet liberos.*

V. 9. *Ut impleretur* i. e. hoc, ut peteret, ut liberos dimittant discipulos, factum est, ut impleretur. — *Quem dixit, nimirum 17, 12.* — *Quia, quos dedisti mihi, non perdidii ex eis quemquam.* Haec scilicet petitio Christi revocat evangelistae in memoriam effatum magistri supra (17, 12.) allatum. Quamvis evangelista illud ibi sensu spirituali et morali (de salute spirituali) intellexisset, istud tamen etiam hic, ubi de salute discipulorum corporali agitur, adducit, ut ostenderet, effatum illud tam verum esse, ut non tantum respectu spirituali et morali (salutis spiritualis), sed etiam respectu corporis vitae (salutis corporalis) discipulorum sit impletum (Ad. Maier). — Ceterum, si comprehensi fuissent discipuli, etiam periculum eis instaret Jesum ob Iudeorum minas negandi.

V. 10. *Simon Petrus.* Quum jam turba se pararet, ut in Jesum manus et vincula injiceret, discipuli (coll. Luc. 22, 49.) id videntes, Dominaum defensuri, interrogabant: si percutimus gladio (id est, si placeat, gladio te defendemus); ast Petrus ceteris ferventior et animosior, non exspectato Christi responso, strinxit (*εἰλυσεν*) gladium. — *Abscidit auriculam ejus dexteram,* quam autem, uti Lucas (22, 51.) refert, Dominus iterum sanavit. Joannes solus servi nomen affert, quoniam antea in aedibus summi sacerdotis subinde versari solitus erat (coll. v. 15. 16.), atque ita servorum nomina didicerat<sup>1)</sup>.

V. 11. *Mitte gladium in vaginam* i. e. reconde gladium in vaginam. Causa hujus praecepti legitur apud Matthaeum (26, 52.). — *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum* i. e. an passionem et mortem, quam Deus ab aeterno decrevit, nunc non avide subeam. — *Calix* (*ποτήριον*) in s. scriptura metaphorice uniuscujusque sortem ei a Deo decretam significat, sive bonam (ps. 15, 3.), sive malam (ps. 10, 7.), ut h. l. postulante contextu; et qui hac sorte utuntur, aut eam perferunt, dicuntur bibere calicem. Imago desumpta a conviviis, in quibus patrifamilias calicem (seu poculum) porrigit. Nunc sequuntur ea, quae Matthaeus (26, 53—55.) et Lucas (22, 53.) referunt. Tum

<sup>1)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

Christus constringebatur, discipuli vero aufugerunt, quia videbant, Dominum nunc non esse effugitum, quum ipsis sponte se tradiderit atque (coll. Matth. 26, 54.) dixerit, haec omnia fieri, ut vaticinia impleantur. S. Marcus (14, 51, 52.) addit, quemdam adolescentem Christum esse secutum, quem satellites apprehensa veste linteal, qua super nudo corpore amictus erat, tenere voluerunt, qui vero relicta veste nudus profugit ab eis. Juxta Epiphanium adolescens hic fuit Jacobus, frater Domini, juxta Ambrosium et Gregorium M. s. Joannes, cui tamen obstat id, quia juxta Marcum (14, 50.) et Matthaeum (26, 56.) omnes apostoli fugerunt. Juxta Theophylactum et Euthymium fuit aliquis e domo, in qua Christus comedenter pascha; juxta Grotium fuit aliquis e villa, horto, in quo Christus orans captus est, adjacenti, qui rumore et strepitu transeuntium satellitum Christum capientium excitatus, e lecto surgens accurrit, ut videret, quid ageretur. Fuisse Christi fautorem vel discipulum liquet ex eo, quod ait Marcus, sequebatur eum, unde et satellites tenuerunt eum i. e. apprehensa veste tenere voluerunt. Addit hoc Marcus, ut liqueat, quam grave fuerit Judaeorum odium in Christum et furor, qui non tantum Christum, sed et sectatores ejus comprehenderent<sup>1</sup>). —

## 2) Christi accusatio et vexatio; Petri negatio (12—27.).

V. 12. *Judaeorum* i. e. synedrorum.

V. 13. *Ad Annam*. Dum juxta synopticos ductus est ad Caiapham, juxta Joannem duxerunt Dominum ad Annam, qui praeses (Nasi) erat synedrii<sup>2</sup>). Fors domus Annae prope sita erat ad portam (August.), et fors satellites jussi erant, Jesum captum statim in custodiam dare, ne multitudo custodum per plateas Dominum ducentium tempore nocturno hominum oculos ad se converteret et ita tumultus fieret. Ad Caiapham eum postea tacite abducere cogitabant, quando synedrium in palatio pontificis coactum fuisset (Ad. Maier). — *Anni illius*; cf. 11, 49. —

1) A Lap., Calm., Mald.

2) Cf. Wieseler chronolog. Synopse S. 401.

V. 14. *Quia expedit, unum hominem mori pro populo*  
*(quam tota gens pereat); cf. 11, 50.* —

V. 15. *Sequebatur, amore scilicet erga Christum vincitus; sed,*  
*ut synoptici (Matth. 26, 58. Marc. 14, 54. Luc. 22, 54.) addunt, a*  
*longe, quia amori mixtus erat timor (et quidem sequebatur tum,*  
*quum ad Annam, tum, quum ad Caipham duceretur). — Alius disci-*  
*pulus, scilicet Joannes. — Erat notus pontifici i. e. domesticis ejus.*  
*Addit hoc, ut ostenderet, qui fieri potuerit, ut ipse in complu-*  
*vium (Hofraum), seu atrium (aulam interiorem), quod erat spa-*  
*tium vacuum in ipsis aedibus orientalium, pontificis, nemine*  
*obstante, introiret. In suo tamen studio Dominum sequendi, non*  
*observabat, Petrum relinqui et ideo a famulis introitu prohiberi.*

V. 16. *Exivit, scilicet ex atrio (aula interiori). — Ostiariae*  
*i. e. ancillae janitrici, cui portae custodia tradita erat. Apud Ro-*  
*manos et Graecos mares erant janitores, apud Hebraeos etiam*  
*feminae (cf. 2 Sam. 4, 6. act. 12, 13.). — Introduxit, nimirum in*  
*atrium.*

V. 18. *Quia frigus erat; noctes enim circa tempus festi*  
*paschalis in Palaestina solent esse frigidae.* —

V. 19. *Pontifex, scil. Caiaphas. Continuat hic sermonem cum*  
*v. 13. et 14., ubi de Caiapha loqui cooperat, eumque occasione*  
*Petri interruperat (Jansen.). Nunc exponit breviter interrogatio-*  
*nem a Caiapha institutam. Interrogabat vero Dominum eum in si-*  
*nen, ut ipse declararet, quis esset.*

V. 20. *Palam i. e. publice. — Mundo i. e. hominibus, scili-*  
*cet Judaeis (cf. 12, 19.). — Semper i. e. assidue, frequenter. —*  
*In synagoga i. e. ubicumque aliqua erat synagoga. Id praeprimis*  
*valet de ejus activitate extra Hierosolymam. Hierosolymae enim*  
*in templo plerumque docebat (Ad. Maier). — Omnes Judaei i. e.*  
*Judei ex omnibus Palaestinae partibus, qui festis diebus Hiero-*  
*solymam proficiisci et templum frequentare solebant (Kuinoel).*

V. 22. *Ministrorum, scilicet apparitorum. — Dedit alapam*  
*(ἐδωκεν ῥάπισμα = ἐδράπισε) i. e. alapam inflxit. Vox ῥάπισμα, a*  
*ῥάπιζω (a ῥάπις virga) virga caedo, dein alapam infligo, apud*  
*recentiores notat alapam<sup>1</sup>)*

1) Cf. Wilke lexic.

V. 23. *Male* i. e. falso. — *Testimonium perhibe de malo* i. e. demonstra, id a me factum esse. — *Bene* i. e. vera protuli. Hoc facto docet Christus, quamvis in sermone montano (Matth. 5, 39.) docuerit, percutienti nos in dexteram maxillam praebendam esse et alteram, homini christiano modestam et legitimam defensionem esse permissam.

V. 24. *Et* i. e. nimirum. Verba haec addidit Joannes, quia supra (v. 14.) notare oblitus erat, Jesum ab Anna ad Caia-pham fuisse deductum<sup>1)</sup>. Hisce a Joanne narratis jam subtexenda sunt, quae narrat s. Mathaeus (26, 59 — 66.), nimirum synedros excitasse homines, qui contra Christum falsa dicerent testimonia, quorum tamen testimonia non conveniebant, quod tamen necessarium erat, quia reus non poterat damnari, nisi convictus duorum triumve testium oratione (Num. 35, 30. Deut. 17, 6. Matth. 18, 16.); — tandem duos accessisse, qui Christum blasphemiae in templum accusabant; quod tamen testimonium, uti Marcus addit (14, 59.) pontifici ad necem insufficiens erat, etsi fuisset verum, quum nemini esset injuriosa potestatis propriae declaratio. Pontifex igitur ex ore Domini vult elicere aliquid, ex quo damnationis causam posset arripere. Quapropter adjurat eum, dicere, utrum sit Messias, Dei Filius, quod Christus juramento affirms; qua re audita pontifex horrore auditae blasphemiae vestimenta scidit, synedrium vero Dominum mortis reum (lapidibus obruendum Lev. 24, 16.) declaravit. — Postquam Jesum ad mortem damnarant, apparitores eum in atrium deductum omnis generis contumeliis afficiebant; alii (coll. Marc. 14, 65. synedri) faciem ejus conspuebant, (quod apud Hebraeos gravissimum erat contumeliae et contemtionis genus) et colaphos ei inflixerunt (i. e. compressa in pugnum manus eum percuesserunt); alii (ministri synedrorum) obvelatis oculis ei alapas inflixerunt, interrogantes eum: dic nobis, Christe (Messias), qui te percuesserit (Matth. 26, 67. 68. Marc. 14, 65. Luc. 22, 63. 64.).

V. 25. *Erat autem Simon Petrus stans.* Reassumit filum narrationis v. 18. coptae. — Quum tamen Petrus se suspectum videret, omniumque, qui in atrio erant, oculos in ipsum conver-

<sup>1)</sup> A Lap., Ad. Maier.

ti, exivit ex atrio (compluvio) in portam ( $\pi\upsilon\lambda\omega\nu$ ) i. e. in id aedificium, per quod exitus ex compluvio palatii pontificii ad urbis plateas patebat seu in  $\pi\rho\alpha\beta\kappa\iota\sigma\tau\omega\nu$ , in vestibulum, quod erat ante aulam seu atrium (coll. Matth. 26, 71. Marc. 14, 68.). — Nunc gallus primo cantavit. — *Dixerunt ei.* Juxta Joannem ergo plures aderant; dum juxta Matthaeum (26, 71.) erat alia ancilla, juxta Marcum (14, 69.) eadem, et juxta Lucam (22, 58.) aliis. Difficultas haec facile removetur ope Joannis, cujus verba docent, alterum Petri lapsus fuisse factum coram pluribus. Janitrix nimirum illa rem iterum movit, alia ancilla et servus statim ei assentiebant (simili modo Petrum percontantes). *Negavit*, nimirum cum juramento (Matth. 26, 72.). —

V. 26. *Dicit*, nimirum (coll. Luc. 22, 58.) circiter post unius horae spatium, tempore alterius gallicinii (quod in quartam vigiliam incidebat, circiter hora 4. matutina, dum primum gallicinium designabat tempus post medium noctem usque ad diluculum) postquam Petrus ad ignem in atrium regressus igni rursus asederat, et Jesus e palatio in atrium deductus erat. — *Nonne te vidi in horto cum illo?* Ministri nimirum in Petri Galilaeis propriam pronuntiationem intendentis, dicebant ei: Vere et tu ex illis (i. e. ex sodalitate ejus) es; nam et loqua tua (i. e. pronuntiatio, seu ratio verba pronuntiandi) manifestum te facit (Matth. 26, 73. Marc. 14, 70. Luc. 22, 59.). Id vero Petro negante, dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus Malchi, cuius abscondit Petrus auriculam: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?*

V. 27. *Negavit* et quidem (uti Matth. 26, 74. Marc. 14, 71. narrant), dira proloquendo in semetipsum (mala sibi imprecando), si verba ipsius a vero abessent. Et, uti Lucas (22, 60.) refert, adhuc eo loquente, cantavit altera vice gallus. Lucas (22, 61.) simul dicit, Dominum illo temporis momento conversum, respexit Petrum, qui intuitus profunde cor ejus tetigit; nam, uti synoptici referunt (Matth. 26, 75. Marc. 14, 72. Luc. 22, 61, 62.), recordatus verbi Jesu: priusquam gallus cantet bis, ter me negabis, — egressus e porta, totus poenitentia tactus lacrymas fudit. — Per-

<sup>1)</sup> Ita Menochius, Patritius II, 431., cf. a Lap.

<sup>2)</sup> Cf. Friedlieb Leben Jesu S. 325.

misit Deus, ait s. Basilius, lapsum Petri, ut elideretur ejus praesumptio, et ut disceret infirmis parcere, ubi suam novisset infirmitatem; permisit, dicit s. Leo (serm. 9. de pass.), ut nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec Petrus potuit evadere. — Et tu christiane ora quotidie: ne nos inducas in temptationem, agnoscens, nos e nobis nil posse; nam columna firmissima, ait s. Augustinus (in Joann. c. 18.) ad unius aurae impulsu tota contremuit. — Synedri jam in palatio Jesum capitis condemnabant; attamen mane iterum magnum plenumque concilium convocatum est, quia sententia, qua quis noctu capitis condemnabatur, juxta eorum statuta erat irrita, eam solummodo sole exorto ferri licitum erat. Concilium hoc jam habebatur in aedificio quodam templo vicino, ad quod omnes synedri convenerant (Marc. 15, 1.), dum prius tantummodo interfuerunt Christi adversarii acerrimi. Totam in hoc concilio quaestionem refert s. Lucas (22, 66—71.).

### 3) Christus Pilato traditur (28—40.)

V. 28. S. Matthaeus (27, 3. seq.) narrat Judam, quum Jesum ad Pilatum abduci et capitis damnatum videret, poenituisse facti, triginta argenteos pontificibus, nimirum illis, qui in templo ministria obibant,<sup>1)</sup> retulisse, et confessum, se sanguinem insontem tradidisse effundendum, laqueo se suspendisse, synedros vero pecunia illa agrum emisse, qui inserviret sepulturae peregrinis. — Praetorium (*πραιτώριον*) generatim est domus, in qua praetor in provincia jus dicebat (Gerichtshaus); dein vero praetorium dicebatur etiam (uti h. l. v. 33; 19, 9. et Matth. 27, 27.) regia Herodis Magni, in superiore Hierosolymae parte exstructa, quam praetores romani occupabant, quotiescumque Caesarea Hierosolymam (praeprimis festis magnis) ad res agendas venerant; ex ea aditus patebat in arcem Antoniam, templo junctam. — *Ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Videsis 13, 1. ad b. —

V. 29. **Pilatus.** Pontius Pilatus juxta Josephum Flavium (antiq. XVIII. 4, 2, 3.) circa annum 26. post Christum n. a Tibe-

<sup>1)</sup> Jansen., Mald., Schegg.

rio procurator Judaeae electus est, quo munere per decem annos fungebatur. Dein ob crudelitatem suam per Vitellium, Syriae praesidem, munere suo privatus, Romamque missus est ad rationem reddendam. Juxta Eusebium (hist. eccl. II, 7.) ipse sibi manus intulit. — *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Verba haec Pilatus tali tono pronuntiassesse censendus est, ut Judaei intelligere possent, ipsum totam rem parvi momenti zelum vero eorum superfluum habere, quam percunctationem inique ferebant (Ad. Maier).

V. 30. *Malefactor*, quum scilicet nobis constaret esse morte dignum. — *Non tibi tradidissemus eum*, nimirum morte plectendum.

V. 31. *Pilatus*, qui nimirum non cogitabat, eos velle supplicium sumere de Jesu, responso Judaeorum irritatus, dixit eis: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate* i. e. si in instituta et religionem vestram peccavit, secundum legem vestram eum judicate et in eum sententiam fert. — *Nobis non licet interficere quemquam*. Plerique interpres cum antiqui, tum recentiores ex his verbis colligunt, tunc temporis (juxta Scaligerum jam a. 61. ante templi excidium, Archelao, rege Judaeorum, Viennam relegato, redactaque in provinciam Judaea) jus vitae et necis Judaeis fuisse a Romanis ademptum, censemque verba illa: accipite eum vos et secundum legem vestram judicate, ironice dicta fuisse a Pilato, huncque Judaeis verbis illis insultasse, provocantes ad Josephum Flavium (antiq. XX, 9, 1.), qui dicit, sine consensu procuratoris synedrio non licitum fuisse supplicium sumere de aliquo; dein ad Talmudem, in quo quadraginta annis ante Hierosolymae excidium Judaeis jus vitae et necis a Romanis ademptum perhibetur et tandem ad analogiam juris romani. Alii contra minus verisimile putantes, Pilatum bis (h. l. et 19, 6.) Judaeis insultasse, quum eos timeret, ne eum apud praesidem Syriae, vel apud ipsum Caesarem deferrent, dicunt, Pilatum verbis illis: *accipite eum, et judicate* —, solummodo id voluisse, ut sententiam in Jesum ferrent, ad quam tamen exequendam opus habebant venia procuratoris romani (Ad. Maier). — Alii tandem antiqui (Selden, cf. Calmet) et inter recentiores Döllinger<sup>1)</sup> affirmant, Judaeis jus vitae necisque a Ro-

<sup>1)</sup> In opere recentissimo: Christenthum und Kirche S. 453—457.

manis fuisse relictum, provocantes hanc in rem ad Levitae Stephani, extra urbem a Judaeis interficti (act. 7, 1—58.), et ad Jacobi, consanguinei Jesu Christi exemplum, quem pontifex Ananus, unacum aliis morte damnavit: porro ad synedrii agendi rationem, quod necem apostolorum decrevit eamque exsecutum fuisse, nisi Gamaliel obstatisset: tum ad agendi rationem Judaeorum respectu Pauli in templo Hierosolymitano, qui eorum vi solummodo provocando ad Caesarem per tribunum Lysiam ereptus est (act. 24, 6. 7.); imo ad ipsius Christi exemplum, quem bis in templo lapidibus obruere volebant, quod hand ausi fuissent, nisi jus vitae necisque in criminibus ad religionem spectantibus habuissent. Qui hanc tenent sententiam, versum hunc ita explicant: Volebant Judaei, ut Christus morte ignominiosissima crucis plectatur, ideo maxime eorum intererat, ut Pilatus sententiam in Christum pronuntiaret judiciale; si enim ipsi eam pronuntiassent, Christus ut blasphemus lapidationis poena multandus erat. Quapropter accusabant eum seditiosum et regiam dignitatem affectantem, cuius criminis cognitio non ad eos, sed ad praesidem pertinebat. Volebant porro, ut Jesus non post dies festivos, quum turba jam domum reversa esset, sed durante ipso festo morte crucis per gentiles plecteretur; profanatio enim festi fuisse, si Judaei eo die id fecissent (compertum enim est, neminem per festos dies morte affici consueisse: Maimonides apud Calm.). Si jam dixissent: Nobis non licet diebus festivis quemquam interficere, potuisset eis Pilatus dicere: Servate eum post dies festivos; quare ut id praecaverent, ambigue dixerunt: nobis non licet interficere quemquam, i. e. primo neminem criminis laesae majestatis reum; secundo nunc durante festo.

V. 32. *Ut sermo Jesu impleretur* i. e. hoc nimirum (quod Judaei recusarent Christum interficere) factum est, ut impleretur Christi prophetia, qua scilicet dixerat, se tradendum gentilibus et ab eis crucifigendum (coll. 12, 32. et Matth. 20, 19.).

V. 33. et 34. Quum jam Pilatus cognosceret, Judaeos id agere, ut Christus morte plectatur, volebat crima audire, de quibus eum accusent, ut ex iis videat et judicet, an Jesus reus sit mortis nec ne. Incipiebant igitur (verosimiliter Jesu in praetorium adducto) eum — (coll. Luc. 23, 2.) accusare tanquam eum, qui in provincia turbas moveret, tributa Caesaridari vetaret, atque se Mes-

siam, regem diceret. — *Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus.* Egressus nimirum erat Pilatus (coll. v. 29.) ad pontifices, ut accusationem eorum contra Jesum audiret, qua audita iterum ingressus est, ut de ea Jesum examinaret. — *Et dixit ei: Tu es rex Iudeorum.* — Relinquit cetera ei objecta, et id unum arripit, quod laesam Caesaris majestatem spectare videbatur. — *A temetipso hoc dicas, an alii tibi dixerunt de me i. e. tuane, an ex aliorum (Iudeorum) sententia id me interrogas?*

V. 35. *Respondit Pilatus*, hac Jesu interrogatione irritatus. — *Numquid ego Iudeus sum, ut nimirum illum regem Iudeorum exspectarem, aut mihi in mentem venire poterat, te pro tali habere?* — *Tradiderunt te mihi.* Silens autem, quam accusacionem adversus eum instituissent, conatur causam concitati tumultus ex ipsomet cognoscere, interrogando eum: *quid fecisti.*

V. 36. *Respondit Jesus*, nimirum clare et directe ad primam quaestionem, declarans regnum suum non esse mundanum et terrenum, ut Caesar ab eo sibi metuere deberet, ne dominio Iudeae ab eo privaretur, sed esse coeleste, spirituale (a Lap.).

— *De hoc mundo i. e. mundanum, terrenum, qualia sunt mundi hujus regna, adeoque neutquam Romanis periculum; quod statim probat.* — *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudeis i. e. si esset regnum meum terrenum, haberem et ipse more ceterorum regum satellites, milites, exercitus, qui decertarent armis pro me, quominus Iudeis traderer ad crucifigendum.* — *Nunc autem i. e. jam vero, ut nunc res se habet.* — *Hinc i. e. terrenum. Vox ἐντεῦθεν = ἐξ τοῦ κόσμου τούτου.* —

V. 37. *Dixit Pilatus*, concludens ex verbis Christi pрагressis. — *Ergo rex es tu i. e. ergo vere es rex?* Nam grammatici docent, *οὐκονν* esse non igitur, *οὐκοῦν* igitur<sup>1</sup>). — *Tu dicas, quia rex sum ego i. e. sane, sum rex.* Phrasis: tu dicas, est formula concedendi et affirmandi: ita est, sane (cf. Matth. 26, 25, 64.) — *In hoc (εἰς τοῦτο)* i. e. propterea. — *Qui est ex veritate i. e. qui veri amans est, seu qui sensum veritatis cognoscendae habet.* — Cf. 8, 47. qui ex Deo est. — *Audit;* cf. 8, 47. —

<sup>1</sup>) Winer gramm. S. 599., Beelen gramm. 511.

V. 38. *Dicit ei Pilatus*, nimirum ei illudens, quum ut scepticus nil verum haberet. — *Cum hoc dixisset*, responso nimirum non exspectato. — *Iterum*, i. e. secundo. — *Ego nullam invenio in eo causam* i. e. nullum crimen, quod sit mortis supplicio dignum. Putabat enim Jesum esse philosophum, inquirentem veritatem, imo, quum ex ejus opinione nil esset verum, fanaticum, sed minime periculosum. —

Quod ad rerum seriem attinet, sequuntur jam ea, quae apud Lucam (23, 5.) leguntur, nimirum quod synedri magno clamore repeterent, Jesum turbas movere studuisse et plebem ab eo inde a Galilaeae finibus per omnem Judaeam sollicitatam fuisse, ad quorum tamen criminationes (coll. Matth. 27, 12 — 14.) Jesus nil respondit, ita ut ipse Pilatus eum interrogaret: Nonne audis, quanta adversum te dicunt testimonia? et miraretur, nimirum animi ejus aequanimitatem et celsitudinem in tanto adversariorum suorum furore. — Pilatus jam (coll. Luc. 23, 6 — 16.), quum audisset, Jesum esse Galilaeum et ideo ex ditione Herodis Antipae, Galilaeae et Peraeae tetrarchae, misit eum, ut ab ejus condemnatione se extricaret, ad Herodem, tunc temporis propter festum paschale Hierosolymae commorantem, quem silentem veste alba, quam ambientes magistratum (candidati) gestare solebant, indui jussit, ut tali modo ei velut fatuo illuderet, qui stolidi regiam dignitatem ambivisset, et ita indutum ad Pilatum remisit. Quum Pilatus vidisset Jesum sibi ab Herode remissum, in quo nec ipse Herodes criminis quid invenisset, voluit ipsum aliqua flagellatione castigare et dein dimittere. Verum cum obnitentibus Judaeis haec non succederent, alium modum liberandi Jesum tentat, quem synoptici (Matth. 27, 15 — 26. Marc. 15, 6 — 15. Luc. 23, 17 — 25.) et s. Joannes nunc referunt, sperans Judaeos Jesus, qui tot infirmos eorum curarat, tantaque beneficia eis conulerat, petituros esse liberari, Barabbam vero damnari. —

V. 39. *Consuetudo*. Num hic mos captivum festo paschatis dimittendi (*jus aggratiandi*) a Romanis, an a Judaeis originem traxerit, et quando apud Judaeos invaluerit, cum in libris Judaeorum nil de eo legitur, certo definiri nequit. Plures<sup>1)</sup> putant, hunc morem fuisse origine sua judaicum, in memoriam

<sup>1)</sup> Jans., Mald.

populi judaici ex servitute Aegypti liberati introductum, quem Augustus, Judaea in provinciam romanam redacta, retinuit et confirmavit. Alii contra<sup>1)</sup> existimant, hunc morem repetendum esse a Romanis, qui in lectisterniis (den feierlichen Tempelmahlen) captivos dimittere solebant, populo autem Judaico ab Augusto hanc gratiam fuisse concessam. Quum etiam in Dionysiis captivi dimitterentur, videtur sententia altera potior esse. — Ceterum ex hoc loco recte colligitur, diem, quo Christus crucifixus est, fuisse 15. Nizanis. Si enim dies illa, qua Christus crucifixus et Barabbas dimissus erat, fuisset 14. Nizanis, Pilatus morem Judaeorum, festo paschatis captivum dimitendi, anticipasse dicendus esset, quod minus verisimile videtur. Si vero ita res se habet, recte colligitur, Christum coenam paschalem 14. Nizanis egisse<sup>2)</sup>. — *Vultis ergo dimittam vobis regem Judaeorum.* Ita et Marcus (15, 9.) habet; dum Matthaeus (27, 17.): *Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?* Vero similiter utrumque (uti Matthaeus et Joannes habent) dixit Pilatus.

V. 40. *Clamaverunt.* Dum (coll. Matth. 27, 19. 20.) nimis in tribunali sederet, misit ad eum uxor (Claudia Procula)<sup>3)</sup> nuntium, ne acerbi quid in Jesum statuat, quum nimis multa somniari proxima nocte, quae animum ejus angore impleverunt. Dum vero Pilatus cum nuntio uxor sua colloquebatur, persuaserunt principes sacerdotum populo (variis promissionibus et largitionibus), ut potius peteret Barabbam, quam Jesum; unde factum est, ut, quamvis secundo (coll. Matth. 27, 21—23.) et tertio (coll. Luc. 23, 22.) tentaret Jesum liberare, clamarent omnes, populus et synedri: Barabbam. Barabbas (*Bapaθβāς* compositum ex *βα* filius et *ραββ* pater) est nomen in scriptis rabbinorum frequenter occurrens. — *Latro*, et juxta Lucam (23, 19.) propter homicidium et seditionem in vincula fuit conjectus.

<sup>1)</sup> Ad. Maier, Schegg, Bucher.

<sup>2)</sup> Cf. Wieseler Chronolog. S. 345.

<sup>3)</sup> Nicephorus hist. eccles. I. 30.

## Caput XIX.

### Continuatio.

#### **1) Ulteriora Pilati studia Christum liberandi; Christi condemnatio (v. 1—16.).**

V. 1. Quum Pilatus videret, studium suum Jesum liberandi per collationem ejus cum Barabba non successisse, tentat novam Jesum liberandi viam. Jussit nimirum Jesum flagellis caedi (non ut nonnulli putant, ut animos Judaeorum ad commiserationem flecteret, sed) quaestionis habendae causa, (quaestio per tormenta) non, ac si ipse ea opus haberet ad notitiam suam de Jesu culpa aut innocentia, sed ut Judaeis ostenderet, se etiam per ipsa tormenta non potuisse efficere, ut Jesus criminis alicujus reum se profiteretur, quo tanto magis liberationem ejus postulare sperabat. Et de hac flagellatione (coll. v. 4.) loquitur hic loci s. Joannes<sup>1</sup>). Flagellationis erant tres species: 1) pro minoribus delictis; 2) flagellatio instituta quaestionis habendae causa (quaestio per tormenta); 3) flagellatio ut castigatio capite damnatorum. Flagellandus adstringebatur columnae humili, dein exuebatur vestibus et caedebatur virgis aut loris.

V. 2. *Milites*, qui nimirum per ludibrium Jesum ut regem Judaeorum inaugurate volebant (et quidem coll. v. 4. in ipso palatio id factum est). — *Coronam de spinis imposuerunt capiti ejus*, nimirum pro diademate regio, ut ludibrium esset cum tormento conjunctum. Spinas istas fuisse rhamnum paliurum i. e. spinam Christi, ab incolis Hierosolymae Netes dictam, erudit multi putant<sup>2</sup>). — *Veste purpurea* i. e. sagum, paludamentum rubrum, (quale imperatores (purpureum), duces, milites, (cocco bis tinctum) gestare solebant ita, ut in humero dextero fibula juncatum laevam corporis partem amiciret), postquam eum exuerunt vestibus propriis, quibus eum jussu Pilati a flagellatione iterum

<sup>1)</sup> Hug Gutachten über das Leben Jesu, Ad. Maier, Friedlieb, Bucher 3.  
B. S. 311., Tholuck Comment. zum Johannes.

<sup>2)</sup> Cf. A. noldi comment. in Matth.

induerant (Schegg). Sagum hoc, quod erat militis cuiusdam gregarii, ironice vices gessit pallii purpurei regum. Ceterum si Matthaeus (27, 28.) dicit, Jesum fuisse amictum chlamyde coccinea, Joannes vero eam vocat vestem purpuream et Marcus (15, 17. 20.) purpuram, non est pugna; quum enim color coccineus simillimus est purpureo, non raro haec duo vocabula inter se permuntantur<sup>1)</sup>. Juxta Mattheum (27, 29.) arundinem, ut esset loco sceptri, in dextera ejus posuerunt.

V. 3. *Et dicebant*, nimirum genu flexo (coll. Matth. 27, 29.) ut ei, tanquam novo regi, reverentiam exhiberent. — *Ave rex Iudeorum* i. e. apprēcantes ei omnia fausta, et felicia et salutantes ut novum regem; — ὁ βασιλεὺς πρὸς ὁ βασιλεῦ. — *Et dabant ei alapas* (χαὶ ράπτηματα); cf. 18, 22.; et juxta Mattheum (27, 30.) et Marcum (15, 19.) arundine eum percutiebant, quo declarabant, ipsum esse regem morionem (stultum), qui insignibus potentiae suae percuti possit (Thomas Aq.), et faciem ejus conspuebant, qua re magis interpretabantur ironicam adorationem suam (Jansen.). — Similem illusionem enarrat Philo (in Flaccum). Quum Herodes Agrippa, rex Iudeorum, ille ipse, qui Jacobum occidi jusserrat et Petrum incarcernari, Alexandriam venisset, Alexandrini insanum quemdam, nomine Carrabam, qui personam Agrippae sustinebat, in superiori loco stauerunt, moxque capiti ejus diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento corpori pallium induunt, pro sceptro frustum arundinis dant ei in manum. Sic ornatum regiis insigniis et in regem transformatum, more histrionico adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio, tum alii salutabant, per ludibrium nominantes eum Marin (syriacum: dominus). —

V. 4. *Foras* i. e. palatio (praetorio). — *Eis* i. e. Judaeis. Ergo (*οὐν*) est spurium (Ad. Maier). — *Quia nullam invenio in eo causam*, quam si invenissem, eum incarcernari jussissem, ut ulterius in ipsum inquiratur.

V. 5. *Exivit*, nimirum plagis lividus, flagris conscius, vulnerum cruento a capite per faciem ad pedes usque defluente sanguinolentus, sputis horridus (Jansen.). — *Ecce homo* i. e.

<sup>1)</sup> Cf. Kuinoel, Ad. Maier, a Lap.

ecce quam miserabilis est ille, quem vos persequimini. Verbis his volebat Pilatus Iudeos ad misericordiam flectere (Euthym., et plerique interpretes).

V. 6. *Clamabant*, magis nimirum in eum efferati. — *Crucifige, crucifige*; repetitio significat animi ardorem et aversio-  
nis magnitudinem. — *Dicit eis Pilatus*, nimirum indignabundus,  
quum videret, se in Christo liberando operam perdidisse, quamvis  
Christum insontem esse eis sat ostendisset. — *Accipite eum vos  
et crucifigite*; vid. 18, 31. — *Ego enim non invenio in eo causam*  
i. e. ego enim nullum in eo crimen laesae majestatis aut seditionis,  
cujus puniendi jus mihi concessum est, invenio.

V. 7. *Nos legem habemus*, i. e. si tu non invenis in eo cri-  
men juxta leges romanis, nos invenimus maximum. — Quum Pilatus dixisset, se nullum in Jesu crimen laesae majestatis aut seditionis invenire, accusant eum criminis impietatis in Deum et religionem, provocantque ad legem suam. — *Mori debet* i. e.  
mortis reus est. — *Quia Filium Dei se facit* i. e. quia filium  
Dei se dicendo, blasphemus est. Nam in libro Levitici (24, 16.)  
praecipiebatur, ut blasphemus morte plectatur.

V. 8. *Sermonem* i. e. hoc verbum, nimirum quod se Filium  
Dei asseruisse. — *Magis timuit*. Hactenus enim metuebat, ne  
innocentem capite damnaret; jam vero multo magis metuebat,  
ne condemnando Jesu, quem juxta gentilium opinionem alicujus  
Dei filium suspicatus est, iram deorum in se concitaret; quapropter  
rem accuratius explorare volebat.

V. 9. *Unde es tu* i. e. unde ducis originem tuam, an a diis,  
an ab hominibus? — Quum Pilatus sciret, Jesum esse Galilaeum,  
verbis his quaerit de origine, non de patria. — *Responsum non  
dedit*, quia nimirum sciverat, Pilatum (coll. 18, 38.) profundioris  
explicationis, quod esset Filius Dei ab aeterno, incapacem esse  
(Jansen.). Silentium hoc confirmavit Pilatum in sua suspicione de  
Jesu; ast negationem responsi aegre ferebat, studebatque signifi-  
catione suae potestatis illud ab eo extorquere.

V. 10. *Dicit ei*, nimirum cum stomacho. — *Mihi*, nimirum  
judici tuo? — *Quia potestatem habeo crucifigere te, et potesta-  
tem habeo dimittere te?* i. e. me habere potestatem te vel cruci-  
figendi, vel dimittendi.

V. 11. *Adversum me i. e. in me tanquam Filium Dei.* — *Ullam*, neque crucifigendi, neque flagellandi, neque juris, neque facti (Jansen.). — *Desuper*, i. e. e coelo seu a Deo, qui in coelis habitat (cf. 3, 31. Jac. 1, 17; 3, 15. 17.). — *Qui me tradidit tibi* i. e. Judaei. — *Majus peccatum habet*, scilicet quam tu, quia illi ex odio et invidia, tu vero ex timore injuriam infers (cf. Jans., a Lap.)

V. 12. et 13. *Exinde* (*ἐκ τούτου* scil. *χρόνου*) i. e. ex hoc tempore (ut 6, 67.). — *Quaerebat* i. e. multo magis studebat, quam antea. — Quum jam viderent, se accusatione criminis in Deum et religionem suam non posse permovere Pilatum, ut Christum capite damnaret, iterum accusare eum incipiunt criminis in Caesarem commissi. — *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris.* Amici Caesaris dicebantur legati, praesides et praefecti (cf. Wetstenius); ast in hac orationis serie ad istum titulum non respicitur, ac si sensus esset: si hunc dimittis, immerito hunc titulum habes; sed verba haec sonant: si hunc dimittis (absolvis), non faves Caesar, es ejus adversarius.<sup>1)</sup> — *Facit* i. e. venditat. — *Contradicit* i. e. se opponit, seu obnittitur (seu rebellis est). — Verbis his non obscure Judaei Pilato minitati sunt, se eum apud Caesarem, si Jesum dimitteret, accusaturos esse. Pilatus igitur, quum sciret, Tiberium esse hominem suspicacissimum, qui minima delicta perfidiae similia nece punire soleret<sup>2)</sup>, Judaeorum accusationem et supplicium a Caesare metuebat eoque magis metuebat, quum et in administranda provincia se injustum, rapacem et crudelem gessisset<sup>3)</sup>, reluctante conscientia, injuste agere malebat, quam propriam salutem in periculum et discrimen vocare, adeoque timori Caesaris prorsus succumbens, Jesum ad mortem damnare constituebat<sup>4)</sup>). — *Hos sermones*, scilicet de crimine laesae majestatis. — *Sedit pro tribunali*, i. e. habitu judicis consenso tribunali, quod positum erat sub dio in loco editione, sedit ad sententiam ferendam.<sup>5)</sup> — *In loco, qui dicitur Lithostrotos.* Graeca vox *λιθόστρωτον* (ex *λίθος* lapis et adjectivo verb. *στρωτὸς* a *στρώνυμος* sterno) est lapidibus stratus, pavi-

<sup>1)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Sueton. vit. Tib. c. 58. et Tacit. annal. 3, 38.

<sup>3)</sup> Philo legat. ad Cai., Joseph. antiq. 18, 14.

<sup>4)</sup> Kuinoel.

<sup>5)</sup> Cf. Wilke lex.

mentum i. e. solum lapidibus apte connexis stratum (Esth. 1, 6.); speciatim h. l. pavimentum, quod marmoris frustis diversicoloribus et artificiose politis constratum est (Mosaik oder Marmor Fußboden). Putant interpres nonnulli, h. l. dici pavimentum portabile, seu tesseras, quales Romanos constat secum tulisse, cum sedibus tum tribunal suo substernendas. Sed videtur locus intelligendus esse editior, lapidibus stratus, quem sibi Pilatus erigi jussérat, ut hic e tribunali jus diceret<sup>1</sup>). — **Hebraice Gabbathai** i. e. quem locum Judaei in lingua sua syrochaldaica Gabbatha i. e. suggestum vocabant, quia nimirum locus editus esset, in quo Pilatus sibi tribunal extra palatium erigijusserat. — **Γαββαθὰ ἡβύν** collis, syrochald. נְבָרֶת אַלְעָזָר, vel a נְבָרֶת altus, elatus fuit; ergo quaevis derivatio vocis hujus indicat, fuisse locum editum. — **Hebraice** cf. 5, 2. —

V. 14. **Parasceve paschae**; videsis hac de formula 13, 1. ad c. — **Hora quasi sexta** i. e. circiter sexta hora; quod repugnare videtur Marco (15, 25.), qui hora tertia crucifixum ait Dominum. Ad hanc dissensionem componendam inter plures praepri-mis duae p̄aeferendae sunt explicationes. Alii dicunt, Marcum verbis: erat hora tertia, finem horae tertiae, Joannem vero verbis: hora sexta, initium horae sextae designare. Judaei enim (cf. 1, 39.) diem aequem ut noctem in duodecim horas dividebant, et diem iterum in quatuor partes seu horas, scilicet tertiam, sextam, nonam, duodecimam, quarum quaevis ternas nostras horas complectebatur. Quum autem hae horae (3, 6, 9.) essent pre-cibus consecratae, consuetudine inductum est, ut tempus inter horam tertiam et sextam (scilicet inter nostram horam nonam matutinam et meridiem) hora tertia, tempus vero inter horam sextam et nonam (scilicet inter meridiem et horam tertiam po-meridianam) hora sexta appellaretur. Hinc tempus paulo ante meridiem designari potest tam per horam tertiam i. e. in fine horae tertiae, quam per horam sextam i. e. initio horae sextae. Stante hac explicatione Jesus juxta Marcum et Joannem crucifixus est circa meridiem<sup>2</sup>). — Alii contra dicunt, Joannem hoc loco, quum de judicio romano agat, non esse (uti alias 1, 39; 4, 6.) **Judaeorum** horas diei computandi rationem secutum, sed Ro-

<sup>1)</sup> Cf. Wilke lex.

<sup>2)</sup> Cf. Calmet, a Lap., Bucher.

C. XIX. v. 15.

manorum, qui a media nocte, uti nos, diei horas computare solebant. Dum ergo dicit Joannes, erat hora quasi sexta, quum Pilatus pro tribunali sederet, haud perperam statuitur, duas horae partes jam transactas fuisse, seu fuisse nostram horam matutinam sextam et semis; quum dein in illos, qui cum Christo crucifixi sunt, sententia judicaria proferri, eductio et bajulatio crucis, sicut et necessarii apparatus ad crucifixionem in ipso supplicii loco fieri deberent, facile intelligitur, fuisse jam horam nonam (tertiam Marci), cum Christus crucifixus sit. Huic alteri explicationi favet partim mos Jos. Flavii, utroque modo (judaico et romano) diei horas computandi; partim ipsum temporis spatium, per quod Jesus in cruce pendebat; tali enim modo incipiebat et finiebatur sacrificium Christi in cruce eo tempore, quo incipiebat et finiebatur sacrificium matutinum et vespertinum A. F.<sup>1</sup>) — *Ecce rex vester* i. e. videte regem vestrum, hominem villem, miserabilem, quem vos affectati regni accusatis. — Sunt verba irridentis synedros.

V. 15. *Illi autem*, hac nimirum cavillatione multo magis irritati. — *Tolle*, scilicet e medio. — *Crucifige* i. e. in cruce agi jube. — Spirant verba haec odium acerbissimum omnisque morae impatientes animos (Jansen.). — *Pilatus*, eos videlicet irridere pergens. — *Regem vestrum crucifigam* i. e. regemne vestrum in cruce agi jubeam? — *Responderunt pontifices*, quasi irrisionem Pilati non intellexissent. —

Nunc post v. 15. ex Matthaeo (27, 24. 25.) intexendum est, Pilatum coram populo aqua sibi manus lavisse, ut nimirum symbolica hac actione propalam profiteretur, se esse insontem necis in Christo committendae, verosimiliter morem hunc a Judaeis mutuatus (cf. Deut. 21, 6.), nisi fors hic ritus romanus erat, quum et apud Romanos lotiones usitatae essent, admisso scelere ad expiandum crimen<sup>2</sup>). Multitudo mentem Pilati probe intelligens, clamabat: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, scilicet veniat i. e. si qua culpa in hoc homine occidendo committitur, repetantur necis hujus poenae a nobis nostris-

<sup>1)</sup> Cf. Georg Mayer, die Echtheit des Evang. nach Johannes S. 339, Adalb. Maier S. 374., Friedlieb Leben Jesu, Wieseler chronol. Synopse, Hug Gutachten Leben Jesu, Schegg zum Matth. Evang.

<sup>2)</sup> Cf. Kuinoel.

que liberis. — Consideratur sanguis per prosopopoeiam ut persona et adversarius, qui non recedat, donec se vindicaverit. Non nulli cogitant hic etiam de more Judaeorum, ubi judices et testes, manibus capiti hominis ad necem condemnati impositis, dicere solebant: sanguis tuus super caput tuum<sup>1)</sup>.

V. 16. *Tunc*, postquam nimirum Pilatus sententiam in Christum formula: ibis ad crucem, tulisset, Barabba dimisso, Iesum tradidit crucifigendum. — *Eis* i. e. Judaeis. Dum autem evangelista dicit, Pilatum Judaeis tradidisse Jesum, non ita intelligendum est, ac si ipsi Judaei Jesum crucifixissent, id enim per milites romanos factum est (coll. v. 23.); sed (coll. Luc. 23, 25.) id verba haec valent: Pilatus Jesum morti adjudicatum, Judaeis, ut cruci affigeretur a militibus romanis, tradidit<sup>2)</sup>. — Quum in crucem agendi plerumque flagellis caederentur (coll. v. 1.), poena haec flagellorum in Christo, qui jam prius flagellis caesus erat, omissa est. Attamen assumi potest, milites, dum ea, quae ad crucifixionem necessaria erant, apparabantur, ludibria illa et vexationes, primo (coll. v. 2. et 3.) inceptas, repetiisse<sup>3)</sup>. — *Eduxerunt*, nimirum milites romani a praetorio per urbem in locum supplicii. Nam apud Judaeos suppicia a maleficiis extra murum exigeabantur (coll. Num. 15, 35. act. 7, 57.). —

## 2) Christi crucifixio (17—24).

V. 17. *Bajulans crucem*. Ex jure romano malefici, qui in crucem agebantur, crucem ad locum supplicii ipsi portare cogebantur, ita et Christo crux imposta est. Sed quum ejus vires vigiliis, flagris, contumeliis aliis plane deficerent, in via impar factus est sustinendo crucis oneri. Itaque carnifices, uti synoptici narrant, (Matth. 27, 32. Marc. 15, 21. Luc. 23, 26.) Simonem Cyrenaeum (ita dictum, quia oriundus erat e Cyrene in Libya, e qua regione Hierosolymam commigravit;) patrem Alexандri et Rufi (coll. Marc. 15, 21.), verosimiliter duorum christianorum notorum et celebrium Christi discipulorum, arripue-

<sup>1)</sup> Cf. Schegg.

<sup>2)</sup> Cf. Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Patrit. II, 433., Arnoldi, Bucher.

C. XIX. v. 12.

runt, ut crucem Christi ferret, et quidem totam, non autem ut pingunt pictores, Simon unacum Christo crucem gestavit, Christus priorem crucis partem, Simon posteriorem; id enim verbis scripturae non inest, potius contrarium elucet e Lucae verbis: et imposuerunt illi (Simoni) crucem, ut et e Mattheo et Marco: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus, nec porro etiam magnae levationi id Christo fuisse. — *Crucem.*  
 Crux erat palus rectus (staticulum), cuius in superiore parte lignum erat transversum (antenna); in media parte lignum erat infixum (sedile), cui miser insidebat, et quasi inequitabat, quum alias pondus corporis haud sustineri potuisset, ita ut referret figuram literae T (crux commissa); saepe crux haec ita erat formata, ut palus rectus emineret super lignum transversum, cui parti eminenti titulus damnationis affigebatur (crux immissa). Alia crucis forma erat ad graecam literam X (crux decussata, Andreeae). Juxta traditionem<sup>1)</sup> Christus cruci immissae affixus est. Hic ordine historiae intexenda sunt, quae Christo eungi in montem Calvariae in itinere contigerunt, quae refert s. Lucas (23, 28.); nimirum Christum mulieribus piis sequentibus et lamentantibus dixisse, ut flerent non super se, sed super se ipsas et filios suos, qui tempore obsidionis urbis in summas angustias redacti, montibus dicent: cadite super nos, et collibus, operite nos; causam subdens: qui a si in viridi liguo haec faciunt, in arido quid fiet i. e. si ego, qui velut arbor virens et foecunda, utpote gratia, justitia et bonorum operum fructibus plenus, ac proinde combustionē minime dignus, Deo permittente et judicante ob alienam culpam tam dire tractor, quid supplicii maneat Judaeos, qui propter impietatem et omnis boni sterilitatem velut arbor arida, solum igni i. e. Dei vindictae et excidio sunt apti (Jans., a Lap.). — Golgotha (elisa litera: l) chaldaicum גָּלְגֹּלֶת, hebr. גָּלְגֹּלֶת, calvaria (Schädel). Locus erat extra urbem situs ad septemtrionem et occasum versus. Ecclesia sepulchri, quae aedificata est super Golgotha et sepulchrum, nunc quidem intra ipsam urbem sita est; ast inde haud sequitur, ecclesiam non esse super illum locum, in quo Christus crucifixus et sepultus fuerat, exstructam; ambitus enim urbis moder-

<sup>1)</sup> Justin. dial. c. III., Tert. apolog. c. 16., Minuc. Felix Octav. c. 29.

nae non est ille antiquae urbis (Arnoldi). Cur autem locus hic dictus sit Golgotha seu Calvaria, nil certi hac redici potest. Nonnulli putant, ita dictum esse a cranio vel calvaria Adami, ibi sepulti; sed jam s. Hieronymus de hac opinione ait: mulcens aurem populi, nec tamen vera. Alii (Kuinoel) putant, ita vocatum fuisse locum ab hominum morte multatorum calvariis, quae ibi dispersae jacuissent. Sed huic obstat, quia apud Judaeos corpora morte multatorum humari debebant; et si explicatio haec vera esset, in graeco esse deberet: *χρανίων* (non *χρανίου*) *τόπος*. — Alii (Schegg) iterum putant, fuisse locum hunc ita dictum, quia ille locus formam calvariae habuisset i. e. quia ille locus fuisse collis in formam calvariae consurgens; sed tunc in graeco esse deberet simpliciter *χρανίου* (non autem *χρανίου τόπος*). Berlepsch, s. Hieronymum secutus; vocem Golgotha sumit significatu: capit, quem significatum tam hebr. *תַּלְמִזֵּן*, quam graecum *χρανίου* habet, ita ut locus ille caput, seu locus capitalis dictus sit, quia in eo homines capite plectebantur. Quae explicatio praefferenda videtur. — Nunc sic intexenda sunt: Dum omnia apparabantur ad crucifixionem, propinatum est Christo vinum myrrhatum (coll. Marc. 15, 23.). Juxta traditiones adhuc in Talmude exstantes, capitis suppicio afficiendis porrigit solebat vinum thure mixtum, ut torpore affecti mortis dolores minus sentirent. Potionem hanc miscebant nobiles feminae et morte damnatis porrigeabant. Christo meliorem potionem, vinum myrrhatum, parabant, quae potio erat odoris et saporis jucundissimi (aromatica), sed simul torporem afferebat. At bibere noluit.

V. 18. *Crucifixerunt eum*, nimirum (coll. v. 23.) quatuor milites romani. Erat duplex genus crucifixionis. Vel enim suppicio multandus, postquam vestibus extus erat, ad crucem humili stratam extendebatur, et manus pedesque ejus funibus cruci alligati, ut omnibus membris captus esset; postea magnis ferreis clavis manus et pedes cruci figebantur, tandem crux in altum sublata. Vel vero crux antea erigebatur, dein suppicio multandus ad eam suspendebatur, ligno in media crucis parte (coll. v. 17.) infixo imponebatur et ad crucem vinciebantur manus ac pedes et clavis affigebantur. Alterum crucifixionis genus magis in usu fuisse videtur; nam saepissime leguntur formulae: in crucem agere, ferre, ascendere, excurrere. Ita fuisse Christum crucifixum,

docent Nonnus Panopolitanus, s. Bonaventura aliique (Schegg). Recentiores quidam interpres contendunt, Christi pedes non clavis ferreis fuisse transfixos, sed funibus solum alligatos ad crucem; ast iis obstat locus Lucae (24, 39.), ubi Christus post resurrectionem suam apostolis apparet dicit: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Nam aspectus pedum Jesu tum solum poterat apostolis persuasionem suppeditare, ipsum Dominum esse, si in iis aliquid extraordinarium (perforatio) conspiciendum erat. Haud enim opus erat, apostolis persuadere, se revera pedibus esse instructum, quum ipsi vidissent, ipsum manus pedesque habere. Porro obstant illi opinioni testimonia scriptorum gentilium et christianorum, qui testantur, in crucifixione etiam pedes fuisse transfixos. Cf. Plautus<sup>1)</sup>: „ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrit, sed ea lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia“, ubi perforatio manuum et pedum ut nota supponitur, et solum perforatio bis facta ut res extraordinaria perhibetur.<sup>2)</sup> Sententiae nostrae non obstat, quod Thomas (Joann. 20, 25.) nullam faciat mentionem vulnerum pedum; satis enim erat ei digitos in vulnera manuum et manum in vulnus lateris inferre; poterat autem etiam ex decentia id respectu pedum omittere. — Ceterum communiter Jesus crucifixus ita re praesentatur, ut unus pes alteri superpositus, uno clavo cruci affixus sit; ast naturalius et lictoribus commodius videtur, singulis clavis singulos pedes fuisse terebratos; quod etiam expressio apud Plautum (l. c.): offigantur bis pedes, postulat (Arnoldi). Hoc alterum affirmat etiam Nonnus; sic etiam stigmata s. Francisci quatuor clavos re praesentant (cf. a Lap.). — Hic ex Luca (23, 34.) intexendum est: *Jesum illico ut fuit crucifixus, orasse Patrem, dicens: Pater, dimitte illis (scilicet inimicis meis); non enim sciunt, quid faciunt (quia nimis nesciunt, me esse Christum, Dei Filium).* Quod erat primum Christi in cruce verbum. — *Alios duos, nimis latrones* (Matth. 27, 38. Marc. 15, 27.). — *Medium autem Iesum*, ut nimis ita videretur esse caput et dux horum hominum facinorosorum; qua ignominia nova juxta Marcum (15, 28.)

<sup>1)</sup> Mostell. act. II. sc. I. 12. sq.

<sup>2)</sup> Cf. Justin. Mart. dial. c. Tryph. c. 97; Apol. I. c. 35. Tertull. adv. Marc. III, 19; adv. Judaeos c. 10.

impletum est vaticinium prophetae Jesaiae (53, 12.): et cum ini quis (i. e. inter iniquos) reputatus est.

V. 19. *Titulum*. In ea nimirum crucis parte, quae super lignum transversum (antennam) eminebat, affixerunt tabellam (Armenfündertäfelin), in qua inscriptum erat nomen Domini et causa crucifixionis ipsius, et quae, cum duceretur ad supplicii locum, ei vel praeferebatur, vel collo ejus affigebatur. Titulum hunc verbotenus dat Joannes; ipse enim (coll. v. 19—22.) totam actionem Judaeorum cum Pilato respectu tituli affert, alii evangelistae tantum quoad sensum.

V. 20. *Hebraice* i. e. sermone syrochaldaico, Judaeis vernaculo. — *Graece* i. e. sermone graeco, utpote in Palaestina valde propagato. — *Latine* (*ρωμαϊστι*) i. e. sermone latino, ob romani imperii majestatem.

V. 21. *Dicebant ergo*, quia nimirum sibi illudi sentiebant, quasi synedrium populusque Judaicus Jesum regem habuissent. *Quia ipse dixit: Rex sum Judaeorum* i. e. quia temere nomen illud usurpavit.

V. 23. *Acceperunt vestimenta*. Vester nimirum damnatorum ex more romano supplicii exactores sibi vindicabant. — *Fecerunt quatuor partes*; juxta alios<sup>1</sup>) vestes exteriores, nimirum pallium, tunicam exteriorem, interulam, sandalia, cingulum, in quatuor partes diviserunt (id enim per τὰ ἵματα intelligunt) fuisse in quatuor partes divisas; juxta alios<sup>2</sup>) vero solum pallium, quod Christus habebat, fuisse in quatuor partes scissum. — *Et tunicam* i. e. eam vestem, quae post interulam corpori proxime adhaerebat<sup>3</sup>), scilicet acceperunt.

V. 24. *Non scindamus eam*, ne nimirum prorsus fiat inutilis: vestis enim texta scissione in fila dissolvitur (Jansen). — *Sortiamur de illa*. Ceterum docente Marco (15, 24.) non tantum super tunicam inconsutilem, sed etiam super vestes illas in quatuor partes divisas sortem miserunt (cf. Bucher). — *Scriptura* i. e. psalmus 21, 19. (qui est Davidis, qui erat typus Messiae). Sed exinde, quia evangelistae narrant, milites vestimenta Christi inter se divisisse, haud consequitur, Jesum absque subligaculo,

<sup>1)</sup> Schegg, Arnoldi, Maldonat.

<sup>2)</sup> Kuinoel, Ad. Maier, Jansen.

<sup>3)</sup> Mald.

prorsus nudum pependisse (secundum Ambros.). Si antiqui scriptores referunt, cruciaffigendos pependisse nūdos in cruce, non obstat sententiae nostrae; illi enim nudum dixerunt etiam eum, qui subligaculo aut indusio circumdatus erat (cf. Jes. 20, 2. Livius I. 5. nudi juvenes). Etiamsi malitia militum illorum id fieri potuisse ad ludibrii et acerbitatis augmentum, centurio, qui Christi suppicio praepositus erat, id haud permisisset, quum id obstaret moribus Romanorum; nam nec juvenibus in certaminibus nec gladiatoriis id permissum erat<sup>1</sup>). Nonnullis Patribus quadripartitae vestes Domini symbolice significant dilatationem ecclesiae, toto terrarum orbe, qui quatuor partibus constat, diffusae; tunica vero inconsutilis significat eis unitatem fidei. S. Augustinus (in Joann. tract. 118, c. 4.): „Quadripartita vestis Domini Jesu Christi quadripartitam figuravit ejus ecclesiam, toto scilicet, qui quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam; tunica vero illa sortita omnium partium significat unitatem, quae caritatis vinculo continetur<sup>2</sup>). — Hic jam ex synopticis intexenda sunt, nimirum milites Jesum servasse (Matth. 27, 36.), ne quis videlicet amicorum de cruce vivum deponeret, et praetereuntes convicia emovisse in eum (coll. Matth. 27, 39. 40. Marc. 15, 29. 30.), similiter et principes sacerdotum, legisperitos et seniores ei illusisse (coll. Matth. 27, 41—43. Marc. 15, 31. 32. Luc. 23, 35.) tanquam Dei Filio et Messiae, ita ut psalmus, ille Messianus (21, 9.) quoad verba impletus fuerit. Etiam milites (coll. Luc. 23, 36.) illudebant ei, acetum ei offerentes, imo et unus latronum conviciatus est Christo (Luc. 23, 39.), quem vero alter latronum reprehenderat, dicendo (Luc. 23, 40—43.): neque tu times Deum (quum nimirum innocenter patientem subsannes), quod in eadem damnatione (suppicio crucis) es, et ideo morti proximus. Et nos quidem juste, scilicet in eadem damnatione crucis sumus; nam digna factis recipimus i. e. dignam latrociniis nostris mercedem; hic vero nihil mali gessit, i. e. innocentissimus est, et consequenter injusto suppicio damnatus (Jansen.). Dein dixit Christo: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum, nimirum coeleste et divinum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi:

<sup>1)</sup> Cf. Arnoldi comment. in Matth.

<sup>2)</sup> Cf. Cyprian. de unitate eccles. c. 7. (6).

Hodie mecum eris in paradiſo i. e. in limbo patrum (in sinu Abrahæ), in quo loco recipiebantur animæ justorum post hanc vitam, qui locus propter præsentiam Christi et visionem diuitatis ejus non solum locus quietis, sed etiam voluptatis et deliciarum ac proinde regnum Christi, coelum fuit; nam ubi visio Dei et beatitudo, ibi est coelum<sup>1)</sup>. Hoc est secundum Christi in cruce verbum. Minus recte nonnulli<sup>2)</sup> verba: in paradiſo explicant: in coelo; certum enim est, Christum cum latrone, die illo, quo obiit, non ascendisse in coelum (id factum est post 40 dies), sed ascendisse ad limbum patrum. Nec etiam (juxta Theophyl. et Euthym.) per paradiſum intelligendus est paradiſus terrestris (locus Adae); de fide enim est, ait Cornelius a Lapide, Christum mox a morte in infernum, puta ad limbum patrum descendisse, (praedicans, se pro hominibus satisfecisse et sacrificio suo peracto coelum iterum apertum esse) non vero ivisse ad paradiſum terrestrem: cui et addi potest, incertum esse, an paradiſus terrestris post diluvium adhuc supersit, et esto superesset, ille non animarum, sed corporum dumtaxat laetum et felix est habitaculum (cf. Catechis. Rom.). —

Quum Matthæus (27, 44.) et Marcus (15, 32.) narrant, latrones improperasse Christo, nonnulli veterum<sup>3)</sup> existimarunt, utrumque latronem initio Christo fuisse conviciatum, postquam vero sol obscuratus esset, alterum latronum resipuisse. Sed haec sententia, uti recte Beelen<sup>4)</sup> observat, hoc incommodum habet, quod secundum Lucae narrationem (23, 45.) illa solis obscuratio acciderit, postquam latronum alter alterum jam reprehendisset et reprehensori Jesus dixisset: Hodie mecum eris in paradiſo. S. Matthæus et Marcus, quos haud latebat, alterum latronum Christo conviciatum fuisse, forma plurali usi, solum significare volebant, Christum ab omni hominum genere, etiam latronum, convicia pertulisse. Saepe enim etiam apud alios scriptores pluralis numerus ponitur ibi, ubi prædicatum de uno quidem subjecto intelligendum est, sed scriptor sententiam generaliter enuntiare vult<sup>5)</sup>. —

<sup>1)</sup> Justinus, Athanas., August., Mald., Jansen., a Lap., Calmet.

<sup>2)</sup> Cyrill. Hieros., Gregor. Nyssen., Chrysost.

<sup>3)</sup> Origen., Chrysost., Theophyl., Euthym., s., Hilar.

<sup>4)</sup> Grammat. N. T. 176.

<sup>5)</sup> Cf. August. lib. III. de consens. evang.

### 3) Christi mors (25—30.).

V. 25. *Maria Cleophae*, scilicet uxor; vid. 2, 12. — *Maria Magdalena*, ita dicta a Magdala, castello non procul a Capharnaum ad littus occidentale maris Galilaei sito, ubi ad tempus habitare solebat. Cf. dicta 12, 3. — Juxta Matthaeum (27, 56.) et Marcum (15, 40.) haec utraque Maria unacum Salome, matre filiorum Zebedaei aliisque mulieribus (cf. Luc. 8, 3.), quae secutae erant Jesum a Galilaea, a longe stabat, verosimiliter, quia ob populi densitatem non poterant proxime ad crucem accedere, visurae ultima fata Christi; postea tamen, teste nostro evangelista ad crucem accesserant, ad quam jam stabant sanctissima Virgo et Joannes (coll. 26.). Juxta Lucam (23, 49.) etiam aderant viri, noti Christi.

V. 26. *Discipulum, quem diligebat i. e. Joannem — Mulier, ecce filius tuus i. e. en, bona, in cruce morior, ut vides, deinceps tibi adesse, servire, providere et opitulari corporaliter non potero, uti hactenus feci. En loco mei tibi in filium assigno Joannem, ut hic omne solatium, omne obsequium praestet, quod tum tua dignitas ac senesceus aetas meretur, tum Joannis alacritas et charitas promittit (a Lap.). Quia nulla fit mentio Josephi, interpretes plerique colligunt, Josephum tunc in vivis non fuisse (Calmet.). — De voce mulier (*γύναι*) cf. 2, 4. — Dicit Christus: mulier, non mater, ne nominando matrem ipsius animam majori dolore afficiat. Ne, ut canit Baptista Mantuanus, materna pium laceraret viscera nomen (cf. a Lap.). — Verba haec et statim sequentia erant tertium Christi in cruce verbum.*

V. 27. *Ecce mater tua, cuius scilicet deinceps curam geres tanquam matris tuae, eadem videlicet dilectione, sollicitudine ac reverentia (Jansen.). In Joanne, ut Bernardus pulchre docet, qui omnium fidelium personam hic repraesentat, Maria omnibus fidelibus in matrem data est (cf. a Lap.). — Et, quia scilicet Jesus id jusserrat. — Ex illa hora i. e. ab illo tempore. — Accepit eam in sua (*ἐλαθεν εἰς τὰ ἴδια*) i. e. eam in suam domum recepit (cf. 16, 32.). Alii: in suam curam (August.). Quoad sensum nulla diversitas.*

V. 28. *Postea, non statim; nam, uti synoptici (Matth. 27, 45. Marc. 15, 33. Luc. 23, 44.) narrant, hora sexta (i. e. meridie)*

tenebrae factae sunt super universam terram,<sup>1)</sup> non vero solam Judaeam (uti Origenes putabat), et durabant usque ad horam nonam i. e. tertiam nostram pomeridianam, (quae tamen solis obscuratio non erat vulgaris solis eclipsis, talis enim tempore plena luna, in quod pascha cecidit, oriri non potest; nec etiam haec solis obscuratio causata erat per caliginem, quae saepe ante terrae motum oritur, quum et ipse terrae motus non naturali modo ortus est, sed erat extraordinaria et miraculosa, in testimonium divinitatis Christi effecta, quam et Tertullianus (in apologet. c. 21.) testatur, scribens: „eum mundi casum relatum esse a Romanis in archivis“). — Dein, uti synoptici Matthaeus (27, 46.) et Marcus (15, 34.) referunt, circa horam nonam (tertiam nostram pomeridianam), Jesus, summum sentiens dolorem, voce magna clamavit: Eli, Eli, lamma sabacthani, i. e. Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti? — non ideo ita clamans, quod revera se ad Deo derelictum putaret (quia ex regula Patrum, Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit), nec quod de salute desperaverit, uti impie Calvinus dicit, quod ipso Christi morientis facto refutatur, quum moriturus dixisset; „in manus tuas commendo spiritum meum“; nam nullo modo spiritum suum in manus Patris commendaret, si ab eo nullam salutem speraret; sed propterea, quod respectu naturae suae humanae ita se pati videret, quemadmodum si a Deo derelictus fuisset (Mald.). „Die menschliche Natur Christi, dicit bene Arnoldi, fühlte so sehr das Übermaß der Schmerzen, daß ihr vor kam, was auch an sich der Fall war, daß sie nicht länger aus sich die Leiden, welchen der Logos sie blosgestellt hatte, tragen könne, und klagt findlich, warum sie denselben preisgegeben sei.“<sup>2)</sup> Isdem verbis incipit etiam psalmus 21. (v. 2.), qui semper Messianus habebatur. Verba haec erant quartum Christi in cruce verbum. — *Omnia consummata sunt* i. e. opus a Patre ipsi demandatum absolutum esse. Ita (ut 17, 4.), non vero de expletione vaticiniorum Messianorum est verbum τετέλεσται intelligendum<sup>3)</sup>. — *Ut impleretur scriptura* i. e. ut adhuc impleretur ille locus scripturæ, (scilicet

<sup>1)</sup> Dionys. Areopag., Euseb., Chrysost., Theophyl., Euthym., a Lap., Calmet., Arnoldi, Schegg.

<sup>2)</sup> Cf. Veith Dodecat. S. 118.

<sup>3)</sup> Cf. Ad. Maier.

psalmus 68, 22.) quo nimirum psaltes ceu typus Messiae sitimi ejus praedixerat: (et in siti mea potaverunt me aceto). Jesus dixit: sitio, quia sitis ejus per psalten praedicta erat; haec vero praedicta erat, quia Spiritus s., psalten collustrans, certe futuram eam praeviderat; quum vero Spiritus s. in sua praevisione falli nequit, utique id, quod praedicit, aut praedici jubet, revera evenire debet, ut verax sit in praedictis (cf. 12, 38.). Verbum hoc: sitio, erat quintum Christi in cruce verbum. — Ceterum notum est, eos, qui crucis supplicio moriuntur, siti vehementer discruciar.

V. 29. *Spongiam*, quae nimirum quum sit porosa, naturaliter liquorem, cui immergitur, imbabit. — *Aceto plenam* i. e. posca seu vino acido refertam. Nam δέος est posca, vinum acidum (cū patum), quo utebantur milites romani in castris et quo potare maleficos solebant, ut supplicii dolores minus sentirent. — *Spongiam hyssopo circumponentes*, ut nimirum possit ori ejus in alto pendentis admoveri. Juxta Matthaeum (27, 48.) et Marcum (15, 36.) spongia imposta erat arundini. Ad pugnam hanc removendam nonnulli cum s. Augustino putant, spongiam impositam fuisse hyssopo, deinde vero utrumque impositum arundini. Sed verosimilior est sententia eorum, qui existimant, arundinem seu calamum, cui imposta fuit spongia, fuisse ipsam hyssopum; hyssopus enim, quae est genus plantarum, in terris orientalibus (uti eruditi docent) eam saepe altitudinem attingit, ut inter frutices et arbusculas numeretur; unde h. l. ὑσσώπῳ dictum pro: χαλάρῳ ὑσσώπου<sup>1</sup>). — *Obtulerunt*, non (coll. Luc. 23, 36.) milites romani (cum hi auditis Christi verbis: Eli, eli etc. vix quidquam de Elia cognitum haberent et cum id, quod Lucas narrat, factum est ante horam sextam, durantibus irrisiōnibus et cavillationibus), sed Judaei plebeji, qui verba Jesu, male intelligentes, putabant, eum Eliam in auxilium vocare.<sup>2)</sup> Alii contra putant, eos, qui potum Christo dede-rint, fuisse milites romanos, quuin hi posca uterentur, qui verba Christi ut indicium summi doloris, quo Christus oppressus erat, habebant.<sup>3)</sup> Juxta Matthaeum (27, 48.) et Marcum (15, 36.) unus erat, qui Christo potum offerebat, dum juxta Lucam (23, 36.) et

<sup>1)</sup> Cf. Wilke lex., Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Schegg, Arnoldi.

<sup>3)</sup> Ad. Maier, Bucher.

Joanuem plures id fecerant. Lucas et Joannes plures nominant, quoniam plures in praeparando potu laborarunt, ex quibus unus potum attulerat, cui potum datus juxta Matthaeum (27, 49.) ceteri dixerant: sine, videamus, an veniat Elias, liberans eum (omitte, ut nimis eum recrees, faciat id Elias); dum juxta Marcum (15, 36.) ille ipse, qui potum datus accurrerat, haec dixit. Sed, uti jam antiqui interpretes<sup>1)</sup> sanctum Augustinum secuti docent, utrumque factum est, nimis et miles ille ad ceteros et ceteri ad ipsum poterant loqui. Quod hic dicere incepisset, illud reliqui repetebant.<sup>2)</sup> Unde etiam patet, potum hunc Christo datum fuisse ad illusionem. —

V. 30. Consummatum est i. e. quidquid mihi in hac mortaliitate consilium Dei decrevit aut faciendum aut tolerandum, completum est (Jansen., a Lap.); seu completum est opus a Patre mihi demandatum (cf. v. 28.). — Hoc erat sextum Christi in cruce verbum. — Dein, ut Lucas (23, 46.) refert, iterum (prima vice cum diceret: Eli, Eli etc.) magna voce clamavit: Pater! in manus tuas commendabo spiritum meum i. e. mi Pater! tuo praesidio potenti (seu tuae potentiae et bonitati) animam meam, jamjam separandam a corpore committo, ut eam excipias et custodias et velut depositum, a te tertio die resuscitandus recipiam<sup>3)</sup>). Quod erat septimum Christi in cruce verbum. — Sed voce hac magna, uti antiqui interpretes observant<sup>4)</sup>, testatum reddebat, vitam et mortem esse in sua plena et libera potestate, ideoque ipsum non coactum ex infirmitate et necessitate, sed libere, ex voluntate mori. „Cum ima voce, vel sine voce morimur, qui de terra sumus, ille vero cum exaltata voce exspiravit, qui de coelo descendit<sup>5)</sup>). — Ex exaltata voce etiam centurio (coll. Matth. 27, 54. Marc. 15, 39. Luc. 23, 47.), qui supplicio praepositus erat, cognovit, id esse aliquid supernaturale. — Tradidit spiritum, nimis Deo, et quidem voluntarie. „Inclinato capite, ait s. Chrysostomus (hom. 84.) tradidit spiritum, ut non necessitate, sed voluntarie se mori ostenderet. Quoad vo-

<sup>1)</sup> Euthym., Jansen., a Lap.

<sup>2)</sup> Calmet, Kistemaker die heil. Evangelien.

<sup>3)</sup> Jansen., Mald., a Lap.

<sup>4)</sup> Chrysost., Euthym., Theophyl.

<sup>5)</sup> Pseudohieronymus ad Marc. 15, 37.

luit, vixit; quando voluit, tradidit spiritum.<sup>a</sup> Matthaeus (27, 50.) dicit: emisit spiritum, qua phrasi pariter indicatur, Christum voluntarie mortuum esse (cf. a Lap.).

Nunc ex Matthaeo (27, 51—54.) intexenda sunt, simulaque Christus exspiravit, velum templi, quod sanctissimum a sancto separabat, scissum esse (non terrae motu, nam hic postea sequebatur, ipseque non naturali modo ortus, sed scissum esse vi Christi morientis, ut significaretur, coelum, cuius typus erat sanctissimum, et in quod nemini patebat ingressus praeterquam summo sacerdoti, cum omnibus suis bonis omnibus hominibus esse apertum (coll. Hebr. 9, 6. seq. 10, 19. seq.),) terram totam ac universalem motam esse, (tanquam si a suo centro et loco commoveretur), petras (in Golgotha et in vicinia Hierosolymae) scissas esse, et monumenta aperta (ad testandum, crucifixum esse Dominum mortuorum), multaque corpora sanctorum (verosimiliter paulo antea mortuorum, ut Annae, Zachariae, Elisabethae, Josephi aliorumque, quorum memoria adhuc tenebatur, ita ut visi cognosci possent,) a morte et sepulchro ad vitam surrexisse, et quidem post Christi resurrectionem, (Maldonatus etiam monumentorum apertio nem post Christi resurrectionem ponit) idque ideo, quia, cum illi mortui non surrexerint, nisi ut sua resurrectione Christi resurrectionem confirmarent, (quia alias, si solus resurrexisset, resurrectio ejus phantasma credi poterat), supervacaneum videtur, ante Christi resurrectionem resurgere, et dein ideo, quia Paulus Christum vocat (1 Cor. 15, 20.) primitias dormientium, et (Col. 1, 18.) primogenitum mortuorum i. e. primum mortuorum, qui a morte ad vitam immortalem surrexerint (Estius 1 Cor. 15, 20. praeceuntibus Hieronymo et Beda). Et quidem, uti numero plures interpres<sup>1)</sup> affirmant, surrexerunt ad vitam immortalem (gloriosam); tum quia, uti ait Cornelius a Lapide, hoc decebat Christum, ut fructum mortis et resurrectionis suae statim ostenderet in beata hac sanctorum resurrectione; tum quia animae horum jam erant beatae, ac proinde par erat, eas non uniri corporibus, nisi gloriose et immortalibus; tum quia exigua fuisse eorum felici-

<sup>1)</sup> Origen., Hieronym., Thomas Aq., Mald., a Lap., Kistemaker, Massl., Arnoldi, Bucher.

tas, ac longe major fuisset eorum miseria, quod mox rursum de-  
 berent mori, maluisserent enim non resurgere, quam tam cito rur-  
 sum mori; tum quia congruebat, ut hi sancti Christum resurgen-  
 tem et scandentem in coelum ejusque triumphum sua resurrec-  
 tione decorarent, quasi captivi a Christo redempti et a morte  
 liberati ac quasi spolia, quae Christus morti et inferno eripuerat.<sup>1)</sup>  
 Hisce addi potest, non posse cogitari vitam horum resuscitatorum  
 in corporibus non gloriiosis, quia status viae eorum jam finitus  
 erat, et illi tanquam sancti alio indigere non poterant. Huic sus-  
 fragatur ipsa evangelistae expressio: apparuerunt ( $\epsilon\varphi\alpha\pi\sigma\theta\gamma-\sigma\alpha\tau$ ), quae de Christo re divino usurpatur. Porro si vitam egis-  
 sent in corporibus non gloriiosis, evangelista haud dicere potuis-  
 set, eos multis apparuisse; nam tunc, quum inter homines  
 humano more versati fuissent, ab omnibus visi fuissent, quibus  
 usi fuissent<sup>1).</sup> — Sententiae huic non obstant verba s. Pauli  
 (Hebr. 11, 39. 40.), qui dicit, sanctos V. T. non accepisse repro-  
 missionem, ut non sine nobis consummarentur, i. e. ut non  
 consummatam beatitudinem tam animae, quam corporis conse-  
 querentur. Nam primo non est, ut diximus, sermo de sanctis V.  
 T.; et dein locus Pauli, in quo loquitur de generali omnium bea-  
 taque consummatione per resurrectionem, non impedit, quominus  
 hac in re adsit privilegium paucorum, datum non propter ipsos,  
 sed propter totam ecclesiam, ut resurrectio Christi confirmare-  
 tur et promptius crederetur, non autem phantasma haberetur<sup>2).</sup>  
 Imo haec extraordinaria phoenomena, nimirum terrae motus, te-  
 nebrae, scissio petrarum, agendi ratio Christi, pro suis inimicis  
 orantis, latroni gratiam promittentis, pro matre curam agentis,  
 dolores gravissimos summa cum patientia et resignatione per-  
 ferentis, et cum clamore magno (coll. Marc. 15, 39.) morientis,  
 animum centurionis militumque crucis servantium vehementer  
 feriebant, ita ut in Jesu aliquid supernaturale viderent, dicentes,  
 quum saepe a circumstantibus audissent, ipsum se nominasse  
 Filium Dei, eum vere esse Filium Dei, Deo gratum et  
 dilectum (coll. Luc. 23, 47.); alii vero (coll. Luc. 23, 48.) spec-  
 tatores percutiebant pectora sua in signum doloris et poenitentiae.

<sup>1)</sup> Cf. Mald., Arnoldi.

<sup>2)</sup> Cf. Jansen., Estius in comment. in epist. ad Hebr. 11, 40.

#### 4) Christi e cruce detractio et sepultura (31—42.)

V. 31. *Parascere*; videsis 13, 1. ad c. — *Ut non remane-  
rent in cruce corpora.* Lege nimirum Deuteronomii (21, 22. 23.)  
praeceptum erat Judaeis, ut corpora in patibulo appensorum  
(quibus crucifixi pares habebantur) e cruce detraherentur et se-  
pelirentur ante vesperam, ne ceu maledicti terram deturpent et  
contaminent. Si jam id praeceptum erat respectu cujuscumque  
diei, quanto magis, si dies sequens festus erat, uti sabbatum se-  
quens. Romani contra reos in cruce spirantes relinquebant, nec  
mortuos e cruce detrahebant, usque dum putrescerent, aut a cor-  
vis aliisque bestiis devorarentur<sup>1)</sup>). — *Magnus dies ille sabbati*;  
vid. 13, 1. ad c. — *Ut frangerentur crura*, nimirum acceleran-  
dae mortis causa. Acceleratio enim mortis apud Judaeos fieri so-  
lebat per crurifragium et ictu gratioso (Gnadenstoß), pectus  
clava lignea aut ferrea perfringendo<sup>2)</sup>).

V. 32. *Milites*, nimirum diversi ab illis, qui in crucem actos  
servabant<sup>3)</sup>.

V. 33. *Lancea latus ejus aperuit* i. e. pertudit, et quidem  
cor ejus perfodiendo (quo, si adhuc quaedam vita in eo fuisset,  
subito et vere e vita excessisse putandus est). — *Exivit san-  
guis et aqua* i. e. sanguis e cordis ventriculo, aqua vero (seu se-  
rum, Blutwasser) e pericardio, in quo, si quis post anxietatem  
summam mortuus est, paulo largior esse solet<sup>4)</sup>). Nach William  
Stroud<sup>5)</sup> starb Jesus am gebrochenen Herzen; die tiefste Be-  
trübnis verbunden mit den schrecklichen Kreuzesqualen verursachten  
eine Zerreißung des Herzens. Dieß erhelle aus der Thatssache, daß  
aus der geöffneten Seitenwunde Blut und Wasser herausflossen. Bei  
solchen, die am gebrochenen Herzen gestorben, finde man das crassa-  
mentum vom serum sanguinis getrennt. — *Utrum dextrum, an  
sinistrum latus percussum fuerit*, interpretes disputant, imo et

<sup>1)</sup> Plaut. Mil. Glor. 2, 4. 19., Horat. epp. 1, 16. 46. pasces in cruce  
corvos.

<sup>2)</sup> Cf. Kuinoel, Bucher.

<sup>3)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>4)</sup> Cf. Gruner comment. de Jesu Christi morte vera, Kuinoel, Fried-  
lieb, S. 338., Ad. Maier., Massl.

<sup>5)</sup> Cf. Schegg Evangel. nach Matth. zu 27, 50. S. 460. in der Note.

ipsi pictores sibi non constant. Verosimilior tamen videtur sententia illorum, qui dicunt, lanceam militis haesisse in latere sinistro. Joanne teste, uti scribit Grunerus (in opere citato) post ictum et inflictam lateri plagam, illico profluxit sanguis et aqua. Tale prosluvium vix fieri potuit, nisi a latere sinistro, sub quo praeter pulmonem est pericardium aquae plenum, si quis post anxietatem summam mortuus est, et cor cum arcu aortae copulatum.<sup>1)</sup>. — Ceterum hoc simul documentum est, Christum habuisse verum corpus humanum. — S. Patres per aquam baptismum, quo nascimur, per sanguinem vero eucharistiam, qua alimur, significatam docent<sup>2)</sup>. —

V. 35. *Et qui vidit* i. e. ego ipse Joannes, qui vidi, scilicet quod modo narratum est. — *Testimonium perhibuit* i. e. testor, ita esse. Praeteritum vim habet praesentis. Loquitur de se in tertia persona majoris vis causa<sup>3)</sup>. — *Ejus*, nimirum tanquam testis oculati. — *Ut et vos credatis*, scilicet Jesum Christum in carne venisse, seu verum fuisse hominem. Videtur hisce Docetas respicere, qui negabant, Christum habuisse verum corpus.

V. 36. *Facta sunt haec*, nimirum de cruribus non fractis et de perfosso latere. — *Ut scriptura impleretur*; vid. 13, 18. — *Os non comminuetis in eo* i. e. nullum illius os confringatis. Sumptum est testimonium hoc ex Exod. 12, 46. et sermo est de agno paschali, qui fuit typus Christi.

V. 37. *Alia scriptura* (*έτέρα γραφὴ*), nimirum Zachariae (12, 10.). — *Videbunt, in quem transfixerunt*. S. evangelista (hic et in apocal. 1, 7.) locum prophetae libere citat, attamen magis sequitur textum hebraeum; nam 70 interpres hebraicum נִיר (אַנְתָּךְ perfodit, transfixit) reddunt per: χατωργήσαντο (insultarunt). Loquitur apud Zachariam legatus Dei, qui (coll. c. 11.) nomine Jehovah populum Dei tanquam pastor duxit, cui autem populus pro cura pastorali sese ingratissimum praestitit, triginta siclos in libra ei appendendo, et ita maximum erga legatum Dei (imo ipsum Jehovah) contemptum declarando. Quam minus honorificam legati divini (Jehovae ipsius) tractationem (spiritualem transfixi-

<sup>1)</sup> Cf. Jansen., Ad. Maier, Schegg.

<sup>2)</sup> Cf. Mald., a Lap.

<sup>3)</sup> Cf. Ad. Maier I. S. 89. Georg Mayer Echttheit des Evangelium nach Johannes S. 242.

onem) s. evangelista typice intelligit de Christo in cruce confixo. *Videbunt* i. e. aspicient Judaei, Christo cruci affixo, poenitentia tacti, ad eum in cruce pendentem (coll. Luc. 23, 48.), et postea (praeprimis in fine mundi, Rom. 11, 25. 26.) conversi ad Christum oculis fidei<sup>1</sup>). Alii<sup>2</sup>) coll. apoc. 1, 7. videbunt eum die judicii Judaei, qui eum crucifixerunt, omnesque alii, qui vitiis et peccatis eum denuo crucifixerunt.

V. 38. *Post haec* i. e. quum dies inclinata esset ad occassum, non tamen finita, post horam tertiam pomeridianam (Matth. 27, 57.) Joseph ab Arimathaea, scilicet oriundus, i. e. Ramathaim Sophim, patria Samuelis (1 reg. 1, 1.), quae sita erat in tribu Ephraim, 8 horis distans ab Hierosolyma. Plures enim erant hujus nominis urbes<sup>3</sup>). — *Discipulus Jesu*, et ut habet Matthaeus (27, 57.) homo dives, et simul, ut Lucas addit (23, 50.) assessor synedrii. — *Rogavit*. Legibus nimirum romanis vetitum erat, cadavera cruci affixorum e cruce detrahere et sepelire; ut hoc fiat, venia sepeliendi a magistratibus impetranda erat, quae autem non negabatur cognatis<sup>4</sup>). — *Tolleret* i. e. de cruce detraheret. — *Permitit Pilatus*, postquam nimirum ex accersito centurione intellexisset vere esse mortuum (coll. Marc. 15, 44. seq.). Josephus enim hic personam sustinebat cognitorum (Ad. Maier).

V. 39. *Nicodemus* (cf. 3, 1.). — *Ferens mixturam myrrhae et aloës*, nimirum ad corpus Christi condiendum. — Ceterum σμύρνα (aeol. μύρρα), myrrha, est gutta (seu succus) amara, quae stillat ex arbore quadam in Arabiae regionibus nascente et corpora a putredine servat<sup>5</sup>); — ἀλοή, aloë, arbor aromatica nascens in India orientali et Cochinchina, cuius lignum molle et amarum orientales cadaveribus condiendis adhibebant<sup>6</sup>). Interpretes dissentunt, utrum h. l. sermo sit de aromatibus siccis, an de unguento ex iis confecto. Probabilius tamen est, Nicodemum attulisse myrrhae siccae solidae et contusae atque aloës ligno contuso quoque et in pulverem re-

<sup>1)</sup> Jansen., Menoch., Massl., Bade Christologie des A. B., Döllinger Christenthum und Kirche S. 45.

<sup>2)</sup> Mald., Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Cf. Wilke lex.

<sup>4)</sup> Ulpian. 48, 24. 1. de cadav. punit., Kuinoel in Matth. 27, 58.

<sup>5)</sup> Cf. Wilke lex.

<sup>6)</sup> Cf. Wilke lex.

dacto mixtae, libras circiter centum<sup>1</sup>). — **Libra** (*λίτρα*) est pondus duodecim unciarum<sup>2</sup>).

V. 40. *Linteis; ὁδόντα sunt fasciae sepulcrales* (lintea minora); juxta synopticos involverunt corpus Jesus indone i.e. linteo subtili, quod idem est. — Caput vero erat sudario involutum (coll. 20, 7.) — *Sicut mos est Iudeis sepelire.* Solebant nimirum Iudei cadavera aromatibus aspergere, aspersa linteis involvere (cf. 11, 44.).

V. 41. *Monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.* »Sicut, ait s. Augustinus, in Mariae virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento novo, nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.«

V. 42. *Ibi* i. e. in monumento novo (quod coll. Matth. 27, 60. erat Josephi), ne Christo resurgentे quis aliis prius in eo sepultus, resurrexisse, putaretur (Chrysost.). Et Theophylactus (in Joan. 19, 40.): »Qui non habuit domum in vita, neque sepulchrum habet, sed in alieno deponitur, et cum sit nudus, a Josepho vestitur«. — *Propter parasceven Iudeorum* i. e. quia dies praeparatorius ad finem vergebat et sabbatum instabat, quo nil operari licebat. — *Juxta erat* i. e. vicinum erat, scilicet loco, ubi Christus crucifixus fuerat (coll. Matth. 27, 60.). S. Mattheus simul addit, Josephum advolvisse ostio monumenti saxum magnum. Orientales enim solebant magnis lapidibus sepulchra munire, ne corpora a bestiis devorarentur, aut alio modo profanarentur. Narrat porro s. Mattheus (27, 63.), summos sacerdotes et Pharisaeos, recordatos verborum Christi, se tertia die resurrectum esse (cf. Matth. 12, 39. Joan. 2, 19.), timentesque, ne discipuli ejus veniant atque corpus ejus furentur, spargentes famam, istum resurrexisse, vespere feriae sextae post horam sextam (ergo die sabbati coll. Matth. 27, 62.) adiisse Pilatum rogasse que, ut sepulchrum usque in tertium diem custodiri jubeat, qua custodia concessa, sepulchrum obsignaverunt (fors funiculo, lapidi imposito, utrimque obsignato). Qua de re per pulchre scribit Maldonatus (in Matth. 27, 66.): Admirabilis in obscuranda Christi divinitate et gloria sacerdotum sedulitas. Admirabilior divina providentia, quae ipsorum diligentia atque artificio ad il-

<sup>1)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Cf. Kuinoel, Wilke lex.

lam illustrandam usa est. Timebant sacerdotes, ne Christus, si-  
cuti dixerat, resurgeret, et adhibent ea de causa custodes; illi  
ipsi non jam plebi, sed ipsis sacerdotibus et Phariseis, Christum  
resurrexisse testati sunt. Obsignaverunt sepulchri lapidem, ne  
quis corpus furari posset; ille tam diligenter obsignatus lapis  
fidem fecit, Christi corpus non vi, non fraude de sepulchro subla-  
tum fuisse, sed divina virtute suscitatum. Nihil clausum, nihil  
obsignum est Deo; sed comprehendit sapientes in astu-  
tia eorum (Job. 5, 13.).

## C a p u t XX.

**Christi resurrectio et apparitiones.**

**1) Duo discipuli sepulchrum reperiunt vacuum, Christus apparet Mariae, undecim, dein Thome incredulo (1—18.).**

(Matth. 28, 1—15. Marc. 16, 1—14. Luc. 24, 1—12.).

In historia resurrectionis Dominicae plures occurserunt vi-  
dentur contradictiones inter evangelistas. Eruditi ad istas  
narrationes sibi contradicentes componendas, varias inierunt  
vias; hic sequitur istarum componendarum ratio a Patritio (de evang. III, 543.)<sup>7</sup> prolata:

1) Die Dominica mane, ante solis ortum factus est  
terrae motus: Christus e clauso sepulchro surrexit, et an-  
gelus descendit de coelo, revolutus lapidem, custodes autem  
prae timore ejus exterriti, facti sunt velut mortui (Matth. 28,  
2—4.).

2) Quum ea evenerint, veniunt mulieres, inter quas Ma-  
ria Magdalene, summo mane ad sepulchrum cum aromatibus,  
ut Dominum condirent. Videbant lapidem revolutum; Maria Mag-  
dalene cucurrit ad Simonem Petrum et Joannem (Matth.  
28, 1. Luc. 24, 12. Joan. 20, 1. 2.).

3) Interim ceterae mulieres ingrediuntur in sepul-  
chrum, sed non inveniunt corpus Domini, de quo consternantur;

vident vero duos angelos, qui eis resurrectionem Christi nuntiant, et recordantur verborum Domini, qui resurrectionem suam praedixerat (Luc. 24, 3—8.).

4) Interea venit Magdalene Hierosolymam ad Petrum et Joannem, et dicit eis: „Lapis revolutus est, tulerunt Dominum de monumento, et nescimus, ubi posuerunt eum (Joan. 20, 2.).

5) Mox ceterae mulieres et ipsae regressae a monumento, nuntiaverunt, quae viderant; mulieres ergo, quae ad Petrum et Joannem venerant, erant Maria Magdalene, Joanna, Maria Jacobi; verba harum visa sunt illis discipulis velut deliramentum et non crediderunt (Luc. 21, 9—11.).

6) Altero hoc nuntio accepto Petrus et Joannes cucurserunt ad monumentum (Luc. 24, 12. Joan. 20, 3.).

7) Joannes praecucurrit Petro et venit primus ad monumentum et videt linteamina (Joan. 20, 4. 5.).

8) Etiam Petrus videt illa, scil. linteamina (Luc. 24, 12. Joan. 20, 6.).

9) Uterque videt et sudarium, non autem intelligebant scripturam, eum oportere a mortuis resurgere (Joan. 20, 7—9.) Mirantes redierunt (Luc. 24, 12. Joan. 20, 10.).

10) His redeuntibus iterum ibat Maria Magdalene ad monumentum (Marc. 16, 9.), stabat ad monumentum foris plorans. Cum autem prospiceret, in monumentum, vidi duos angelos, qui eam interrogant, cur ploret, quibus dixit: „tulerunt Dominum, et nescio, ubi posuerunt eum.“ Quum autem se converteret retrorsum, vidi Jesum, et non sciebat, Jesum esse, sed existimabat, eum esse dominum horti, in quo erat sepulchrum Jesu; ex allocutione agnovit eum; vult eum tangere, sed Dominus non admittit (prima apparitio Jesu). — [Joan. 20, 11—17]. —

11) Dein reversa est et nuntiavit rem totam discipulis, sed non crediderunt (Marc. 16, 10. 11. Joan. 20, 18.).

12) Mane, orto jam sole (*ἀνατεῖλαντος του ἥλιου*) etiam aliae mulieres (distinctae ab illis, de quibus sub num. 2. sermo est) ibant ad monumentum, dicebantque: „Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?“ Quum non multum abessent a monumento, videbant lapidem revolutum, et juvenem seden-

tem a dextris. (Marc. 16, 2—5.). — (Cf. Patrit. III. 540. ad n. 4; 542. ad 12.).

13) Angelus dicit illis: „Nolite expavescere; hic positus erat Dominus; praecedet vos in Galilaeam.“ Ast illae exeuntes de monumento, inde aufugerunt, et nemini quidquam dixerunt (nimirum in via). (Math. 28, 5—8. Marc. 16, 6—8.).

14) Festinabant, ut hoc discipulis nuntiarent; Jesus appareret eis, permittit eis pedes suos complecti, jubetque eas nuntiare fratribus (discipulis), ut eant in Galilaeam (altera apparitio Domini). — (Matth. 28, 8—10.). —

V. 1. *Una sabbati* ( $\tau\eta\ \mu\tilde{\eta}\ \tau\tilde{\omega}\nu\ \sigma\alpha\beta\beta\acute{\alpha}\tau\omega\nu$ ) i. e. prima hebdomadae die seu die dominica. Nam pluralis  $\tau\tilde{\omega}\nu\ \sigma\alpha\beta\beta\acute{\alpha}\tau\omega\nu$  est id quod  $\tau\tilde{o}\nu\ \sigma\alpha\beta\beta\acute{a}t\omega\nu$ , et  $\sigma\acute{a}\beta\beta\acute{a}t\omega\nu$  h. l., uti saepe alias, significat (non septimum diem, quem Judaei festum habebant,) sed hebdomadam (uti Luc. 24, 1. Marc. 16, 2. Matth. 28, 1.). „Una sabbati, ait s. Hieronymus (epist. ad Hedib.), dies dominica intelligenda est, quia omnis hebdomada in sabbatum et in primam, et secundam et tertiam . . . dividitur.“ — *Mane, cum adhuc tenebrae essent*; juxta Lucam (24, 1.): valde diluculo, et juxta Marcum (16, 2.): valde mane; dum Matthaeus (28, 1.) dicit: *vespere sabbati, quae lucescit in prima sabbati* ( $\delta\phi\acute{e}\ \sigma\alpha\beta\beta\acute{\alpha}\tau\omega\nu$ ,  $\tau\eta\ \acute{e}\pi\varphi\omega\sigma\chi\omega\sigma\eta\ \varepsilon\iota\varsigma\ \mu\tilde{\eta}\alpha\nu\ \sigma\alpha\beta\beta\acute{\alpha}\tau\omega\nu$ ). Patritius (III, 541. seq. et II, 436.) difficultatem hanc removet, quum dicit, Matthaeum non referre idem, ac reliquos evangelistas, et verba ejus ita explicat: *Circa solis occasum, qui sabbato finem initiumque primo diei hebdomadae fecit (pro more Judaeorum)*, quum jam sole occidente dies prima hebdomadae sabbato successerat, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulchrum. Dein ante lucem Christus surrexit (Matth. 28, 2—4.), et mox mane, cum adhuc tenebrae essent, venit Maria Magdalene et aliae mulieres (Luc. 24, 1. Joan. 20, 1.). — Sed etiamsi Matthaeus illo loco de eadem re agere dicatur, ac Lucas (24, 1.) et Joannes (20, 1.), difficultas facile removetur. Nam in graeco est:  $\delta\phi\acute{e}\ \sigma\alpha\beta\beta\acute{\alpha}\tau\omega\nu$ , quod denotat: multo (longe) post sabbatum, quod accuratius definitur verbis: *quae lucescit in prima sabbati*, graece:  $\tau\eta\ \acute{e}\pi\varphi\omega\sigma\chi\omega\sigma\eta\ \varepsilon\iota\varsigma\ \mu\tilde{\eta}\alpha\nu\ \sigma\alpha\beta\beta\acute{\alpha}\tau\omega\nu$ , quod proprie est: quum illucesceret in primum hebdomadis diem, i. e. quum inciperet diluculum primi hebdomadae diei (scil. solis). Nam altera

vice vox sabbatum significat hebdomadam. Idem est sensus, si verba:  $\delta\phi\epsilon\ \sigma\alpha\beta\beta\acute{\alpha}\tau\omega\nu$  vertantur per: sero sabbati (spät am Sabbat), vel: peracto sabbato<sup>1</sup>); quando nimirum hoc fuerit, docent verba: quum illucesceret etc...<sup>2</sup>). — *Maria Magdalene*, nimirum cum sociabus, *Maria Cleophae uxore* (Matth. 28, 1.), *Salome* (Marc. 16, 1.) *Joanna* (coll. Luc. 24, 10. cum 8, 3.), aliisque, quae cum eis erant. Joannes vero solam *Mariam Magdalenam* nominat, quia ipsa ceterarum erat dux, omnibus ferventior, operosior et nobilissima (a Lap.). — *Ad monumentum*, ut nimirum, sicut Marcus (16, 1.) ait, ungerent Jesum (i. e. corpus ejus sepultum), bene scientes locum sepulturæ, quia, uti Matthaeus (27, 61.) refert, e regione sepulchri sedebant, quum Josephus et Nicodemus Christi corpus linteis involverent et sepelirent.

V. 4. *Praecucurrit*, nimirum tanquam aetate junior, ac proinde agilior corpore.

V. 5. *Inclinasset*. Non enim poterat sepulchrum inspici ab erecto, cum interioris speluncae ostium esset humile. — *Linteamina*, quibus nimirum corpus fuerat involutum. — *Non introivit*, nimirum præ timore (Euthym.).

V. 7. *Sudarium*; cf. 11, 44.

V. 8. *Credidit*, nimirum Christum resurrexisse (non vero credidit, Magdalenam verum dixisse, scilicet corpus Domini esse ex monumento sublatum). Joannes enim visis linteaminibus et sudario seorsim complicato, collegit, corpus Christi ab aliena manu non fuisse sublatum, uti Maria Magdalena putabat, quia deinde linteamina et sudarium ablata, aut non ita ordinata fuisse<sup>3</sup>).

V. 9. Versus hic continet rationem, cur Joannes nunc demum, postquam ipse viderat linteamina et sudarium Christi ita ordinata, et non statim crediderit, quum mulieres nuntiassent, sepulchrum esse vacuum; tunc nimirum apostoli nondum intelligebant scripturas, quae eum resurrectum praedixerant, et ideo etiam Christum de resurrectione sua loquentem, quamvis apertissime de ea loqueretur, non intelligebant. Id ipsum et de Petro statuendum est (Ad. Maier).

<sup>1</sup>) Cf. Wilke lex.

<sup>2</sup>) Cf. Arnoldi, Berlepsch.

<sup>3</sup>) Chrys., Euthym., a Lap., Ad. Maier.

V. 10. *Ad semetipsos i. e. domum.*<sup>1)</sup>

V. 11. *Ad monumentum foris i. e. extra monumentum.*

V. 12. *In albis, scilicet vestibus (ιπατοις).* Cf. Beelen gramm. p. 532.

V. 14. *Conversa retrorsum, fors strepitu percepto mota.* — *Non sciebat, quia Jesus est, vel quia summa tristitia affecta eum accuratius non intuebatur; vel quia inconsueta corporis specie ei apparebat.* — *Idem judicium de voce.*

V. 15. *Hortulanus i. e. dominus horti, in quo erat sepulchrum (coll. 19, 41.); non quod appareret Jesus sarculum aut ligonem manu tenens (uti vulgo pingitur), sed quod in horto erat, arbitrata est, esse dominum horti.<sup>2)</sup>* — *Si tu sustulisti eum, dicio mihi, ubi posuisti eum.* Putabat nimirum, eum audivisse, quod angelis dixerat: tulerunt Dominum . . (v. 13.). — *Tollam eum, scilicet aliorum ope, alio loco eum conditura.*

V. 16. *Dicit Jesus, nimirum voce consueta eique nota.* — *Conversa, quia videlicet, quum non statim optatum responsum retulisset, ab eo iterum corpore aversa est alio (Jansen.). — Rabboni i. e. magister mi;* sed affixum primae personae (mi) Johannes non addidit, quia graece addi non solet, sicut additur in lingua hebraica et syriaca (Franc. Lucas). — *Origenes Christi dignationem admirans, exclamat: „O mutatio dexteræ Excelsi! Conversus est dolor magnus in gaudium magnum, mutatae sunt lacrymae doloris in lacrymas amoris.* Ubi Maria audivit, Maria (sic enim consueverat eam vocare magister suus) persensit in nomine quandam singularem vocationis dulcedinem, et per eam cognovit ipsum, a quo vocabatur, esse magistrum suum. Tunc revixit spiritus ejus, et reversus est sensus ejus. Cumque Jesus vellet adhuc adjungere, non potuit haec Maria patienter exspectare, sed prae nimio gaudio interrupta ea, dicens: Rabboni! Non enim arbitrabatur se indigere verbo, quae invenerat Verbum, et longe utilius arbitrabatur tangere Verbum, quam audire quaelibet verba. O amor fortis et impatiens! Non sufficiebat illi videre Jesum, et loqui cum Jesu, nisi etiam tangeret Jesum; sciebat enim, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.<sup>“</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Kuinoel.

<sup>2)</sup> Theophyl., Euthym., Jans., a Lap.

V. 17. *Dicit ei Jesus*, quum nimirum ipsius pedes amplecti vellet, vel jam amplecteretur. — *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Dantur variae hujus loci explicationes. Inter plures praeprimis commendandae sunt: Alii<sup>1)</sup>: Maria, quum ex improviso Christum conspexisset, ineffabili gaudio perfusa, pedes ejus amplecti coepit, timens, ne Christus statim abiaret ipsique occasio eum amplectendi ejusque fruendi eriperetur, et ideo dicit ei Christus: noli me tangere, seu noli in hoc mei contactu diutius immorari, adhuc habebis tempus me tangendi et fruendi, nondum ascendō ex hoc mundo in coelum. Hi interpretes praeteritum sumunt sensu praesentis. — Posset praeteritum retineri, si sensus verborum: noli me tangere etc. ita statuatur: quid me amplecti manibusque tenere vis, in terra, uti optas, non possum manere, instat ultimus glorificationis meae actus, nondum enim ascendi ad Patrem meum.<sup>2)</sup> — Alii<sup>3)</sup>: Noli pedes meos tangere, exploratura, an ipse sim, an spiritus meus (coll. Luc. 24, 37.), adhuc enim moror hac in terra in corpore glorioso, nondum ascendi in coelum. — Alii<sup>4)</sup> iterum (coll. Matth. 28, 9.) amplexum pedum ex orientalium more symbolum venerationis habentes, hunc statuunt sensum: Noli pedes meos amplectendo mihi ut naturae coelesti, de coelo in terram reverso, exhibere venerationem, nondum enim in coelum reversus sum, adhuc in terra versor. Prima explicatio commendatur antiquitate, altera loco Lucae (24, 37.), tertia loco Matthaei (28, 9.). — *Fratres* i. e. ad apostolos. Apostolos vocat *fratres suos*, partim ut Magdalena (ceterisque mulieribus coll. Matth. 28, 10.) persuaderet, se revera resurrexisse, quum sit caro de carne earum, et os de ossibus earum, quod videt; partim quia morte ipsius redemptoria tales facti sunt, volens ita animum eorum erigere, ostendereque, a se eos non contemni, quamvis eum deseruissent negassentque<sup>5)</sup>. — *Ascendo*, praesens significat h. l. certitudinem rei (cf. 14, 3.). — *Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum*. Dum utraque vice dicit meum et vestrum, ostendit, etiam apostolos olim in coelum assumptum

<sup>1)</sup> Maldonat., a Lap., Calmet., Veith.

<sup>2)</sup> Mesmer Erklärung des Johannes Evang.

<sup>3)</sup> Bucher.

<sup>4)</sup> Kuinoel, Ad. Maier.

<sup>5)</sup> Arnoldi, Schegg.

iri eaque cum ipso gloria coelesti fruituros esse (cf. 14, 3. 4.) Ceterum praeceptum hoc Mariae datum facile conciliatur cum mandato, dato mulieribus (coll. Matth. 28, 10.), nuntiandi apostolis, ut eum in Galilaeam sequantur.

V. 18. *Annuntians discipulis.* En Magdalena hic, uti mulieres aliae (coll. Matth. 28, 10.), a Christo fit apostolorum apostola et evangelista. Qua de re ingeniose scribit Euthymius: „Mulieribus pro apostolis usus est ad apostolos, honorans genus, quod ex serpentis seductione infame factum fuerat. Et quia mulier viro facta est causa moeroris, nunc mulieres fiunt viris ministrae gaudii“. — Interea vero, uti narrat s. Matthaeus (28, 12—15.) principes sacerdotum corrumpebant pecunia custodes, ut dicerent, corpus Christi ab apostolis furtim sublatum fuisse, ipsis dormientibus; quo tamen mendacio, uti dicit s. Chrysostomus, indirecte confirmabant fidem resurrectionis, quia dicebant incredibilia. Nam 1) milites dormientes nihil potuerunt videre, ergo etiam furtum non; 2) discipuli Christi pavidi, qui e metu in latebras se abdiderant, haud ausi fuissent, Christi corpus rapere, quod sciebant a tot militibus custodiri; 3) incredibile est, milites romanos adeo fideles et vigilis, ad unum omnes apud Christi sepulchrum obdormivisse, praesertim cum scirent de capite suo agi. Et esto obdormissent, sane excitati fuissent strepitu lapidis grandis, qui e sepulchro ab apostolis amovendus erat (a Lap.). Justinus Martyr (dial. c. Tryph. c. 108.) refert, Judaeorum proceres ad omnes ubique terrarum gentes emisisse homines, qui divulgarent, noctu surreptum fuisse corpus, dum custodes dormirent (cf. Tertull. apol. c. 21.).

## **2) Christus appetet undecim discipulis Hierosolymae (19—23).**

(Luc. 24, 36—43.).

Quod apparitiones Christi attinet, s. Joannes tres solummodo narrat, illam, quae facta est Mariae Magdaleneae (20, 11—18.), dein undecim discipulis ipso die resurrectionis foribus clausis (19—23.), et post octo dies Thomae (24—29.), omissis ceteris Christi apparitionibus. Juxta Patritium (II, 381. seq.) apparitiones sequenti modo sese exceperunt:

1) Christus, qui primo apparuit Mariae Magdalena, et dein aliis mulieribus, quae orto jam sole ad monumentum ibant (secunda apparitio), apparet discipulis Emmaus pentibus (Marc. 16, 12. Luc. 24, 13. tertia apparitio); dein apparet Simoni (Marcus 16, 13. Lucas 24, 33—35. quarta apparitio).

2) Christus foribus clausis venit ipso die resurrectionis ad discipulos congregatos (Luc. 24, 36—39. Joan. 20, 19. — quinta apparitio), manducat pisces (Luc. 24, 41—43.), atque dat eis potestatem peccatorum remittendorum (Joan. 20, 21—23.).

3) Apparet Thomae incredulo post octo dies (Joan. 20, 24—29. sexta apparitio).

4) Apostoli eunt in Galilaeam (Matth. 28, 16.).

5) Apparet Christus ad lacum Tiberiadis; Petrus pastor; hujus quaestio de Joanne (Joan. 21, 1—24. septima apparitio).

6) Christus apparet apostolis in monte Galilaeae (Matth. 28, 16—20. octava apparitio).

7) Christus apostolis apparet Hierosolymae; exprobrat eorum incredulitatem (Marc. 16, 14. nona apparitio); exponit eis sensum locorum propheticorum; apostoli sunt testes, impleta esse, quae dixerant prophetae (Luc. 24, 44—49.).

8) Mittit eos in universum orbem terrarum (Marc. 16, 15—18.); dicit eos Bethaniam et ascendit in coelum (Luc. 24, 50, 51.).

V. 19. *Sero i. e. vespere.* — *Die illo*, scilicet resurrectionis. — *Una sabbatorum*; cf. v. 1. — *Fores essent clausae.* Corpora nimirum gloria habent dotem subtilitatis, per quam dotem nec cibo, nec potu aut somno indigent, et omnia penetrare et pervadere possunt (cf. a Lap.). — *Stetit i. e. repente (ex improviso) visibilis apparuit.* — *In medio eorum i. e. inter eos.*

— *Pax vobis;* vid. 14, 27. — Qua re conturbati et conterriti, ut Lucas (24, 37.) narrat, existimabant, se spiritum videre. Ideo

V. 20. *Ostendit*, imo et contrectanda obtulit (Luc. 24, 38.). — *Manus* et (coll. Luca) *pedes*, servantes adhuc clavorum vestigia. — *Latus*, scilicet lancea vulneratum. Haec quinque vulnerum cicatrices et stigmata, quasi victoriae de morte, peccato et diabolo in cruce partae trophyea, Christus in corpore suo glorioso remanere voluit, ac coelo inferre, ait s. Ambrosius, ut Deo

Patri pretia nostrae libertatis ostenderet, per ea pro nobis interpellans et omnia impetrans<sup>1)</sup>. — *Viso*, et ex cicatricibus palpatis agnito Domino. Simulque juxta Lucam (24, 41.) adhuc illis non credentibus prae gaudio postulat, ad corporis sui veritatem probandam aliquid ad manducandum, apostoli vero dederunt ei partem piscis et favum mellis (i. e. favum melle plenum), et Christus postquam manducasset, reliquias dedit apostolis, ut nimirum ex iis cognoscerent, illum revera (non ex egestate, sed potestate, uti s. Augustinus ait,) manducasse, et ut incredulis persuaderent, Christum resurrexisse, quia cum illo ex eodem cibo comederint.<sup>2)</sup>

V. 21. *Pax vobis.* Repetit hanc formulam, iis valedicturus; nam etiam verba: pax vobis, erant valedicendi formula Hebraeis. — *Sicut misit me Pater*, nimirum divina sua auctoritate in terram. — *Et ego mitto vos* i. e. pari auctoritate ego mitto vos in universum mundum. Vel istud: *sicut . . . et potest intelligi de similitudine finis*, hoc modo: *Sicut me Pater misit ad gloriam ipsius et salutem hominum procurandam, ita et ego ad eundem finem vos mitto* (Cyrill.). Potest tamen utraque explicatio conjungi. — Hisce Christus apostolos creavit suos vicarios.

V. 22. *Insufflavit eos.* Insufflatio haec erat symbolica actio (praeclare conveniens cum prima significatione vocabuli πνεύμα halitus, dein spiritus), significans Spiritus sancti processionem a Christo ejusque communicationem. Sicut homo, ait Cornelius a Lapide, insufflando in aliquem, ex ore suo halitum, sive spiritum suum corporeum alteri immittit, sic Pater et Filius spirando producunt Spiritum sanctum, eique suum Spiritum et divinitatem communicant. Spiritus sanctus ergo est, quasi flatus divinus, procedens ex spiratione Patris et Filii<sup>3)</sup>. — *Accipite*, nimirum mediante flatu isto, seu per hanc insufflationem, ut signum. — *Spiritum sanctum.* Hic accipiebant Spiritum sanctum ut gratiam ad peccata remittenda aut retinenda; plenitudinem vero ejus, ad omnia ministeria in ecclesia obeunda accipiebant die pentecostes (act. 2, 4.).

<sup>1)</sup> Cf. Anselmus in c. 9. ad Hebr., Thom. Aq.

<sup>2)</sup> Mald., a Lap.

<sup>3)</sup> Ita August., Cyrill., Beda aliique.

V. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* <sup>C. X. v. 23.</sup> *Sensus non est: quorum peccata remissa declaraveritis; nam Christus, dicendo antea apostolis: sicut me misit, Pater et ego mitto vos, declaravit, se ipsos sibi aequaliter et parens efficere; atqui Christus, uti s. literae (de paralytico apud Matthaeum 9, 2—7. et de peccatrice apud Lucam 7, 37—50.) docent, vere declarata voluntate peccata remittebat, hinc etiam apostolis suis potestatem vere peccata remittendi contulisse censendus est.* Nec etiam sensus est: quibus evangelium et remissionem peccatorum annuntiaveritis, illis revera remissa sunt, nimirum propter praestitam fidem; quia stante hac explicatione non apostoli essent, qui peccata remitterent, sed ipsi fideles per fidem suam, quin dicamus, Christum per alteram sententiam: *quorum retinueritis peccata, retenta sunt* (quorum verborum sensus, stante explicatione prioris sententiae, esset: quibus evangelium non annuntiaveritis, peccata remissa non sunt) *sibi ipsi repugnare*, quum hic apostolorum judicio relinqueret, ut aliis evangelium praedicarent, aliis non, quum tamen eos ablegaret ad omnes gentes (Matth. 28, 19.) cum expresso mandato (Marc. 16, 15.) praedicandi evangelium omni creaturae.<sup>1)</sup> Nec etiam sensus est: *quorum peccata per baptismum remiseritis, illis remissa sunt*; id enim Christus, ne perperam eum intelligerent apostoli, clarius eloqui debuisset. Insuper in loco nostro potestas apostolis peccatorum remittendorum ita confertur, ut eorum remissionem non nisi per eos eorumque successores obtinere queamus, quum tamen baptismus, saltem in casu necessitatis, etiam per alios administrari possit. Nec etiam verba Christi possunt accipi de potestate extraordinaria, apostolis data, morbos et alia mala pro peccatis a Deo hominibus immissa, tollendi; oritur enim ita sensus ridiculus ac manifeste falsus sequens: *quos vos apostoli sanare volueritis, illi sanabuntur; quos vero curare nolueritis, non curabuntur; ut taceamus, contra omnem usum loquendi esse, phrasin peccata remittere aut retinere expovere per: sequelas peccati auferre, aut non auferre.*<sup>2)</sup> Potius verba haec Christi juxta unanimem sanctorum Patrum consen-

<sup>1)</sup> A Lap., Schwetz theologia dogm. III. 318.

<sup>2)</sup> Schwetz l. c.

C. X. v. 24, 25.

sum ita sunt exponenda: Quorum poenitentium peccata per sententiam judicialem (verbo *absolutionis*) remiseritis, illis revera remittuntur (coll. Math. 16, 19; 18, 18.) in coelo, seu judicio Dei. — *Quorum retinueritis, retenta sunt* i. e. quos indignos absolutione judicaveritis ob suam indispositionem (seu quos per sententiam judicialem repuleritis a remissione (*absolutione*), illis peccata remissa non sunt, scilicet in coelo, seu judicio Dei. — Praeterita ἀφέωνται et ξεχράτηνται habent vim *praesentis*, quum significant actionem quamquam, quae praeterito tempore incoepit, nunc perdurat.<sup>1)</sup>

Verbis hisce, uti omnes Patres totaque ecclesia quovis saeculo docent, instituit Christus *sacramentum poenitentiae* (concil. Trident. sess. 14. c. 3.), et consequenter etiam *confessionem sacramentalem* sanxit et jure divino praecepit. Non enim possunt peccata remitti in sacramento poenitentiae a sacerdote, nisi cognoscantur; cognosci autem non possunt, nisi poenitens ea confiteatur, quia saepe sunt occulta, imo in mente abscondita.<sup>2)</sup>

V. 24. *Ex duodecim*, scilicet apostolis. — *Didymus*; vid. 11, 16.. — *Non erat cum eis, quando venit Jesus*. Juxta Cyrillum (quem Maldonatus, Calmetus aliique sequuntur) etiam Thomae absenti Spiritus sanctus datus eique collata fuit potestas peccata remittendi, sicut aetate Mosis, Eldad et Meldad absentes eo cumulati fuerunt (coll. Num. 11, 26.), partim, quia potestas haec data erat *universo apostolorum collegio* (coll. v. 23.), partim quia ad Spiritum sanctum communicandum non absolute necessaria est *praesentia corporalis aut symbolum externum*. Imo si, ut nonnulli (a Lapide aliisque) putant, Thomas ob suam incredulitatem incapax Spiritus sancti habeatur, poterat ei (coll. v. 29.) postea, quum visis vulneribus conversus esset, absque symbolo externo Spiritus sanctus et potestas remittendi peccata a Christo dari.

V. 25. *Fixuram clavorum* i. e. vulnera e clavis fixis relicta (*τύπος vestigium ictus seu plagae*). — *In locum clavorum* i. e. ubi fuerant clavi. — Vulgata (cum aliis versionibus) h. l. legit εἰς τόπον loco εἰς τύπον, uti prius, quae permutatio sine dubio a librariis facta est. — Si hic solummodo de vulneribus ma-

<sup>1)</sup> Beelen gramm. p. 323.

<sup>2)</sup> A Lap., concil. Trident sess. 14. c. 5.

nuum et lateris loquitur, minime hisce negatur, etiam pedes habuisse vulnera, quod nonnulli recentiores contendunt. Obstat huic locus Lucae (24, 39.), ubi Christus post resurrectionem suam apostolis apparens, dicit: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Videsis dicta 19, 18.

V. 26. *Post dies octo* i. e. octavo die a resurrectione. Est nimirum scripturae loquendi modus popularis, ut id, quod certo die futurum significare velit, dicat futurum post diem illum (cf. Matth. 27, 63; 17, 1; 16, 21; 17, 22; 20, 19. Marc. 8, 31. Luc. 2, 46.). — *Intus* i. e. in eadem illa domo Hierosolymae.

V. 27. *Huc* i. e. in loca clavorum, in vulnera.

V. 28. *Respondit Thomas*, nimirum viso Domino et cognoscens ipsissimum esse Jesum. — *Dominus meus et Deus meus* (nominativus pro vocativo, Beelen gramm. 128.); quibus verbis Thomas Christum Dominum et Deum suum confessus est. Resurrectio enim Christi est Thomae firmissimum documentum de veritate totius ejus doctrinae, ergo etiam doctrinae de sua cum Patre unitate, divinitate, ideo alloquitur eum ut Deum. — Falsa est explicatio eorum, qui Theodorum Mopsuestenum secuti haec Thomae verba exclamationem admirantis et alloquentis non Jesum, sed Deum Patrem esse putant; verba enim (v. 29.): *dixit ei* (*λέγει αὐτῷ*) indicant, verba praegressa directa esse ad Christum, et quidem tam primum, quam alterum membrum, quum unum ab altero non possit separari; nec dein Judaeis talis admirationis formula Christi aetate fuit usitata<sup>1)</sup>.

V. 29. *Vidisti*. Ex hoc verbo nonnulli colligunt, Thomam vulnera Christi non palpasse; plerique vero alii, s. Augustinum secuti, affirmant, eum illa contrectasse; quapropter verbum *videre* h. l. explicant per: *vidisti* et *tetigisti*. — *Credidisti*, scilicet me resurrexisse. Inest hisce indirecta increpatio ob incredulitatem, quippe qui credere nollet coapostolis affirmantibus, se Dominum ejusque vulnera vidisse, atque ad manus pedesque ejus contrectandos ab eo provocatos fuisse, imo eum manducantem vidisse. — *Beati, qui non ruderunt* i. e. magis beati, qui ad prædicationem evangelii in me sunt credituri, quin me (alii genera-

<sup>1)</sup> Cf. Mald., a Lap., Calmet.

tim: res regni divini) vidissent (coll. Hebr. 11, 1.), quia ibi fides majus habet meritum, ubi humana ratio non praebet experimentum (Gregor. M.). —

### 3) Epilogus (30—31.).

V. 30. Versus hic et v. 31. constituunt epilogum evangelii, quo evangelista librum suum finire voluit. — *Multa.* Voce hac effert varietatem signorum (miraculorum). — *Alia* i. e. praeter ea, quae toto hoc volumine conscripta sunt. — *Signa fecit* i. e. dedit documenta, nimirum suae divinae potentiae (seu dignitatis Messianae); non vero: vitae post mortem receptae, (uti non nulli volunt, coll. act. 1, 3.). — *In conspectu discipulorum* i. e. coram discipulis. Verbis his significat, apostolos fuisse testes oculatos, hinc ipsos, uti et Joannem aptos, qui vera referrent. — *In libro hoc* i. e. in hoc evangelio. Hisce opponit evangelium suum synopticis.

V. 31. *Haec*, scilicet documenta potentiae Christi divinae, seu Messianae ejus dignitatis, non vero: documenta ejus resurrectionis, ac si sanctus auctor verbis hujus versus tantum ad narrationem de apparitionibus Christi in vitam reversi, capite 20. factam, non vero ad totius libri argumentum respiceret. Videsis prolegomena §. 3. ad 1. — *Scripta sunt*, nimirum in hoc libro ideo. — *Quia* ( $\delta\tau\iota$ ) i. e. quod. — *Christus* i. e. Messias promissus. — *Vitam*, nimirum veram, aeternam. — *In nomine ejus* ( $\varepsilon\nu\ \delta\eta\mu\pi\alpha\tau\iota\ \alpha\hat{\nu}\tau\o\tilde{\nu}=\delta\tau'\ \alpha\hat{\nu}\tau\o\tilde{\nu}$ ) i. e. per eum. Quibus verbis docet, Jesum esse fontem, principium verae vitae. —

## Caput XXI.

### 1) Christus appetet ad lacum Tiberiadis; Petrus pastor; hujus quaestio de Joanne.

V. 1. *Postea*, postquam nimirum, uti eos jusserset Dominus (coll. Matth. 28, 10.), relicta Hierosolyma, in qua paucō tempore

post praecedentem apparitionem remanerant, iverunt in Galilaeam. — *Ad mare Tiberiadis*; vid. 6, 1. — 140. *P. Long.*

V. 2. *Erant simul*, scilicet congregati. — *Nathanaël*; vid. 1, 45. — *Filiī Zebedaei* i. e. Jacobus et Joannes. — *Alii ex discipulis duo*. Videntur hi duo, quum non nominentur, non apostoli fuisse.

V. 3. *Vado piscari* i. e. volo piscatum ire. Quamvis propter Christi sequelam piscationi valedixisset, poterat tamen ad tempus victus sibi parandi causa ad eam redire (August.). — *In navim* (in graeco cum articulo εἰς τὸ πλοῖον), nimirum ab aliis commodato acceptam (non erat apostolorum, utpote qui omnia reliquerant). — *Nocte*. Nox piscationi favens est, quia propter noctis tenebras pisces minus vident ac turbantur et aufugiunt (Jansen.).

V. 4. *Mane* i. e. primo diluculo. — *Non cognoverunt*, vel quod illi nimis a litore abessent, vel quod nondum satis luceret dies (Calmet.), vel quod alia forma eis apparuerit, aequa ac Magdalene (a Lap.). — *Quia (ότι)* i. e. quod. —

V. 5. *Dixit Jēsus*, nimirum blande eos alloquens. — *Pueri* (παιδία) i. e. carissimi. Vid 13, 33. — *Pulmentarium* i. e. numquid piscium habetis? Vox enim graeca προσφάγιον significat, uti δψον et δψάριον, omne, quod praeter panem ad comedendum sumitur, obsonium, edulium. Sed h. l., cum sermo fit ad pescatores, per προσφάγιον (uti v. 9. per δψάριον) sunt pisces intelligendi, cui et v. 6. favet<sup>1)</sup>.

V. 6. *Miserunt* i. e. obtemperaverunt statim, vel quod pars dextera eis fausta videretur, vel quod Christum sibi ignotum proviro artis piscandi perito haberent (Ad. Maier). — *Trahere* i. e. in navim sursum attollere.

V. 7. *Discipulus ille, quem diligebat Jēsus* i. e. Joannes. Ex piscium nimirum multitudine et ex celeritate capiendi colligit Joannes, hanc piscium capturam esse miraculosam, adeoque Dominum ipsum praesentem esse debere<sup>2)</sup>. S. Hieronymus<sup>3)</sup>: »Prior, ait, virginitas (Joannis) virginale corpus (Christi) agnoscit.« — *Quia (ότι)* i. e. quod. — *Tunica succinxit se* i.

<sup>1)</sup> Cf. a Lap., Ad. Maier.

<sup>2)</sup> Calmet., Ad. Maier.

<sup>3)</sup> Epist. ad Pammachium.

e. tunicam superiorem induit, ut nimirum honestior apud Dominum appareret. Graeca vox ἐπενδύτης (ab ἐπενδύω superinduo) est tunica superior, inter subuculam seu interulam (ὑποδύτης, Ἡμδ), et vestes interiores media; Graeci enim, Romani et Judaei duas gerere solebant tunicas: una, quae cutem tangebat, latine dicebatur interula (subucula, indus ium), altera, togae et pallio propior, Latinis superaria seu tunica absolute, Graecis ἐπενδύτης dicta, quae vox et apud Talmudicos occurrit תַּלְמִידִים<sup>1)</sup>. — *Nudus* i. e. sola interula indutus. — *Misit se in mare*, ut nimirum prior natatu ad Dominum perveniret<sup>2)</sup>. Petrus ferventior erat, ideo promptius, quam alii venit ad Christum (Chrysost.). —

V. 8. *Navigio venerunt*, nimirum versus terram. — *Quasi cubitis ducentis*. Graeca vox πήχυς—εως ex usu seriorum scriptorum est cubitus i. e. proprie ea pars brachii, quae est inter radicem manus et cubiti articulum, mensura aequans intervalum ab articulo cubiti usque ad manus radicem (eine Elle). — *Trahentes*, nimirum versus terram. — *Rete piscium*, scilicet navigio funibus alligatum, quia ponderosius erat, quam ut in ipsam navim attolli possit (Jansen).

V. 9. *Viderunt prunas, pisces et panem*. Juxta s. Patres Christus haec modo miraculo praeparaverat<sup>3)</sup>. Beda, rem hanc ex s. Augustino mystice exponens, ait: Piscis assus est Christus passus: ipse latere dignatus est in aquis generis humani capi voluit laqueo nostrae mortis, et qui nobis factus est piscis humanitate, extitit panis reficiens divinitate. —

V. 10. *De piscibus*, scilicet partem aliquam.

V. 11. *Ascendit*, nimirum in navim. — *Traxit*, nimirum opem ferentibus sociis. — *Tanti* i. e. tot. — *Non est scissum rete*, scilicet efficiente Christo. Non dubium, quin id miraculo adscribat evangelista (Mald.). —

V. 12. *Prandete* i. e. comedite. Verbum ἀριστάω (ab ἀριστῶν jentaculum, dein prandium, quodvis epulum) proprio notat: jentaculum capio, dein cibum capio, epulor, comedo. — *Audebat interrogare*, vel prae reverentia, cum viderent, ipsum non

1) Cf. Wilke lex.

2) Chrysost., Theophyl., Mald.

3) Cf. Mald., a Lap.

se prodere (Chrysost.), vel quia non audebant dubitare, esse ipsum Dominum<sup>1)</sup>.

V. 13. *Dat* i. e. distribuit instar patris familias, ut id ante mortem fecerat.

V. 14. *Tertio* i. e. tertia vice, nimirum discipulis in unum congregatis. Prima vice 20, 19; altera 20, 26.; tertia, hac occasione (21, 7. seq.). Hanc apparitionem exceperat illa in monte Galilaeae, de qua loquitur s. Matthaeus (28, 16—20.), et quam plerique<sup>2)</sup> eandem habent cum illa, de qua loquitur s. Paulus 1 Cor. 15, 6., ubi dicit, Christum visum esse plus quam quingentis fratribus (i. e. fidelibus) simul. Alii contra<sup>3)</sup> negant, apparitionem, de qua Matthaeus loquitur (28, 16. seq.) esse eandem cum illa, cuius faciat s. Paulus mentionem (1 Cor. 15, 6.), id que preeprimis hac de causa, quia s. Matthaeus de undecim tantum loquitur.

V. 15. *Simon Joannis*, scilicet fili. De voce Ἰωνᾶς vid. 1, 42. — Non dicit ei: Simon Petre, sed Simon Jona, sine dubio respiciens ad ejus trinam negationem, qua se minime petram praebuit<sup>4)</sup>. — *Plus his* i. e. ardentius et vehementius reliquis his accumbentibus. — *Scis, quia amo te.* Non dicit: amo te plus ceteris, quia lapsus (coll. Matth. 26, 33.) eum fecerat modestiorem (a Lap.). — *Pasce.* Verbum pascere ( $\piομαινειν$  et  $\betaοσκειν$ ) in sacra scriptura significat omnem activitatem in ecclesia, tum negotium docendi, tum regimen (cf. act. 20, 28. 1 Pet. 5, 2. cf. Joann. c. 10.). — *Agnos meos* i. e. fideles universos, ecclesiam meam universam, dicit enim sine exceptione. —

V. 17. *Tertio.* Ter eum interrogat de amore, ut Petrus triplicem Christi negationem triplici singularis amoris ejusdem professione expiet. „Redditur trinae negationi, ait s. Augustinus (tract. 123, 5.), trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori.“ — *Contristatus est;* quia nimirum ex trina interrogatione sibi videbatur Christo de amore suspectus (a Lap.). —

<sup>1)</sup> August., Mald.

<sup>2)</sup> Jansen., a Lap., Calmet., Estius in comment. 1 Cor. 15, 6., Kistemaker, Ad. Maier, Massl, Allioli, Bucher.

<sup>3)</sup> Maldonatus I. p. 515., Bisping Erklärung des I. Briefes an die Corinther, Kuinoel.

<sup>4)</sup> Mald., Ad. Maier.

**Oves.** Oves sunt iidem, qui prius agni dicebantur (Mald.). — Verbis: **pasce agnos meos, pasce oves meas**, Christus illam promissionem, quam ei apud Matthaeum (16, 18.) fecerat, se super eum ecclesiam suam aedificaturum esse, nunc implevit, Petrum videlicet constituens caput et principem universalis ecclesiae (cf. Mald.). —

V. 18. Nunc praenuntiat Petro mortem, quam pro ipso sit subiturus (cf. Mald.). — **Junior**, nimirum aetate. — **Cingebas te**; dictum respectu ad antithesin praecincturae violentae. — Ceterum notum est, orientales vestem suam latam amplaque elevare et praecingere solere, dum vel iter faciunt, vel negotiis sunt occupati, ut expeditius, quae agenda sunt, valeant perficere. — **Extendes manus tuas**, nimirum in crucem actus, uti ipse evangelista (v. 19.) declarat, et interpres, sanctum Augustinum secuti, exponunt<sup>1</sup>). — **Alius te cinget** i. e. alias te funibus alligabit cruci. — **Et ducet te** i. e. tollet te in crucem<sup>2</sup>). — **Quo tu non vis** i. e. quod natura tua sensualis abhorret. — **Cornelius a Lapide** affirmans, Petrum clavis cruci fuisse affixum, verba: **alius te cinget et ducet**, ita exponit: alias (lictor) ligabit tibi lumbos et trahet te ad crucem. Sed non est, cur non prior teneatur explicatio, quum ea non negetur, Petrum clavis cruci fuisse affixum (cf. dicta 19, 18.). Ceterum in utraque expositione adest hysteroproteron: sed nulla est causa, cur alia quaeratur.

V. 19. **Significans** i. e. ut significaret. — **Qua morte** i. e. quo mortis genere. — **Clarificaturus Deum** i. e. glorificaturus Deum. Morte sua glorificabat Petrus Deum, quatenus ea fuit aperta professio veritatis fidei, mediumque ulterioris propagatio-  
nis regni divini. Si enim, docente Tertulliano (in apologet. c. 50.) sanguis martyrum est semen christianorum, quantus fructus non erat exspectandus ex morte ipsius capitis et principis ecclesiae! — **Sequere me**, scilicet ad crucem subeundam, quam ego subivi (coll. v. 22. et 13, 36.). Ita juxta s. **Augustinum** multi alii (cf. Maldon.).

V. 20. **Conversus Petrus vidi illum discipulum, quem di-**  
**ligebat Jesus sequentem.** Apparet, jam Petrum, cum Christus hoc

<sup>1</sup>) Cf. Jansen., Mald., Ad. Maier, de Wette.

<sup>2</sup>) Jansen., Ad. Maier.

dixit, sequi coepisse eum, cumque respexisset, Joannem quoque sequentem vidisse (Mald.). — *Recubuit super pectus ejus*; vid. dicta 13, 23. —

V. 21. *Hic autem quid i. e. quid cum hoc fiet?*, seu: quae-nam hujus sors erit? Quo interrogando putat, etiam Joannem mortem violentam subitum esse (Chrysost., Mald., a Lap.). —

V. 22. *Sic eum volo manere, donec veniam*. Datur hic di-versitas lectionis. Textus graecus habet; ἐάν θέλω μένειν (si eum volo manere); codex D post ἐάν adhuc habet οὗτως (sic); Vulgata vero legit: sic eum volo manere (cf. Calmet.). — Stante lectione graeca sensus est: esto, quod vellem, Joannem manere in vita, donec veniam ad judicium extremum, quid ad te pertinet, hoc curiosius inquirere?<sup>1)</sup>. Juxta Vulgatam vero esset sensus: Volo, Joannem manere in terris sine morte violenta, donec illum naturali morte defunctum ad me in coelum assumam<sup>2)</sup>. Juxta hanc explicationem debet verbum μένειν (manere), quod solum manere in vita significat, exponi per: manere sine morte violenta; et verbum ἐρχομαι (venio), quod (coll. 1 Joann. 2, 18.) de adventu ad judicium intelligendum est, explicari de evocatione Joannis ex hac vita terrestri in coelum. — Juxta utramque ex-planationem voluit Christus reprimere Petri curiositatem. — *Se-quere, nimirum in via ad crucem.* (Cf. s. Augustin. tract. 124.).

V. 23. *Exiit sermo i. e. inde rumor sparsus est*. — *Inter fratres* i. e. inter fideles (christianos). — *Quia discipulus ille non moritur* i. e. quod ego Joannes non essem moriturus (sed in fine mundi solummodo illam repentinam immutationem subitu-rus, de qua loquitur sanctus Paulus (1 Cor. 15, 52.). — *Et non dixit ei Jesus: non moritur, sed etc.*... Verbis his corrigit s. evangelista falsam opinionem de se, quod non esset moriturus.

## 2) Conclusio (24—25.).

V. 24. *Hic est discipulus ille*. Qui versum hunc et sequen-tem alii auctori, quam apostolo Joanni tribuunt, per verba haec non intelligunt Joannem apostolum, sed alium, qui hosce versus

<sup>1)</sup> Cyril., Jansen., Calmet., Franc. Lucas, Ad. Maier, Bucher.

<sup>2)</sup> August., Beda, Thomas, Maldon.

addidit, ut testaretur, vera esse, quae ab evangelista in hoc libro conscripta sint. — *Qui testimonium perhibet de his* i. e. qui in libro hoc narrata, vera esse testatur (Mald.). — *Scimus;* qui pluralem hunc non explicant de ipso Joanne communicative loquente, per pluralem istum intelligunt alios loquentes (presbyteros ecclesiae Ephesinae). Cf. Prolegomena §. 8. et 5.

V. 25. *Alia*, scilicet praeter narrata. — *Quae fecit Jesus* i. e. facta dictaque Jesu, quae nimurum non sunt scripta in libro hoc (coll. 20, 30.). — *Per singula* (χαρ' ἐν supplendum ἔχαστον coll. act. 21, 19.) i. e. sigillatim. — *Nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros* i. e. permulti essent scribendi libri<sup>1</sup>). Est hyperbolica locutio, de qua haud mirandum, cui omnia illa magna et eximia in vita Jesu vivide ob oculos versantur<sup>2</sup>). Veritas hujus hyperboles, ait Cornelius a Lapide, patet ex eventu et experientia. Videmus de vita et gestis Christi quotannis fieri tot conciones, lectiones, sermones, tot scribi libros, tot commentaria, ut eos numerare sit impossibile; adeoque si mundus duraret in aeternum, idem quotannis semper fieret, quae omnia, si in unum colligas, mundus ea non caperet. Unde s. Leo<sup>3</sup>) ait: „Excedit humani eloquii facultatem divini operis magnitudo; et inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non taciendi. Et ideo nunquam materia deficit laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris.“

<sup>1)</sup> August., Cyril., Beda, Mald., a Lap.

<sup>2)</sup> Cf. Mald., a Lap.

<sup>3)</sup> Serm. 9. de nativ.

# Conspectus operis.

	Pag.
Prolegomena . . . . .	III—XXXII
Titulus Evangelii . . . . .	1
Vers.	
<b>Cap. I. 1—18. Prologus</b> . . . . .	<b>5</b>

## P a r s I.

### Historia publicae activitatis Christi.

19—34. 1) Joannis Baptistae testimonia de Christo	31
35—51. 2) Vocatio primorum discipulorum Christi	42
<b>H. 1—11. 1) Nuptiae in urbe Cana</b>	49
12—25. 2) Iter Christi Capharnaum et Hierosolymam ad primum paschatis festum; prima nego- tiatorum e templo ejectio	53
<b>III. 1—21. 1) Colloquium cum Nicodemo; reflexio evangelistae</b>	63
22—36. 2) Ultimum Baptistae testimonium	74
<b>IV. 1—42. 1) Jesus in Samaria</b>	80
1— 6. a) Christi e Judaea per Samariam in Galilaeam iter	—
7—30. b) Colloquium Christi cum muliere Samaritana	83
31—38. c) Colloquium cum discipulis	90
39—42. d) Fides Samaritanorum	93
43—54. 2) Sanatio filii ministri regii	—
<b>V. 1— 9. 1) Curatur paralyticus ad piscinam Bethesda</b>	95
10—16. 2) Judaei offenduntur hac sanatione sabbato facta	99
17—47. 3) Christi defensio contra criminationes Ju- daeorum	100
<b>VI. 1—15. 1) Turbae miraculosa cibatio</b>	110
16—21. 2) Christus mare inambulans	112
22—25. 3) Homines pridie panibus saturati Capharnaum ad Christum trajicientes	113
26—60. 4) Sermo Christi didacticus	114
26—34. a) Promissio panis coelestis generatim facta	—
35—52. b) Christus nunc clare dicit, se esse panem vitae	117
52—60. c) Aperte declarat, corpus suum esse cibum et sanguinem ipsius esse potum	123
61—72. 5) Colloquium Christi cum discipulis	128

	Vers.	Pag.
<b>Cap. VII.</b>	1. 1) Ratio, cur Jesus ad tertium paschatis festum celebrandum Hierosolymam non ascendit . . . . .	133
	2—10. 2) Christum hortantur consanguinei, ut ad festum tabernaculorum Hierosolymam perget . . . . .	—
	11—13. 3) Judaeorum de Christo disceptantium judicia . . . . .	135
	14—36. 4) Sermones Christi in templo post initium festi . . . . .	136
	37—53. 5) Res ultima festi tabernaculorum die gestae . . . . .	142
" <b>VIII.</b>	1—11. 1) Mulier adultera . . . . .	146
	12—20. 2) Jesus se lucem mundi profitetur . . . . .	149
	21—59. 3) Alii Christi sermones de suo ortu et abitu . . . . .	152
" <b>IX.</b>	1— 7. 1) Homo a nativitate coecus visum adeptus . . . . .	165
	8—11. 2) Stupor hominum hac de re . . . . .	168
	12—34. 3) Examen Pharisaeorum . . . . .	—
	35—41. 4) Sermones Christi cum sanato . . . . .	172
" <b>X.</b>	1—21. 1) Bonus pastor et mercenarius . . . . .	174
	22—42. 2) Disserit Jesus de sua ad Patrem relatione . . . . .	181
" <b>XI.</b>	1—16. 1) Lazari morbus . . . . .	185
	17—44. 2) Lazarus vitae redditus . . . . .	188
	45—57. 3) Sequelae hujus eventus . . . . .	192
" <b>XII.</b>	1—11. 1) Convivium Bethaniae . . . . .	195
	12—19. 2) Jesu ingressus solemnis in metropolin . . . . .	203
	20—36. 3) Quidam Graeci Christum videre cupientes; vox de coelo . . . . .	205
	37—50. 4) Reflexiones evangelistae de successu activitatis Christi . . . . .	210

### P a r s III.

#### Narratio ultimorum Christi dierum.

" <b>XIII.</b>	1—17. 1) Apostolorum contentio de primatu eorumque pedum lotio . . . . .	213
	18—35. 2) Proditor indicatus; novum mandatum . . . . .	224
	36—38. 3) Praedictio lapsus Petri . . . . .	231
" <b>XIV.</b>	1—11. 1) Hortatur discipulos ad fiduciam in Deum et se . . . . .	233
	12—15. 2) Promissio effectus futuri . . . . .	236
	16—26. 3) Promissio Spiritus s. suique reditus . . . . .	237
	27—31. 4) Valedictio et adhortatio ad abitum . . . . .	242
" <b>XV.</b>	1— 8. 1) Parabola vitis et palmitum . . . . .	244
	9—17. 2) Exhortatio ad persistendum in charitate et unione cum Christo . . . . .	247
	18—27. 3) De odio et persecutione mundi increduli . . . . .	249
" <b>XVI.</b>	1— 5. 1) Clarior praedictio instantis persecutionis . . . . .	252
	6—33. 2) Consolatur discipulos ob abitum suum ad Patrem tristitia affectos promissione Spiritus s. . . . .	253

Vers.		Pag.
Cap. XVII.	1—5. 1) Christus rogat, ut se clarificet . . . . .	259
	6—19. 2) Orat pro apostolis . . . . .	260
	20—26. 3) Orat pro omnibus fidelibus . . . . .	264
" XVIII.	1—11. 1) Christi comprehensio . . . . .	266
	12—27. 2) Christi accusatio et vexatio; Petri negatio . . . . .	269
	28—40. 3) Christus Pilato traditur . . . . .	273
" XIX.	1—16. 1) Ulteriora Pilati studia Christum liberandi; Christi condemnatio . . . . .	279
	17—24. 2) Christi crucifixio . . . . .	285
	25—30. 3) Christi mors . . . . .	292
	31—42. 4) Christi e cruce detractio et sepultura . . . . .	298
" XX.	1—18. 1) Christus apparet Mariae; undecim, dein Thoma e incredulo . . . . .	302
	19—29. 2) Christus apparet undecim discipulis Hiero- solymae . . . . .	308
	30—31. 3) Epilogus . . . . .	314
" XXI.	1—23. 1) Christus apparet ad lacum Tiberiadis; Petrus pastor; hujus quaestio de Joanne . . . . .	—
	24—25. 2) Conclusio . . . . .	319

# Index praecipuarum rerum et nominum.

	Pag.		Pag.
<b>A.</b>		<b>E.</b>	
Aenon juxta Salim	75	Elias	33
Agnus vocatur Christus	39	Encaenia	181
" paschalis	219	Eucharistiae promissio	114
Alphaeus idem ac Cleophas	55	" institutio	226
Amen	49	Exaltatio serpentis	70
Angelus	48	Evangelium	2
Annas	269	<b>F.</b>	
Apparitiones Christi	303, 304	Filius hominis	48
Arimathaea	300	Flagellatio	279
Ascendere Hierosolymam	58	Fratres Christi	54
<b>B.</b>		<b>G.</b>	
Baptismus Joannis	38	Gallicinium	272
Barabbas	278	Gabbatha	283
Bartholomaeus idem ac Nathanaël	45	Garizim mons	87
Bethania in Iudea	185	Gazophylacium	152
" trans Jordanem	37	Gennesareth lacus	110
Bethabara	—	Gethsemani	266
Bethesda	97	Golgotha	286
Bethsaida	45	<b>H.</b>	
Bethsaida Julias	45, 110	Hosanna	203
<b>C.</b>		Hydria	52
Caiphas	193	<b>J.</b>	
Calix metaphorice	268	Jacobi puteus	83
Cana	50	Jesus quid notet	3
Caro expressio Joannea	67	Joannes quid sonet	V
Capharnaum	53	Jonas	44
Cedron	266	Israëta	46
Cephas est Petrus	44	JudasIscariotes	132
Christus id quod Messias	3	" Thaddaeus, Lebbaeus	241
Cleophas	55	Jus aggratiandi	277
Coena paschalis Christi	214	<b>L.</b>	
Crurifixio	287	Lazarus	185
Crucifragium	298	Lithostroton	282
Crux	286	Logos	6
<b>D.</b>		<b>M.</b>	
Denarius	111	Manna	116
Dedicationis festum	181	Mare Galilaeae	110
Diabolus	132	Maria Magdalena	196
Diei horae apud Judaeos	43		

	Pag.		Pag.
<b>Mensae accumbendi mos</b>	220	<b>R.</b>	
<b>Messias</b>	3	<b>Rabbi</b>	42
<b>Metreta</b>	52	<b>Regnum Dei, Christi, coelorum</b>	65
<b>Mons oliveti</b>	146		
<b>N.</b>			
<b>Nardus</b>	200	<b>Samaritani</b>	83
<b>Nathanaël</b>	45	<b>Scenopegiae festum</b>	133
<b>Nazareth</b>	46	<b>Serpens aeneus</b>	70
<b>Nicodemus</b>	63	<b>Sepulchra Judaeorum</b>	191
<b>Noctes apud Judaeos</b>	43	<b>Sichem, Sychar</b>	81
<b>O.</b>			
<b>Oliveti mons</b>	146	<b>Siclus</b>	59
<b>P.</b>			
<b>Panes azymi</b>	218	<b>Siloah</b>	167
<b>Paracletus</b>	237	<b>Signa et prodigia</b>	94
<b>Paranymphus</b>	77	<b>Sindon</b>	301
<b>Parasceve</b>	216	<b>Stadium</b>	110
<b>Pascha</b>	58	<b>Sudarium</b>	192
<b>Pharisaei</b>	34	<b>Synedrium</b>	32
<b>Pilatus</b>	273		
<b>Porticus</b>	98	<b>T.</b>	
" <b>Salomonis</b>	181	<b>Tabernaculorum festum</b>	133
<b>Praetorium</b>	273	<b>Thomas</b>	187
		<b>V.</b>	
		<b>Verbum-Logos</b>	6
		<b>Vita aeterna</b>	72



# Corrigenda.

**מֶשִׁיחָא, מֶשְׁיחָה :**

- |      |         |         |   |
|------|---------|---------|---|
| Pag. | 3. lin. | 27.     | lege: <b>מֶשִׁיחָה</b> , <b>מֶשְׁיחָה</b> |
| "    | 5. "    | 5.      | " : ejusque ad.                           |
| "    | 5. "    | 16.     | " : ἐν ἀρχῇ                               |
| "    | 5. "    | 27.     | " : mundus                                |
| "    | 9. "    | 29.     | " : quandam                               |
| "    | 50. "   | 12.     | " : קָנָה                                 |
| "    | 53. "   | 34.     | " : בְּפִרְנַחִים                         |
| "    | 58. "   | 2.      | " : סְכָהָא, סְכָה                        |
| "    | 58. "   | 25.     | " : sanctum, sanctum sanctorum            |
| "    | 59. "   | 21.     | " : caveis                                |
| "    | 78. "   | 30.     | " : coelo                                 |
| "    | 79. "   | 18.     | " : Jesus                                 |
| "    | 81. "   | 30.     | " : nominatur                             |
| "    | 81. "   | 34.     | " : ὁ λαός                                |
| "    | 87. "   | 31.     | " : interpolarunt                         |
| "    | 94. "   | 20.     | " : notione                               |
| "    | 94. "   | 28.     | " : vivit                                 |
| "    | 98. "   | 27, 28. | " : propter                               |
| "    | 102. "  | 30, 31. | " : voluntas                              |
| "    | 104. "  | 14.     | " : jam adest                             |
| "    | 110. "  | 27.     | " : quia                                  |
| "    | 117. "  | 30.     | " : loquitur                              |
| "    | 121. "  | 5.      | " : praejudiciisque                       |
| "    | 127. "  | 1.      | " : lectio                                |
| "    | 128. "  | 28.     | " : audierunt                             |
| "    | 142. "  | 3, 4.   | " : Patrem                                |
| "    | 142. "  | 19.     | " : locum                                 |
| "    | 149. "  | 20.     | " : innuunt                               |
| "    | 150. "  | 3.      | " : quia                                  |
| "    | 155. "  | nota 1. | " : Bucher                                |
| "    | 185. "  | 1.      | " : locum                                 |
| "    | 209. "  | 1.      | " : dominio                               |
| "    | 224. "  | 34.     | " : concepisse                            |
| "    | 234. "  | 27.     | " : possumus                              |
| "    | 246. "  | 13.     | " : nihil                                 |
| "    | 246. "  | 21, 22. | " : projicitur                            |
| "    | 261. "  | 25.     | " : concupiscentiam mundi                 |
| "    | 262. "  | 30.     | " : cognitione nominis                    |
| "    | 264. "  | 21.     | " : per claritatem                        |
| "    | 269. "  | 15.     | " : accurrit, ut.                         |







